




TIUM SINE LITTERIS MORS EST
AQUIN GARCIA ICAZBALCETA



JOANNIS
GENESII SEPULVEDAE
OPERA.
VOLUMEN SECUNDUM.

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE OPERA.

VOLUMEN SECUNDUM.

JOANNIS
GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS,
OPERA,
CUM EDITA, TUM INEDITA,
ACCURANTE
REGIA HISTORIAE ACADEMIA.

VOLUMEN SECUNDUM.



MATRITI.

EX TYPOGRAPHIA REGIA *DE LA GAZETA.*
ANNO M.DCC.LXXX.

ELENCUS OPERUM
JO. GENESII SEPULVEDAE,
QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

ERRA-

ERRATA, QUAE HUIC VOLUMINI IRREPSERUNT.

Pag.	*Lin.*	*Errat.*	*Corrig.*
10	26	ab ipsis	ipsi
34	14	Stoechadas	Staechadas
44	28	augebat	angebat
45	5	opperiendi	operiendi
52	5	tragulis	stragulis
	17	assicanti	assiccanti
57	18	opperitur	operitur
58	18	ancoris	anchoris
68	22	ultos mopibus	multos opibus,
69	2	Milandae	Mirandae
70	23	ordine	ordinem
123	2	gavius	gravius
143	7	pasuum	passuum
144	13	idem:	idem,
151	11	XXII.	XXIII.
	17	Antistibus	Antistitibus
159	29	interposita	non interposita
193	3	turtures	trutas
196	7	occulatissimos	oculatissimos
243	6	Philippuss	Philippus
279	8	adhorti	adorti
304	30	ne	nec
333	12	tunt	tunc
	13	e-	et
354	29	decedente	decidente
430	29	fater	frater
528	20	obstinante	obstinanter

SUMMARIUM

LIBRORUM XV. POSTERIORUM

DE REBUS GESTIS CAROLI V. IMPERATORIS

PER SINGULOS LIBROS ET CAPITA AB EDITORIBUS DIGESTUM.

LIB. XVI.

I. VAsti Marchio exercitu in Italiam reducto Cherium oppidum frustra oppugnat, et copias in hiberna reducit. Interea de hostibus octingentis in Casale Montferrati receptis certior factus, itinere nulla noctis parte intermisso, eos omnes aut interficit, aut capit, et Casale recipit.

II. Diebus aliquot interjectis Caraim oppidum Sabaudiensis ditionis ab hostibus occupatum Franciscus Salutiarum Marchio, qui sibi negotium depoposcerat, illorum nongentis caesis, ceteris captis et vulneratis, recipit.

III. Zilanum quoque castellum recipitur, et Nusclae Marchio castello incenso capitur, ac Chivae arcis praesidium deletur. Nec multo post arx quoque Sancti Georgii Canabensis expugnatur. Salutiarum Marchio, dum Carmagnolam oppugnat, tormenti telo perimitur; sed Sanctio Bravo et Alvaro Grado oppugnationem resistentibus, custodes sine conditione arcem dedunt.

IV. Antonius Aragonius a Vasti Marchione missus occisi Principis poenas de dedititiis sumit. Hispanorum militum secessio et vetus querela.

V. Quibus Hispanis auctore potissimum Antonio Ixartino revocatis, Monchallerum et Carignanum recipiuntur. Federicus Hustamberga cum Germanorum decem millium supplemento in castra pervenit. Vasti Marchio rursus Cherium oppidum aggreditur, atque expugnat. Hispani Chirascum invadentes primum repelluntur, deinde oppidum a praesidio deseritur. Alba Pompejana deditionem facit.

VI. Hostes Hispanis numero inferiores in oppida munitiora sese recipiunt, et illa tutari constituunt, praecipue Augustam Taurinorum octo millium Vasconum praesidio munitam.

Hispani ad eam urbem commeatibus intercludendam pontem Padi, Vulpianum, Moncallesium, et Riolam finitima castella occupant; cum ceteris autem copiis bipartitis Pinnarolum obsident.

VII. Franciscus Gallorum Rex mense Novembri Alpibus superatis copias triginta millia armatorum in Italiam traducit, suos obsidione liberat, ac Salutiis receptis, ibi Gabrielem Principum fratrum natu minimum Marchionem constituit, pulso Joanne Aloysio, qui ad Caesarem transierat.

VIII. Inter haec Florentini in exilium ejecti militem conducunt, et patriam in libertatem asserere constituunt, duce et auctore Philippo Strozo. Florentiae sub Imperatoribus Romanis libertas; ejus in duas partes Medicum et Soderinorum scissio; a Medicibus tandem oppressio, praesertim a Clemente Pontifice, qui gentilem suum Alexandrum, data in matrimonium Margarita Caesaris notha filia, urbi tyrannum praeficit.

IX. Alexandri prosapia, cujus soror Catherina Henrico Galliarum Regi postea nubit.

X. Caroli Caesaris auctoritate populus Florentinus in officio continetur. Alexander Medices, quamquam odiosus omnibus, aliquot tamen annos imperium retinet. Interficitur tandem dormiens a Laurentio propinquo ac gentili suo. Florentini nihilo secius audent in libertatem se vindicare.

XI. Cosmum igitur Medicem Joannis filium in Alexandri locum sufficiunt.

XII. Sed Florentini cives, et praecipue tres Cardinales, qui Romae morabantur, consilium ineunt patriae in libertatem vindicandae, et Florentiam profecti popularium animos solicitant. Cosmus Medices, et Alexander Vitellus, arcis praefectus, Cardinalibus denuntiant, viis a militibus obsessis, ut ab incepto desistant. Eorum unus Salviatus ad Robertum proficiscitur, ut coactos milites dimittat, et Florentiam revertitur.

XIII. Iidem Cardinales Florentia decedere jussi Bononiam confluunt, et Philippo Strozo rei armis administrandae curam tradunt. Vitellus Sarmentusque Philippum aggressi, eum cum filio, et Bartholomaeum Valorcum capiunt, in quos animadvertitur. Philippus quoque captus, et custodiae datus mortem sibi consciscit.

XIV. Eadem tempestate Solymanus Turcarum Princeps Italiam invadere statuens Venetos mis-

missa legatione adversus Carolum Caesarem solicitat. Hi negant sibi adversus foederatum, a quo nulla sint injuria lacessiti, ferre arma fas esse.

XV. Solymanus Aulonem navalem urbem cum magno exercitu pervenit, huc quoque classe convenire jussa. Carolus Caesar, Solymani apparatu et consilio cognito, oram Italiae et Siciliae maritimam praesidiis firmari, et Andream Doriam cum classe adversus Solymanum contendere jubet, qui Cephaleniam perveniens Luthphinum Bassam et Charadinum in sinum Adriaticum classem direxisse cognoscit.

XVI. In Corcyrae itaque promontorium provectus, tres hostium onerarias naves comprehendit, et Aulonem versus procedens duas triremes conspicit, quibus Joannes Bejus missus a Solymano fuerat de injuriis depressae navis cum Venetis expostulatum.

XVII. Rediens igitur Bejus in Doriae classem incidit, rebusque desperatis terram capit, et cum suis omnibus sese fugae mandat. Doria ejus triremes, itemque biremen incendit, et Corcyram versus redux cum militaris religionis Sancti Joannis et Genuensium navibus conjungitur.

XVIII. Ad Pargam duodecim Turcarum triremes, Genizaris acriter repugnantibus, expugnat, et Messanam redit; deinde ad oram Epiri regressus navim unam onerariam ad Corcyram capit, et cognito Charadini adventu Messanam revertitur.

XIX. His detrimentis Aulonem nuntiatis, vehementer commotus Solymanus Charadinum adversus Doriae classem mittit, simulque Luthphinum Bassam in Apuliam trajicere praecipit, qui Castro oppido potitus populares omnes violata fide partim occidit, partim in servitutem abstrahit.

XX. Christianorum omnium Principum, praesertim Italorum timor, Carolo Caesare Gallico bello distento. Petrus tamen Toletus ejus jussu exercitum conficit ad Regnum Neapolitanum a Turcarum invasione tutandum.

XXI. Interea Hieronymus Pisaurus naves Corcyra deducit, Apuliamque versus contendens Turcarum triremem deprimit. Luthphinus timens, ne Venetorum classis cum Doriae conjungatur, Apulia discedit, Aulonemque revertitur. Solymanus omisso in praesens Italico bello arma in Venetos Corcyramque convertere statuit.

XXII. Ad Corcyram igitur oc-

occupandam pedestri itinere profectus ex insulae regione considet; sed oppidi oppugnandi difficultate animadversa, domum re infecta discedit. Andreas Doria Venetique suas classes in hiberna deducunt.

XXIII. Per id tempus Turcae piraticis mare Gallicum, Gallis ipsis foventibus, infestantes tum alios mortales ex Nicaeno agro, tum in primis Monachos Franciscanos abducere decernunt. Hoc consilium ad Vargam, militum a Caesare Nicaeae praesidio relictorum tribunum indicio defertur. Is ducentos scloppetarios opportuno loco insidiis collocat.

XXIV. Turcae centum delectos homines ad rem gerendam exponunt; sed a quodam Christiano milite, ut interdum accidit, nolente scloppeti telum emittitur, quo strepitu detectis insidiis celeriter Turcae ad naves redire properant; bona tamen eorum pars conciditur, nonnulli comprehenduntur, ceteri ad naves evadunt.

LIB. XVII.

I. EOdem anno Florentius Egmundus Comes Burensis exercitum jussu Caroli Caesaris in Gallia Belgica coactum in Gallorum fines inducens, Sanctum Paulum oppidum, arcemque recipit, et Monsteriolo ante confectam oppugnationem potitur.

II. Germani oppidum diripiunt et incendunt. Tum Terovenam Caesarianis obsidione prementibus, Gallorum Rex supplendi praesidii gratia pedites M. et equites D. submittit. Equites MD. qui illis alteris praesidio prodierant, omnes aut occiduntur, aut vivi capiuntur. Henricus Gallorum Regis filius Terovenam versus cum exercitu procedit. Induciae novem mensium inter hunc et Comitem Burensem fiunt.

III. Cornelius Sceperus a Comite Burensi ad Carolum missus eum certiorem facit de proclivi ad pacem Regis Galliae voluntate. Annuit Caesar, et cum Velio legato de ratione illam stabiliendi agit. Eo consilio a Rege Gallorum Lorena Cardinalis et Montimorensiacus Comestabilis, a Caesare Granvella ac Franciscus Covus delegati prope Salsulas conveniunt.

IV. Appropinquantibus Carolo et Francisco, nihil tamen convenire potest inter legatos; quamobrem Carolus Proceres, quos ad colloquium cum Rege Barcinonem evocaverat, domum redire imperat.

Ca-

V. Carolus Paulum Pontificem Maximum per litteras orat, ut ad pacem suam auctoritatem interponat.

VI. Pontifex ab utroque Rege accepta conditione locum ad colloquium ad Allobrogum Nicaeam constituit induciis prorogatis per terram, et mare dumtaxat internum. Caesar profectionem parat, omnibus fere suis, sed in primis Andrea Doria ideo reclamantibus, ne per colloquii simulationem Gallorum Rex tempus trahat.

VII. Barcinone igitur conscensa quadriremi proficiscitur, tribus Antistitibus, et pluribus Proceribus assectantibus.

VIII. Varia et inconstanti usus navigatione, in statione quadam citra Massiliam jactis anchoris exspectat, dum naves omnes conveniant.

IX. Deinde in Gallicas triremes incidens a Turcarum finibus redeuntes, unam in deditionem venire cogit, tres capit.

X. Hic Carolus ex captivis Gallis reperit, quindecim triremes a Francisco ad Solymanum missas fuisse, qui de Christianorum pace accepto nuntio, earum praefectum Byzantium ad se evocat, ut, captis triremibus, custodiae eum tradat.

XI. Caesar, his cognitis, et Gallis cum triremibus liberari jussis, in Stoechadas insulas digressus, in portum Herculis *Villaefrancae* nuncupatum pervenit.

XII. Fernandus Toletus Albanorum Dux Pontificem Maximum Savonam progressum cum Caroli triremibus Nicaeam usque deducit. Sabaudiae Dux a Gallorum Rege subornatus tergiversatur, ne Pontificem in arcem recipiat, rem Caesare molestissime ferente.

XIII. Paulus Pontifex in Franciscanorum coenobium suburbanum divertit, et parum intra coenobium progressus Carolum venientem exspectat; tum uterque post adorationem et consuetam salutationem colloquium in horas circiter quatuor producunt, quod iterant post diem tertium.

XIV. Rex Gallus diu moratus Antipolim tandem pervenit, unde ad Carolum salutandi gratia duos Proceres mittit. Idem ipsi officium praestat Carolus per suos legatos.

XV. Pontifex Maximus, et Rex Franciscus ad villam Nicaeni agri sermonem ad solis paene occasum producunt. Gallorum Regina Pontificem adorandi salutandique gratia venit.

XVI. Regina eadem navim conscendit Carolum Caesarem fra-

fratrem salutatura, Praesulibus et Proceribus obviam procedentibus.

XVII. Carolus Reginam ex triremi scapha vectam porrecta manu in pontem ad se recipit, qui pondere pressus sua ruina Carolum et sororem non sine periculo trahit.

XVIII. Interea Paulus Pontifex Carolum Franciscumque ad decem annorum inducias reducit.

XIX. Paulus et Carolus profectionem parant. Regina fratrem rursus revisit.

XX. Sex triremibus a Rege, ac totidem a Caesare acceptis Pontifex Genuam progreditur. Carolus illum secutus ad praetorium Andreae Doriae suburbanum divertit, salutatoque vicissim Pontifice in Hispaniam proficiscitur.

XXI. Ad Lerinam insulam obvios habet Regis Francisci legatos de loco ad utriusque colloquium constituendo, quod Rex cum antea vitasset, nunc vehementer expetit.

XXII. Locus igitur ad Fossam Marianam (hoc castellum *Aquas mortuas* vulgo dicunt) constituitur, et prope Massiliam progredienti Carolo ejus civitatis Magistratus, urbis atque arcis clavibus oblatis, Carolum, ut Massiliam divertat, invitant.

XXIII. Euntem Carolum Galli cum classe, ut jussi erant, usque ad portum, qui est ante Fossam Marianam, officii gratia prosequuntur, nebula et caligine adeo ingenti consecuta, ut tota nocte cum multiplici periculo navigaretur. Navis imperatoria vadis carinam figit; sed onere sublevata remulco in altum abstrahitur. Hispanorum solicitudo, quibus Gallorum fides erat suspecta.

XXIV. Carolus omni fere classe coacta portum intrat. Rex fidem a Caesare accipit per Annam Comestabilem, tuto eum ad naves venturum.

XXV. Accedenti Carolus ad suae navis scalas procedit obviam, et ad extremam puppim secedentes diu sine arbitris colloquuntur. Galli Proceres Carolum, Hispani Franciscum sponte sua salutant; idem Doria facere jusso. Comestabilis verba, Carolum Caesarem, ut ipse ad Regem vicissim in oppidum descendat, invitantis.

XXVI. Dubitantem Carolum comi responso Franciscus solicitudine liberat. Proceres omnes, uno dumtaxat excepto, Caesarem, ne tanto periculo se temere committat, orant atque obtestantur.

Ille

XXVII. Ille vero publici boni studio ad Regem vel cum suo periculo, sibi eundum esse decernit.

XXVIII. Postridie itaque ab utroque Regis filio ad castellum deducitur. Egredienti navicula Carolo manum Rex porrigit, et arcte complexus exosculatur: idem mox facit Regina Caroli soror, Catherina Henrici uxor; et itidem Margarita Regis filia.

XXIX. Ad prandium uni mensae accumbunt Regina; ad ejus dextram Carolus Caesar, ad sinistram Franciscus Rex; praeterea Margarita et Catherina cum Joanne Lorena Cardinali. Post epulas Hispani Gallique Proceres ad tripudium et saltationes procedunt. Ad coenam Proceres praeter morem Hispanum Regiae mensae accumbunt.

XXX. Carolus ex Regiis domesticis viros feminasque magnificis donis munerat. Henricus Regis filius major natu repudianti Caesari mantile ad assiccandas lotas manus subministrat. Deinde ad naves regredi paranti multa Rex de pace pollicitus aureum annulum cum hoc sculpto elogio tradit: DILECTIONIS TESTIS ET EXEMPLUM. Praeterea cum Turcis societatem se numquam amplius initurum promittit. Carolus parem benevolentiam significans ad naves regreditur.

XXXI. Postridie solvens proficiscitur, sed mari intumescente in eumdem portum revertitur. Regina fratrem laeta revisit, Rege jam cum liberis digresso. Andreas Doria omni solicitudine explicitus vexilla per naves disponit. Carolus Barcinonem tandem appellit.

XXXII. Foedere inter Paulum Pontificem, Carolum Caesarem, et Senatum Venetum hieme superiore icto, Doria cum triremibus suis bellum in Turcas administrare jubetur. Joannes Maria Urbinatum Dux cum summa imperii pedestribus copiis praeficitur. Fernandus Gonzaga in demortui Ducis Urbinatis locum suffectus cum Doria ad classem Barbaroxae oppugnandam mittitur.

XXXIII. Doria in Messanae portum pervenit, quo Pontificiae, Neapolitanae, Siculae, aliaeque triremes erant compulsae. Coacta classi, Doria et Gonzaga ex Messanae portu naves educunt.

XXXIV. Veneti ad Corcyram suas naves, quibus Vincentius Capellus praeest, cum reliquorum Christianorum classe conjungunt.

XXXV. Capellus Hispanos milites in suas naves recipere renuit.

nuit. Doria Charadinum cum tota classe in Ambracium sinum sese recipientem captis arcibus intercludere statuit.

XXXVI. Garcias Toletus et Antonius Doria in paucas Barbaroxae naves invecti, inconsultius intra teli jactum hostiles munitiones succedunt, et ad classem confugiunt. Charadinus majoribus spiritibus sumtis omnes suas naves educit, et pugnandi copiam facit.

XXXVII. Andreas Doria dimicare renuit, sublatisque anchoris Scopuli, seu *Sanctae Maurae* insulae arcem oppugnare pergit. Christianorum discessu audacior factus Charadinus in eos triplici acie instructa procedit.

XXXVIII. Hostilem classem accedentem conspicatus Doria onerarias suas in eam invehi jubet; ipse dato signo, sed nec acie triremium instructa, nec ordine servato, in hostem movet. Onerariis vento refragante classem Doria in laevam flectit, triremibus ingenti perturbatione subsequentibus.

XXXIX. Ipso exspectante duae Venetorum triremium expugnantur. Oneraria etiam, qua Villegas Figueroa vehebatur, capitur. Doria cunctis rebus trepidanter administratis, nullo telo emisso, navis proram ab hostibus avertit. Vincentius Capellus ceterique fugam capessunt, et Corcyram versus cursum dirigunt.

XL. Christianorum classis naves omnes ad promontorium Album conjunguntur. Charadinus fugientes parumper insecutus ad onerariarum oppugnationem redit, quae nimbi exorti et commodioris venti beneficio e conspectu hostium ereptae in Corcyram deferuntur.

XLI. Classe itaque ad Corcyram compulsa, coactoque concilio placet, frequentioribus militibus in omnes triremes impositis, in hostem reverti. Post aliquot dies consilio mutato Dyrrhachium oppugnare statuunt; sed noctu Dyrrhachium classe praetervecta, castellum, cui *Novo* cognomen est, aggredi parant.

XLII. Expositis copiis, incautius accedentes Antonius Doria periculose, Ferrera et Bocanegra letaliter vulnerantur. Utraque arx ante triduum recipitur. Recepto castello *Novo* tria millia et quingenti Hispani milites cum praefecto Francisco Sarmento praesidio relinquuntur; sed insequenti aestate terra marique oppugnati fortissime dimicantes intereunt. Sarmenti ipsius honestissima mors.

Hac

XLIII. Hac igitur Hispanorum manu ad castellum *Novum* relicta, Doria Messanam revertitur. Veneti in suos portus discedunt. Charadinus, plus viginti navibus tempestate amissis, in sinum Ambracium necessario se recipit.

LIB. XVIII.

I.—IV. CArolus Caesar Castellae Concilium habiturus litteras ad omnes civitates dimittit, simulque Pontifices et Regni principes optimatesque nominatim Toletum evocat. Eorum, qui convenere, quique necessariis rebus impediti Concilio interesse non potuerunt, sigillatim recensentur.

V. Coacto igitur civitatum legatorum Concilio, Joannes Vazquez scriba regius, Caesare praesente atque jubente, de scripto verba facit; bellorum a Carolo confectorum causas, utilitates et sumtus memorat, et Concilium monet, etiam atque etiam consideret publici patrimonii et regiorum vectigalium angustias, provideatque, qua ratione aes alienum persolvatur, et sit, unde fiant necessarii sumtus in posterum.

VI. Caesar ipse pauca in eamdem sententiam summatim adjicit.

VII. Postridie cum Episcopis, dieque tertio cum Proceribus eodem fere modo agit. Toletanus Antistes pro ceteris Episcopis respondet, et liberaliter pollicetur. Albae, Infantati, et Scalonae Ducibus, Comitique Beneventi, Comestabilem primum loqui orsum interpellantibus, tacere Caesar imperat, et re deliberata sibi responsum reddi. Congregatis civitatum legatis variae sententiae dicuntur, quarum nullam Carolus probat, et *Sisam*, universale tributum, in aliquot annos proponit.

VIII. Civitatum legati omnes hoc vectigal repudiant, nobilium et sacerdotum immunitatem et libertatem labefactans, et Carolum certiorem faciunt.

IX. Caesar legatos quiescere, nec amplius injussu suo convenire jubet. Ad Proceres vero Antistitum omnium sibi beneficiis devinctorum, adeoque obsequentium, de *Sisa* decretum mittit.

X. Deinde Joannem Taveram Cardinalem aliosque quatuor Consiliarios Procerum Concilium adire praecipit, ut deliberandi finem aliquando faciant; qui Proceres duodecim ex omnibus viros graves, quid optimum factu esset, consideraturos, dato jure jurando, delegerant.

XI. Hi duodecim viri sancte jurati cum saepius de officio convenirent, petendum a Carolo censent, uti civitatum legatos jubeat consilia cum ipsis communicare. Carolus per Joannem Taveram Cardinalem Procerum Concilio respondet. Ejusdem ad Proceres oratio.

XII. Hujusmodi Caroli responso a Proceribus accepto, ipsi in diversas cogitationes distrahuntur. In eorum itaque magna cunctatione cum jam res suffragiis permitteretur, Petrus Velascus Comestabilis id sibi faciendum statuit, ut ipse primus omnium sententiam dicat.

XIII. Abrogandam itaque gravi oratione Comestabilis *Sisae* legem censet.

XIV. Ipsi Proceres ad unum assentiuntur, et Concilii sententiam ad Carolum perferri jubent.

XV. Quarto post die eisdem convenire jussis Carolus per Joannem Taveram gratias agit, et ut denuo deliberent, et festinantius agant, monet.

XVI. Decem viris pristina ratione a Procerum Concilio delectis, horum et ceterorum consensu a Carolo petitur, ut ipsis ejus voluntate cum civitatum legatis convenire liceat. Caesaris irati responsum.

XVII. Postremo post longam multorum dierum disputationem haec ad Carolum perferenda renuntiandaque mandant: se nullum tam opportunum malis remedium reperire, quam id, ut bellis modum imponat, seque intra Hispaniam contineat; constitui tamen posse ad tempus nova vectigalia de rebus e Regno exportandis, crearique munera publica, quae ad vitam pecuniam conferentibus mandentur; ad extremum se petere, ut sibi liceat una cum ceteris ordinibus consultare.

XVIII. Moleste fert Carolus hanc Procerum sententiam, nec ea audita potest a verbis paulo asperioribus temperare; non tamen diu irae indulget secum reputans, Procerum consilium non a superbia odiove sui, sed a necessitate et libertatis amore proficisci.

XIX. Proceribus itaque domum redeundi potestate facta, cum civitatum legatis nulla nova ratione inita negotium conficere decernit. De monopolio salis constituendo, et de moneta aurea quadam argenti parte temperanda sententiae dicuntur.

XX. Sed his et ceteris inusitatis rationibus omissis, id solum a legatis postremo postulat Ca-

Carolus, ut, praeter consuetum tributum, CD. ducatorum millia proximo anno contribuenda imperent. Ceteris annuentibus soli Burgenses cum Salmanticensibus refragantur. Illi tamen, quibus vel ordinaria tributa Regia liberalitate remittebantur, solvere coguntur.

XXI. Dum haec Toleti geruntur, inusitatum adeo frigus Baeticam invadit, ut arbores citreae, oleae, vites et etiam ilices exaruerint.

XXII. Gonzali Fernandi Cordubae, Magni Ducis nepotis, nuptiae cum Francisci Covi filia, Carolo ipso sponsalia decorante. Ejusdem Francisci genus, fides, consilium, industria et comitas.

XXIII. Isabellae Reginae obitus, et virtutes. Ipsi aegrotanti Carolus assidet, medicamenta ministrat, mortis periculum renuntiat.

XXIV. Reginae cadaver Granatam effertur, tribus Episcopis, Jacobo Pacheco, Scalonae Duce, et Francisco Borgiae, Lombajae Marchione, funebrem pompam prosequentibus. Carolus dolori indulgens in coenobium suburbanum, *Sisla* dictum, secedit, unde Madritium Regium oppidum migrat.

LIB. XIX.

I. INterea Gandavenses tributis supra modum gravati rebus novis student; de quorum motibus certior factus Caesar, simulque a Rege Gallorum invitatus, ut per suos fines recta brevissimaque via in Belgium contendat, illuc proficisci constituit.

II. Gallorum itaque Regi gratias agens, se conditionem libenter accipere respondet.

III. Ceterum, cuinam se absente Castellae procurationem mandet, ambigit, nec Procerum cuiquam committendam existimat.

IV. Joannem igitur Taveram Archiepiscopum Toletanum Castellae procuratorem constituit, equestres consiliarios attribuit Osorni Comitem, Joannem Zugnigam, et Franciscum Covum. Philippi vero filii curam his omnibus commendatam relinquit, simulque Joanni Martino Siliceo ejusdem litterarum Latinarum, et studiorum ac religionis magistro.

V. Perenoto Granvella Gallorum consilia explorandi causa praemisso, Caesar ipse Madritio profectus Arevalum venit, ubi filias Mariam Joannamque invisit. Adagiae fluvii *Areva* olim dicti cursus.

VI. Ex Arevalo Torsillas progreditur, Reginam matrem salutaturus. Valdolito profectus Fontisrabiae Carolum Gallorum Regis filium, et Annam Comestabilem obvios habet. Regios fines ingresso Henricus alter filius obvius fit, Bajonamque intranti, et quacumque transit, in omnibus Galliae oppidis claves Regis jussu traduntur.

VII. Burdigala, Pictavio, Ambasia, et Aurelia oppidis transmissis, Lorchas accedenti Rex et Regina obviam progrediuntur, et in Fontenoblaeum praetorium deducunt.

VIII. Lutetiam Parisiorum subeunti omnis civitas obviam procedit. Carolus urbem ingreditur, Regiis Consiliariis et *Parlamenti* Senatoribus assectantibus, aliisque editis honorum insignibus, quibus Rex suam omnem auctoritatem in Caesarem transtulisse videri volebat.

IX. Singulares honores Caesari habiti. Coenanti et manus lavanti mantile ad assiccandum, licet diu perhumaniter recusanti, filiorum Regis natu major subministrare perseverat.

X. Lutetia discedentem Rex cum uxore et liberis ad sui regni Flandriaeque confinium prosequuntur. Carolus Valentianas, deinde Bruxellas contendit.

XI. Gandavenses legatos hoc in itinere obvios, parum leniter acceptos domum redire jubet. Bruxellis profectus, Germanorum ad quatuor millia delecta manu antecedentibus, et mille equitibus cataphractis subsequentibus, Gandavum ingreditur.

XII. Popularium quorumdam cupiditas legem jactans ad bonorum aequationem pertinentem: cui refragantes divites, pristinum civitatis statum jam rebus novis anteferre coeperant.

XIII. Verum adventante Carolo, non solum culpae veniam sibi civitas omnis pollicetur, sed defendi quoque posse suam causam jure privilegiorum existimat. Gandavensibus igitur pro se coram Flandrensi Consilio dicere jussis, novem cives capite plectuntur. Gandavensis civitas publice Majestatem Principis minuisse comperitur, quod crimen supremi supplicii bonorumque publicationis poena dignum. Caroli lenior sententia.

XIV. Gandavenses atrati misericordiam inclamant. Caesar Mariae sorori ad pedes obvolutae Gandavensium poenas debitas condonat, mulcta et mitioribus poenis contentus.

XV. Antuerpiae Bravantiae Ducatus conventum, Brugis Flandrensis Comitatus conventum habet.

bet. Ex portu *Exclusa* Zelandiam et Hollandiam navigat. Hagae Comitum Hollandiae et Zelandiae concilia celebrat; Gandavumque reversus Valentianas progreditur, iter in Germaniam facturus.

XVI. Inter haec Azenaga eunuchus, classe manuque coacta, his Alihamatum et Caramaminum praeficit, et Hispaniae oram piraticis incursionibus infestare jubet, Ahibaxum imitatos, qui tertio ante anno Valentiae *Graum* diripuerat.

XVII. Alihamatus itaque, cum falso nuntiaretur octo Hispanicas triremes in Calpes portum esse compulsas, portum eumdem multa jam nocte subit, et nullis fere navibus repertis, oppidum diripere constituit.

XVIII. Calpes montis, oppidi, et arcis descriptio, cujus murus nonnullis in locis neglectus corruerat.

XIX. Ea parte naves appellunt, atque excubitoribus dolo deceptis, sexcenti milites duce Caramamino per interrupta murorum immissi feruntur.

XX. Oppidani fortissime dimicant. Hostes, Turca concidente, qui signum praeferebat, conterriti ad naves cum praeda et captivis reducuntur.

XXI. Hujus expugnationis fama per Hispaniam dissipata, magno timore omnes afficiuntur, gravissima animo pericula perpendentes. Maximus itaque peditum equitumque numerus a Magistratibus imperatur, idemque Proceres faciunt ad Calpen recipiendam.

XXII. Bernardinus Mendoza Hispanicae classis praefectus praelio cum Turcis decernere cupiens, Oranum venit, deinde Melillam, postremo Arboranam parvam insulam procedit. Paulum inde progressus, prospecta Turcarum classe, citra insulam suas naves reverti jubet.

XXIII. Ad insulam reversus suos ad pugnam cohortatur, praedonum injuriis, Christianorumque gloria et virtute propositis.

XXIV. Turcae, num ad pugnam sibi sit procedendum, deliberantes, sortibus suo more consulunt, et ad Christianos praelio lacessendos acie instructa feruntur.

XXV. Bernardinus ex insula suas naves educit, et magna celeritate atque impetu invectus, eodem fere temporis vestigio frequentissima tela jaculatur. A duabus triremibus, praetoria, et Caramamini oppugnatus ipse, solertem rationem init, qua cum una Caramamini quadriremis sua confligat. Hostium ma-

magna caedes. Caramamini ira et indignatio, suorumque ad pugnam cohortationes.

XXVI. Hunc Bernardinus conspicatus, sumta a proximo jaculatore catapulta, sagitta in pectore configit. Vulneratus Caramaminus, suos tamen ad pugnam cohortatur, sed duobus praeterea telis confossus occiditur. Alihamatus quoque vulnere accepto ab Henrico Henrique capitur.

XXVII. Tres itaque hostium triremes, biremesque septem captae, una dumtaxat initio depressa, Christianorum nulla desiderata. Capti etiam ex hostibus quadringenti viginti septem. Controversia inter Bernardinum et Henriquem de Alihamato captivo, quem Caesar postea illi adjudicat.

XXVIII. Octingenti quoque triginta septem captivorum Christianorum in libertatem vindicantur. Hispani centum triginta desiderati, et in iis tres triremium praefecti; nongenti sauciati. Bernardinus bis vulneratus, ad Arboranam insulam victor revertitur propter occisorum sepulturam, unde profectus Motrillum, deinde Malacam tertio die pervenit.

XXIX. Eodem tempore Carolus Caesar ex Valentianis urbe in Germaniam pergit conventus peragendi gratia, quem Fernandus frater suo jussu Haganoae habere coeperat ad errores Lutheranos cohibendos, undecim viris doctis Lutheranis totidemque Catholicis Theologis nominatim illuc evocatis.

XXX. Sed conventu in Vangionum Vormatiam translato, Granvella, qui ipsi praesit, remittitur cum tribus Theologis Hispanis et uno Belga.

XXXI. Paulus III. duos legatos Nuntiorum nomine cum quatuor Italicis Theologis Vormatiam mittit. Post longam de ratione disserendi contentionem duobus tandem Theologis, Joanni Eckio Catholico, et Philippo Melanchthoni Lutherano disputatio permittitur; triduoque consumto nihil propemodum inter eos convenit.

XXXII. Hoc cognito Carolus negotium intermitti jubet, ac Ratisbonam rejicit, qui conveniendi locus Germaniae Principibus dictus erat, et quo ipse Caesar multique illorum conveniunt, simulque Gaspar Contarenus Cardinalis a Paulo III. legatus.

XXXIII. Conventu coacto, Carolus de Religionis controversiis tollendis, et de bello Turcico propulsando refert. Tres Theo-

Theologi Catholici totidemque Lutherani deliguntur, qui coram Granvella et Comite Palatino disputent.

XXXIV. Quibus Theologis quotidie disceptantibus, unusquisque suam mordicus opinionem retinet.

XXXV. Totum itaque Religionis negotium ad Concilium universale rejicitur, quod ut cogatur, sese operam daturum Caesar recipit; et auxiliaribus copiis Regi Fernando a Germanis ad bellum Turcicum missis, conventum dimittit.

XXXVI. Joannes Diazius natione Hispanus in Lutheranos errores lapsus, ab Argentina civitate Buceri legati socius atque administer publice Ratisbonam mittitur.

XXXVII. Hujus frater germanus Alfonsus Diazius jurisperitus ignominiosi facti fama commotus, Roma in Germaniam proficiscitur, et ipsum multis lacrymis orat, ne Lutheranorum erroribus se perditum ire pergat. Sed cum nihil proficeret, fratris sanitate desperata, et repetita de Religionis dogmatis disputatione, se victum simulat, atque ab eo petit, ut se in Italiam redeuntem ad serenda nova dogmata sequatur.

XXXVIII. Bucerus Joannem monet, caveat, ne fratris fallaciis opprimatur. Alfonsus Joannem, Buceri dehortationibus deterritum, et consilium mutantem occidere decernit. Dolorem itaque dissimulans, caveat ab Hispanis Catholicis, et ad se frequentes litteras mittat, jamjam discessurus precatur.

XXXIX. Blandis verbis allocutus, et aureos nummos quatuordecim ad inopiam sublevandam tribuens, Augustam discedit. Noctu Nuburgum reversus fratrem per ministrum, se litteras Augustae referre simulantem, obtruncat.

XL. Oenspruchi, fama caedis illuc perlata, capitur, et custodiae datur. De fratris parricidio postulatus gravissimum sibi accidisse, et falso in se conferri respondet.

XLI. Carolus Caesar certior factus Oenspruchum ad Magistratus iterum atque iterum scribit, ut Alfonsi causam ad se referant; deinde ipsam ad Episcopum Tridentinum rejicit; quo factum est, ut Romam incolumis perveniret, atque inde in Hispaniam.

LIB. XX.

I. INterea Carolus in Hispaniam rediturus, Argeliam ex itinere oppugnare constituit, caput

put Regni Barbaroxae, Turcarumque praedonum receptaculum; itaque necessaria huic bello comparari jubet, omnibusque copiis Albanum Ducem praeficit.

II. In Italia quoque Andreae Doriae mittit, ut classem suam paratam habeat; sed Doria sibi Genuaeque patriae a Turcarum classe et a Rege Gallorum metuens, Carolum a bello Argeliensi ad Italiae defensionem traducere conatur.

III. Hoc responso Caesar indignatus denuo Doriae per litteras jubet, ut totus in hujus belli apparatum insistat. Doria negligenter rem administrans, Caesaris profectionem plusquam mensem moratur.

IV. Ratisbona tandem Carolus profectus Oenspruchum procedit, ubi cum septem fratris liberis dies quinque paterna indulgentia consumit.

V. Ad Tridentum urbem generum suum Octavium Farnesium, Vasti Marchionem, et Venetorum legatos; ad Piscariam Ferrariae Ducem; non longe a Mantua puerum, ejus urbis Ducem, cum Gonzaga Cardinali obvios habet; et per Mediolanum, Papiam et Alexandriam Genuam pervenit.

VI. Inde conscensis navibus profectus, Viaregium appellit, et Lucam salutandi Pauli III. Pontificis, colloquendique gratia progreditur.

VII. Septem diebus ad Lucam commoratus, quotidie cum Pontifice de rebus ad publicam Christianorum quietem et Ecclesiasticum Concilium spectantibus colloquitur.

VIII. Ex Luca profectus in portum Lunae et oppidum Spediam revertitur, atque inde solvens ad Corsicae conspectum magna tempestate cum tota classe jactatur. Carolus ipse locum prope Sacrum promontorium nonnihil a ventis tegentem capit.

IX. Dispersis navibus coactis, in portum Bonifacii pervenit, deinde Sardiniam attingens *portum Comitis* intrat, et Algeriam Barcinonensium progreditur valde ab oppidanis muneratus.

X. Sardinia solvens in Magonis portum procedit; atque inde discedens Majoricam urbem intrat, popularibus gratulatione, officio, et muneribus eum prosequentibus.

XI. Interea Dux Albanus cum navibus onerariis ex nova Carthagine profectus in Balearici maris insulas advehitur, et cum eo Proceres Hispani nonnulli, Fernandusque Cortesius Vallis Marchio.

Huc

XII. Huc Bernardinus Mendoza cum longis navibus, quae praesidio sint onerariis, venit. Carolo nuntius de classis adventu mittitur. Argeliam denique litteris a Carolo acceptis cursum dirigunt.

XIII. Bernardino suas naves ad Caxinas compellente, Carolus Caesar in Argeliae conspectum pervenit.

XIV. Promontorio *Metafuso* succedit, et navibus ad eum convenientibus, loco subidoneo ab Argelia passuum octo millibus milites exponit, et copias propius Argeliam deducens castra metatur.

XV. Hoc die multi Nomades Hispanorum agmen lacessunt, et equites nonnulli ex Argelia erumpunt. Carolus ex transfuga de praesidio Argeliae cognoscit. Ducis Albani invictus animus in periculosa navigatione, et ad Carolum adventus.

XVI. In sequenti nocte Nomades Hispanos magno ululatu telis incessunt; die illucescente ab Hispanorum cohorte immissa facile in fugam vertuntur. Carolus castra prope Argeliam movet, et certo ordine copias considere jubet. Tempestate oborta erumpentes hostes partim ab Hispanis repelluntur, partim ad Italorum media usque castra prorumpunt; sed Germanorum auxilio in oppidum rejiciuntur.

XVII. Naves tempestate victae ad terram alliduntur, vectoribus ac nautis partim fluctibus obrutis, partim a Nomadibus equitibus confossis. Nonnullae tamen anchorarum beneficio servantur.

XVIII. Suorum calamitate moestissimus Carolus et cibaria exponendi difficultatibus affectus castra movet ad flumen Haraxam, deinde ad proximum usque promontorium, per triduum sine commeatu procedente exercitu praeter carnes equinas, et humilium palmarum radices.

XIX. Hic Carolus rebus rite perpensis bellum alieno tempore susceptum omittere, domumque redire constituit; et copiis diligenter impositis, ipse cum postremis quadriremem conscendit, ac Buxiam contendit.

XX. Ex Buxia in Hispaniam profectus adversorum ventorum vi in idem oppidum revertitur; sed denuo solvens, et in majores Baleares compulsa classe, in terram descendit. Andream Doriam vectigalibus auget; portumque novae Carthaginis appellit.

XXI. Reversus in Hispaniam Castellae Concilium Valdolitum indicit; civitatum legatis superioris sui discessus ac belli causas

sas exponit ; deinde per internuntios de imperando extra ordinem tributo refert. Legati negant id potestatis ipsorum esse.

XXII. Instante Carolo, placet, ut civitates missis ab eo litteris consulantur, quas humaniter et amabiliter scriptas cum civitates legissent, quaedam non gravate, quaedam aegrius Regis postulatis annuunt praeter Legionenses, Salmanticenses, Sagovienses et Valdolitenses. Gonzali Ledesmae Zamorani legati singularis constantia, seu potius pertinacia.

XXIII. Per id tempus contumeliosus libellus ad fores Divi Pauli affixus ad Caesarem defertur, quo vehementer commotus, Praetoribus aulicis negotium dat auctorem libelli diligenter inquirendi. Hi Latine doctos fere omnes percunctantur, et praeter spem indicio pueri de auctoribus cognoscunt.

XXIV. Duo igitur adolescentes, alter Petri, alter Garciae Lassi filius ex vinculis dicta causa capite damnantur. Carolus, Toletano et Hispalensi Archiepiscopis frustra deprecantibus, Philippi filii precibus tandem exoratur.

XXV. Interea Aragonensium indicto Concilio Burgos progreditur, ubi a Comestabili splendide mensas imperatorias instruente, et aulicorum bonam partem alente, regaliter excipitur.

XXVI. Per *Riogiam* procedens *Sanctum Dominicum* praetergreditur, urbem vetere miraculo celebrem.

XXVII. Ad Logronium perveniens muros vetustate collabentes refici, et Iberi pontem reparari jubet. Hinc flexo itinere Pompelonem contendit. Denique quo die Montisonem intrat, eodem ad coactum Concilium verba faciens rerum proxime gestarum susceptorumque sumtuum rationem reddit, et publica inopia proposita, ut his malis medeantur, utque vicissim ipsi, quae visa sint, postulent, ad extremum rogat.

LIB. XXI.

I. FRanciscus Gallorum Rex indignatus, quod a Carolo Mediolanensem Principatum non impetret, bellum parare non desistit. Carolus in varias conditiones descendit ; quibus a Gallo rejectis, postulata ejus plena cupiditatis et iniqua judicat.

II. Rex igitur spe Principatus Mediolanensis dejectus, ad Solymanum auxilia oratum mittere constituit Fernandum Rinconium, natione Hispanum, suum-

suumque legatum.

III. Rinconius in Augustam Taurinorum proficiscitur, unde Venetias et Byzantium contendere cogitat. Caesaris Fregosi consilium de petenda publica fide ad Mediolanenses fines transeundos, quod Rinconius facere negligit.

IV. Post longam itaque deliberationem secundo Pado, naviculis conscensis, et quinquaginta scloppetariis nonnullisque equitibus praemissis navigant.

V. Vasti Marchio rebus omnibus per indicem cognitis Arcem Asturem, et Petrum Ibarram Cantabrum cum militum praesidio Padum obsidere jubet, et operam dare, ut illos capiant, et Papiam in custodiam deducant.

VI. Hi Rinconium, et socios e Padi ripa conspicati, ad deditionem cohortantur, et ad repugnandum jamjam parantes concidunt. Gallorum Rex necis injussu Caroli factae auctores nominatim ad poenam poscit, sed illi Carolo imperante frustra quaeruntur.

VII. Rex vero, Pollino Gallo legato altero ad Solymanum misso, ab eo impetrat, ut Charadino negotium det Hispaniae oram cum classe infestandi, dum Franciscus ipse exercitum in Cataloniae fines inducere parat.

VIII. Hoc cognito Carolus Comestabilem cum exercitu ad Navarram, Ducem Albanum ad Ruscinonis Comitatum mittit.

IX. Eodem tempore civitatibus et municipiis pedites, Episcopis et Proceribus equites imperat. Ad equites vero, qui equos ad Argeliam amiserant, imponendos per Castellam praecones pronuntiare jubet, siquis velit pro usu mulae equum dare ad bellum, usum mulae ipsi licere.

X. Dux Albanus Perpinianum operibus muniendum curat, et Salsulas, atque Eunam praesidio firmari. Mendoza Bernardinus in portum Veneris arma et belli munitiones exponit.

XI. Joanne Acugna ad Perpiniani propugnationem relicto, Albanus Barcinonem redit, inde cum mille armatis hominibus Francesum Viamontium ad Pyrenaei fauces obsidendum mittit. Gallici exercitus recensio. Henricus Regis filius summam tenet, et Perpinianum appropinquat: Rex ipse ad Seselas castellum subsistit.

XII. Illato prius a Gallis bello, quam indicto, bellum Carolus in eos indicit, et milites imperatos ex omnibus Castellae partibus proficisci decernit. Hispaniae Proceres praeter equites im-

imperatos instructiorem et honestiorem comitatum ex cognatis et domesticis secum adducunt.

XIII. Henricus Gallorum Regis filius vastatis agris ad Perpinianum castra ponit, et illud tormentis oppugnare parat.

XIV. Galli propugnaculum, quod est ad arcem, quatere incipiunt. Hispanis ad duo, quae erant omnino ex ea parte, tormenta nullum telum habile suppetit: sed ferreis globis ab hostibus emissis usi hostilia nonnulla tormenta comminuunt, bonamque partem tormentariorum militum concidunt.

XV. Bezerra et Machuca centuriones, igne cessante, cum suis manipularibus eruptionem faciunt, et quinque tormentorum majorum foramina clavis ferreis obstruunt.

XVI. Henricus, duobus millibus Hispanorum auxilio Perpinianum receptis, oppidum obsidione laxandum existimat, et castris motis, et ad Clarianum castellum munitis, consistit.

XVII. Carolus Caesar confluentes copias, longius agmen reducente Gallo, domum redire jubet. Aurelianensium Dux a patre ad vexandum Belgium cum exercitu interea missus, Lucemburgum, multaque oppida et castella capit expugnatque.

XVIII. Pauli III. Pontificis Maximi ad Gallorum Regem et Carolum Caesarem de pacificatione legatio. Silvam Cardinalem legatum minus indulgenter habitum statim Montisone Carolus dimittit.

XIX. Superatis difficultatibus Caesar tandem ab Aragonensibus impetrat, ut filius Montisone a Concilio Regni successor agnoscatur, ea lege, ut hic tres principes urbes adeat more majorum. Carolo itaque Barcinonem proficiscente, Asturum Princeps Caesaraugustam contendit.

XX. Philippus equo in urbem invehitur, pallio contegente, primisque Magistratibus circumjectis.

XXI. Per Evangelia juratus, servaturum se leges, mores, privilegia, et Aragonensium instituta promittit.

XXII. Paucis diebus Caesaraugustae commoratus per Fragam et Ilerdam Barcinonem proficiscitur.

XXIII. Regionis ariditas, putei, stagna artefacta, cisternae, aliaque aquarum receptacula. Incredibiles siccitates per omnem fere Hispaniam hoc anno consecutae. Ad alendas fruges imbrium penuriae irrigationibus ex fluviis, Ibero ferme omnino excepto, deductis medentur.

In-

XXIV. Incilis fossa infra Tutelam Navarrae urbem jussu Caroli facta ad frumentarios agros irrigandos, ejusque Regii operis firmitudo.

XXV. Barcinoni appropinquans Philippus eodem fere modo, quo ad Caesaraugustam, excipitur, eademque caerimonia postridie juratus civitatem in fidem recipit, quemadmodum etiam paucis post diebus Valentiam.

XXVI. Status civilis Aragonensium adumbratur, et Lacedaemoniorum ab Ephoris gubernatorum comparatur. *Justitiae* sive supremi Magistratus auctoritas et officium.

XXVII. Catalani et Valentini leges a Rege violari, minui, vel temperari, praeterquam publico Consilio suffragante, non permittunt. Aragonensium portoria ita constituta, ut ne Regem ipsum ab ipsis immunem esse patiantur.

XXVIII. Dimisso Andrea Doria Carolus Valentiam procedit, Saguntinis vestigiis, sepulcris, inscriptionibusque ex itinere conspectis.

XXIX. Philippo parentem longiore intervallo subsequenti civitas omnis Valentina obviam prodit. Valentinorum mores, mercatura, artificia, regionis amoenitas, serici et oryzae proventus.

XXX. Carolus Madritium perveniens, evocatis ex Valdolito Regiis Consiliis, incepto olim negotio de rebus ad Novi orbis administrationem pertinentibus finem imponendum esse statuit. Indorum misera conditio. Caroli mandata et decreta aliquot retro annis facta ad Barbarorum libertatem spectantia.

XXXI. Bartholomaeus Casas ex *Hispaniola* redux cuncta verbis exaggerando, et falsa veris affingendo de Indorum injuriis et calamitatibus Caesarem certiorem facit, oratque, ut hominibus nihil tale meritis prospiciat.

XXXII. Jacobus Sancti Petri Caesaris *Confessor*, ipsi, uti negotium accuratius suscipiat, persuadet. Carolus tres jureconsultos, Osorni Comitem, Franciscum Covum, et Sebastianum Ramirem cum Indico Consilio ejusque praefecto Garcia Loaisa rem diligenter cognoscere et consultare jubet.

XXXIII. Ab his admonitus quosdam ex Indico Consilio non satis incorrupte munus suum obiisse, ipsis, ne ante causam dijudicatam conveniant, interdicit; et Montisonem proficiscens, perquirendi negotium Joanni Figueroae committit.

Au-

XXXIV. Audito Figueroa, causaque retractata, Joannem Bernalem Lucum et Gutierrem Velazquem innocentia et integritate perspecta collaudat, reliquos duos consiliarios Consilio removet, quorum alterum ignominiosis poenis et exsilio mulctat.

XXXV. Leges a Carolo promulgatae nimium Barbarorum libertati faventes. Illud praeterea Caesar imperat, nequa expeditio posthac in Indos suscipiatur.

XXXVI. Sed hae leges nec ab Hispanis illas regiones obtinentibus accipiuntur, et magnorum inter ipsos motuum origo exsistunt. Quorumdam Theologorum, alioqui eruditorum, et hos Barbaros injuste et contra legem divinam in ditionem ab Hispanis redigi contendentium error, Sepulvedae doctrina edito libello explicata, multifariam convictus.

XXXVII. His rebus constitutis Carolus in Belgium profecturus Philippum Regno praeficit, ejusque congressibus litterariis cum Episcopo Carthaginensi, Honoratum Joannem et Genesium eumdem Sepulvedam interesse jubet.

LIB. XXII.

I. NIcaenis induciis a Gallorum Rege ruptis Carolus Caesar in Belgium per Italiam ire constituit. Coacta igitur classe, et Andrea Doria cum triremibus accersito, Barcinone solvit, et Genuam appellit.

II. Per Tortonam et Papiam Cremonam venit, ibique cum Cosmo Medice Principatus Florentini negotium transigit. Pauli Pontificis ad Caesarem legatio, ut locus colloquendi gratia constituatur.

III. Bussetum Carolus progressus cum Pontifice saepius colloquitur; sed hoc Generale Concilium Ecclesiasticum cogere recusante, nisi Parmae et Placentiae Principatum a se filio traditum a Caesare confirmetur, re infecta discedunt.

IV. Carolus, Fernando Gonzaga et Francisco Estensi cum nonnullis copiis in Germaniam praemissis, Ducem Mantuanum puerum cum matre et patruo Cardinali, et Venetorum legatos obvios habet, quibus liberaliter de sua voluntate repromittit.

V. Magna cum gratulatione, et caerimonia Piscariam recipitur. Lacus Piscariae. Lacus *Gardae*, olim Benacus, piscatione memorabilis praesertim carpionum.

num. Pauli Jovii laus.

VI. Hispani, quos pisces cum Columella suo *Sardinas* vocant, in lacu Benaco demirantur, oleasque non longe, et limonia praeter algentis regionis naturam. Ejus phaenomeni causa, prout ab antiquis philosophis traditur, explicatur.

VII. Caesar ex Piscaria profectus, Venetis legatis deducentibus, Athesim fluvium trajicit ponte ex naviculis confecto, arcubus, aulaeis, suisque ac Venetorum insignibus ornato.

VIII. Tridentum venit cum Praesulibus Compostellano, Giennensi et Oscensi; sed Concilium non processurum intelligens, superatis summis Alpibus, per Oenspruchum Spiram venit, ubi dies aliquot commoratur, dum milites conveniunt ad bellum, quod in Guilielmum Geldriae Ducem, et Franciscum Regem molitur.

IX. Guilielmo Regi Gallorum studente et annuente, Martinus Rossemius anno superiore Bravantiam invaserat. Antuerpia et Lovanium tunc frustra tentata.

X. Carolus per Joannem Zapatam ad Geldriae Ducem legationem de induciis mittit: quam hic elato animo respuit. Ira accensus Caesar in ejus fines, Duram opgugnandi gratia, copias inducit.

XI. Hanc valido praesidio munitam Hispani Italique milites Gonzaga duce oppugnare aggrediuntur. Murum, qua parte tormenta illum diruerant, conscendere conati magno cum detrimento repelluntur.

XII. Dura capta, direpta, et a Germanis militibus incensa. Caesaris religio et humanitas.

XIII. Rumor de Hispanorum ferocia perhorrenda facie, et inusitata agilitate, dentiumque ad devorandum exsertorum immani longitudine dissipatus adeo ceteras civitates percellit, ut Ducatus Juliacensis, et bona pars *Geldrensis*, et Clevensis se in Caroli potestatem per legatos permiserint.

XIV. Ad Duram biduo moratus Carolus Juliacum divertit, et Ruremondam copias adhibet, quae civitas datis acceptisque ex ejus voluntate conditionibus sese in ejusdem Caesaris potestatem permittit.

XV. Vagnelonem deinde procedit, atque invadere parat; sed Guilielmus Dux rebus desperatis Caesarisque tantum humanitate fretus in ejus castra venit.

XVI. Is in Caroli conspectum cum majestate sedentis du-

ductus, ad ejus pedes cum deprecatoribus Brunzvicensi et Coloniensi Ducibus provolvitur. Brunzvicensis Ducis oratio, Caesaris clementiam adversus Guilielmum implorantis.

XVII. Carolus ad superiorem orationem respondet, et eos adhuc genibus flexis perseverantes surgere, et capita operire jubet.

XVIII. Postridie Guilielmus jurejurando se in Caroli clientelam dicat. Carolus data venia Juliacensem et Clevensem Ducatum eidem restituit, sibi *Geldrensem* retinet.

XIX. Articulari morbo Antuerpiae impeditus Fernando Gonzagae copias in Galliam interiorem inducendi negotium dat. Gonzaga Landresinum oppidum oppugnare instituit; sed praesidio a Gallorum Rege, Caesarianis nec opinantibus, inducto, Carolus eo nuntio commotus, et nondum satis morbo explicitus in castra venit.

XX. Castris igitur collatis, instructaque acie, tribus continuis diebus pugnandi copiam facit. Franciscus silentio noctis a castris digressus, subsequente Henrico filio cum exercitu, Guisam se recipit.

XXI. Carolus hostes insectatus in castra revertit, Cameracum occupat, et copiis in hiberna deductis ipse Bruxellas contendit.

XXII. Interea Charadinus Barbaroxa cum classe adveniens Villaefrancae portum capit, et copiis cum Angieno Gallorum Regis praefecto conjunctis Nicaeam oppugnat, et per deditionem recipit.

XXIII. Arcem quoque oppugnare aggressi, re infecta discedere coguntur, Vasti Marchione cum exercitu jamjam appropinquante.

XXIV. Is, Nicaeae arce rebus necessariis munita, exercitum reducit, et Mondenio Carignanoque oppidis occupatis Mediolanum revertit.

XXV. Angienus cum exercitu a Francisco Rege in Subalpinam Galliam missus cetera fere amissa oppida sine contentione recipit; Carignanum vero obsidione cingit.

XXVI. Vasti Marchio coacto exercitu Carignanum contendit, et praelio cum Angieno commisso Hispani Germanique in acie prima collocati Italos ad tormenta stantes in fugam conjiciunt, et longius procedunt.

XXVII. Sed, ut in hac parte strenue, sic in ceteris male pugnantibus Caesarianis, fugaque undique fieri coepta, Marchio duobus acceptis vulneribus

A-

Astam pervenit. Angienus humanitate ductus captos hostes et dedititios, qui pro victoribus processerant, domum liberos abire permittit.

XXVIII. Parta victoria Carignani obsidionem acrius urget; sed propugnatoribus magno et constanti animo eam sustinentibus Osuum praefectum ad Carignani obsidionem relinquit, cum reliquis copiis Angeum praefectum in Monferratensem agrum vastandi gratia mittit.

XXIX. Carolus auxilia suis victis submittenda comparat. Rex Franciscus bellum in Insubres transferre cogitans Petro Strozo mandata dat, ut milites in Italia conducat.

XXX. Vasti Marchio delectum habet, et ab Italis clientibus et amicis auxilia postulat. Cosmi Medicis singularis fides et officium.

XXXI. Salerni Princeps ad Strozi iter impediendum praemittitur. Stroziani a Caesarianis, insidiis collocatis, in fugam vertuntur.

XXXII. In hoc praelio Georgius Martinengus capitur, et Sommensis Dux, qui beneficio Principis Salerni effugere permittitur. Columna Carignanum ad extremum certis conditionibus dedit, et a Francisco Rege amice receptus, data optione apud se militandi, aut discedendi, domum redit.

XXXIII. Eadem tempestate Alcaudetis Comes Tremezenum recipere constituit pulso Mahumeto Rege, qui pacis et clientelae conditiones negligebat.

XXXIV. Coacta igitur classe, cum filiis et propinquis ex nova Carthagine solvit.

XXXV. Non procul Carthagine tempestas immoderata naves disjicit. Quarto die Comes portum Magnum tenet, quo omnes naves incolumes perveniunt, praeter unam, qua circa Oranum naufragium faciente, oppidum ejusque arx militibus et tormentis, quae in illa vehebantur, muniuntur.

XXXVI. Nomades nihil eorum, quae Abaudillae Mahumeti fratri et Alcaudetis Comiti fuerant polliciti ad Tremezenum recipiendum, praestant.

XXXVII. His difficultatibus affectus Comes profectionem ex portu Magno parat, et milites ad turrim Sanctorum coactos ad laboris patientiam cohortatur.

XXXVIII. Ejus oratio ad milites.

XXXIX. Hac finita saccum biscocti panis pone in equum recipit: cujus exemplum filii primum et ceteri viri nobiles, dein-

de universus exercitus sequitur. Ad insuetum laborem magnae pluviae accedunt. Monzorus cum Hispanis duas amplius horas leviter certat.

XL. Hi postridie Tibidam flumen hostibus acrius repugnantibus trajiciunt.

XLI. In sequente die castra movens circa Tremezenum progreditur, idoneoque loco considet. Hinc litteras ad Mahumetum per quemdam ejus familiarem sibi notum mittit, quibus illum ad pari conditione dimicandum provocat, temeritatem exprobrans.

XLII. Lecta epistola, Mahumetus conditionem haud respuens, suas copias educit. Comes in fronte media equitatum, in utroque cornu pedites extra ordinem vagantes instruit, et extremam aciem veteranos jaculatores claudere jubet, metuens (id quod evenit) ne hostes a tergo Hispanos adoriantur.

XLIII. Alfonsi Villaroleïs facinus. Martinus Corduba et Jacobus Poncius ante omnes citatis equis in confertissimos hostes advolant, signiferos interficiunt, eisque laborantibus et circumventis suus cuique filius succurrit.

XLIV. Hostibus in extremam aciem conversis Hispanorum equitatus propere accurrit: illi impetum tolerare nequeuntes se fugae mandant. Rex ipse Mahumetus cum paucis suorum sese in urbem recipit.

XLV. Comes copias ad Tremezenum admovet, postero die urbem oppugnaturus; sed cognito Regis discessu urbem intrat, praeda militibus permissa. Abaudilla deinde Regno praefecto, ac in fidem et clientelam Caesaris recepto, Oranum cum copiis redire contendit.

LIB. XXIII.

I. PHilippus Asturum Princeps decimum septimum aetatis annum agens Mariam Portugalliae Regis filiam cum ingenti dote in matrimonium ducit. Antonii Portugalliae Principis nuptiae cum Joanna Caesaris filia indotata celebrandae.

II. Huic Philippi matrimonio Summi Pontificis dispensatio impetratur.

III. Methymnae Sidoniae Dux et Martinus Siliceus Philippi legati ad Regnorum confinia mittuntur. Emeritae Augustae insignia antiquitatis vestigia cum via militari, lapidibus milliariorum quinis simulque senis ad intervalla distincta.

IV. Intervallorum lapidum cer-

certissima mensura ab auctore ipso experimento perspecta.

V. Emeritenses Anate fluvio per aestatem paene arescente molarum frumentariarum inopiae solerter subveniunt.

VI. Ex Emerita Episcopus Siliceus Pacem Augustam pervenit, unde obviam accedenti Duci Methymnensi procedit, magno subsequente comitatu.

VII. Theodosius Dux Brigantius, Maria ad oppidum Elves perducta, cum Duce Methymnae Sidoniae propinquo suo ad Cajae ripam colloquitur.

VIII. Hic blanda oratione Methymnensi persuadet, ut in futuro congressu Portugalliae Regis legatis privatus ipse loco cedat.

IX. Methymnensis Pacem Augustam reversus ab Olivarensi Comite ejus fratre vehementer incusatur, et admonetur, ne cuiquam cedat, praesertim temere de primo loco, et ambitiose contendenti.

X. Praemisso itaque Olivarensi Comite, qui Brigantium Ducem de mutato consilio doceat, Methymnensis et Carthaginensis Episcopus cum omni comitatu ad excipiendam Regiam virginem proficiscuntur; sed ad Cajam progressi obvium habent Comitem re infecta revertentem. Redeuntes ergo, ceteris urbem intrare jussis, Dux, Episcopus et Comes cum Jacobo Castillo aulico praetore citra pontem consultandi gratia secedunt.

XI. Audito Ducis Brigantii responso, et re longius deliberata, Alfonsum Henricum legatum de compositione ad Lusitanos mittendum statuunt.

XII. Is ad Elves oppidum procedens rationem proponit, qua difficultas, vel in unum diem, tollatur.

XIII. Lusitani in eam conditionem descendunt, et ad Cajae ripam cum Maria progrediuntur, quam Hispani omnes suppliciter salutant dextram scilicet more gentis exosculantes praeter Ducem Methymnensem et Episcopum, quibus ipsa comiter exceptis, manumque ad osculandum flagitantibus humaniter pernegat.

XIV. Dux Brigantius certis caerimoniis Duci Methymnensi et Siliceo Episcopo Mariam ad Philippum sponsum deducendam tradit.

XV. Maria Asturum Princeps, magna frequentia cleri populique obviam progressa, excepta Pacem Augustam ingreditur.

XVI. Legatorum composita controversia, Dux Methymnensis

sponte sua primo loco Ulyssiponensi Pontifici cedit. Maria per Alburquerquium et *Alcantaram* magno comitatu progreditur. Ducis Methymnensis munificentia.

XVII. Ad Caurium venienti Philippus, paucis comitantibus, mutata veste velataque facie, per speciem venandi Valdolito profectus, fit obviam, et singulis diebus recurrit. Maria Salmanticam editis in via equestribus ludis et praeliorum simulacris aliisque publicae laetitiae monumentis excipitur.

XVIII. Philippus multis proceribus comitantibus Salmanticam ingreditur, ubi sponsalia et nuptiae celebrantur.

XIX. Interea Carolus Caesar ab Henrico Britannorum Rege solicitatus, cum eo redit in gratiam, et belli societate constituta adversus Franciscum Regem necessaria comparat.

XX. Germanorum Concilio Spiram indicto, Caesar in eo de Francisci Gallorum Regis injuriis vehementer questus Germaniae auxilium adversus eum postulat.

XXI. Germani peditum viginti quatuor millia, equitum quatuor cum semestri stipendio Carolo decernunt. Caesar Fernandum Gonzagam antecedere cum parte copiarum, et regios fines invadere jubet.

XXII. Is Luxemburgum, Lignum et Landresinum recipit. Sandesirium vero munitissimum oppidum obsidenti Carolus cum reliquo exercitu adest, et oppugnationem urget.

XXIII. Postridie Hispani quidam sine imperio et ordine in murum evadunt, sed in quartam horam certamine nequidquam producto, telis jam et glandibus exhaustis, signo accepto sese recipiunt, CLXX. amplius amissis, plus CCC. vulneratis.

XXIV. Oppugnatione renovata, adversus Brisacum praefectum auxilium obsessis deferentem Castaldus, Mauritius Saxo et Franciscus Estensis mittuntur, a quibus hostes, paucis fuga elapsis, ceteri caeduntur aut capiuntur.

XXV. Hoc nuntio accepto obsessi legatos de pace iterum atque iterum mittunt. Sandesirium tandem recipitur.

XXVI. Gabriel Guzmanus Monachus Dominicanus, Caroli Caesaris *Confessori* notus, pacificationis auctorem et interpretem se ultro praebet, et Gallorum Rege adhortante in Caroli castra venit.

XXVII. Confessor cum altero Monacho exposita legatione Carolum suppliciter cohorta-

tatur, ne propter Regis culpam in populares et insontes saeviri patiatur.

XXVIII. Caesar Regis prostrati et de summa rerum periclitantis supplex postulatum non respuit, sed legatos viros graves ad se mittere licere respondet.

XXIX. Franciscus Almirallium, magnum Cancellarium, aliosque legatos mittit, qui cum Gonzaga et Granvella Caroli voluntate de pacis conditionibus colloquuntur. Postridie in castra redeuntes re nondum confecta discedunt. Tertio die castra ad Xalonem oppugnandum posita.

XXX. Hic Carolus mutato consilio Lutetiam Parisiorum, si facultas detur, properare statuit; sed veritus Germanorum impatientiam stipendio non soluto, ad eorum praefectos orationem habet.

XXXI. Germani praeter morem suum nullo spatio ad deliberandum sumto fidem et operam liberaliter pollicentur. Caesar Germanis collaudatis castra movet.

XXXII. Itinere non intermisso ingenti vi commeatuum in septem castella a Rege congestorum potitur. Regis legati ad Carolum redeunt, et ad Crepinum castellum pax tandem certis conditionibus constituitur.

XXXIII. Obsidibus acceptis, Carolus pacem Regi dat memor humanitatis, et ut arma junctis viribus adversus Turcas convertant.

XXXIV. Pace reconciliata Henricus Regis filius ad Carolum in castra venit. Caesar Bruxellas revertitur, quo paulo post Eleonora soror Galliae Regina se confert. Carolus Tampae Gallorum Regis concubinae munera mittit magni pretii.

XXXV.—XXXVI. Fernandi Gonzagae et Feriae Comitis dissidium propter Marsiam nobilem et pulchram adolescentulam ex Reginae comitibus; qua de causa Gonzaga Comitem ad singulare certamen provocat.

XXXVII. Carolus eos arctiore custodia asservari jubet. Auctoribus tandem Melignani Marchione et Pyrrho Columna in gratiam redeunt.

XXXVIII. Interea Henricus Britanniae Rex copiis in Galliam trajectis Bononiam expugnat.

XXXIX. Deinde Monterolum oppidum obsidet, sed Gallico exercitu accedente, et a Caesare de pacificatione certior factus, omissa obsidione, domum redit.

XL. Paulus Pontifex precibus Caesaris expugnatus generale

le Concilium Ecclesiasticum Tridenti celebrandum indicit. Carolus in Hispaniam scribit, ut Episcopi omnes itineri sese comparent; certos vero nominatim adscriptos statim Tridentum proficisci praecipit.

XLI. Maria Philippi Principis uxor Valdoliti filium edit; cui nomen Carolo imponitur. Ejusdem Mariae obitus, funera, et Granatam ad monumenta Regia translatio.

XLII. Philippus in Abrogium Franciscanorum coenobium, funeris et exsequiarum cura Praesulibus Proceribusque demandata, secedit, et paucos post dies Valdolitum redit. Joannes Tavera Cardinalis morbo absumitur.

XLIII. Ejusdem Cardinalis Caesari acceptissimi laudes, munera, et in condendo ad Toletum Xenodochio liberalitas.

XLIV. Carolus a Pontifice Maximo petit, ut Archiepiscopatu Toletano per Vicarium administrato reliqui reditus in bellorum adversus Turcas sumtus impendantur; quo non impetrato, Joanni Martino Siliceo, omnia ultro deferenti, idem Sacerdotium mandandum curat. Siliceus ducatorum aureorum quadragena millia in annos pendit, postea triginta tantum, sed deinceps de omni pensione recusat.

LIB. XXIV.

I. CArolus ex Belgio profectus Ratisbonam, quo totius Germaniae Concilium indixerat, pervenit. Saxoniae Dux, Hessiae Lantgravius, Comes Palatinus, Duxque Vitemburgensis ad Concilium se conferre recusant.

II. Saxoniae Dux, et Lantgravius Smelchaldici foederis faciendi auctores fiunt.

III. Ejus foederis conditiones. Quibus fretus Lantgravius Henricum Ducem Brunsvicensem principatu spoliat, et supplicem ad ipsum venientem custodiae tradit. Caesaris imperio neglecto, Henricum liberare, eidemque principatum restituere renuit.

IV. In Ratisbonensi Concilio nihil pium, nihil sanum a legatis impetrat, Germaniam paene omnem Lutherana peste inficiente; quibus indignitatibus Principumque superbia incensus armis rem gerere constituit.

V. Vera belli causa dissimulata, illam solam in vulgus infert et praedicat Principum arrogantiam, et Majestatem Imperatoriam multifariam laesam.

VI. Misso igitur Romam Madrutio Cardinali, Pauloque III. au-

auxilium, pollicente bellum in Lutheranos parat.

VII. In eam sententiam edictum promulgat, quo Germania omnis tumultuatur, Lutheranique manus cogunt, initio ab Augustanis facto.

VIII. Schertellus praefectus ex Augusta ad Alpium fauces obsidendas proficiscitur; atque Erebergo munitissima arce ad deditionem compulsa, Oenspruchum frustra tentat, in agrumque Augustanum redit.

IX. Carolus Petrum Guzmanum praesidio Ingolstadium mittit. Dux Bavariae fidem Catholicam tuetur, sed cunctanter et timide sese initio gerit.

X. Copiis Caesaris nondum hominum decem millia complentibus, Lutherani exercitum conficiunt peditum septuaginta, et equitum decem millibus constantem. Eorum nullum inter initia de opprimendo Carolo consilium.

XI. Caesar Albano Duci proxima sibi imperandi facultate tradita res bello necessarias urget. Alfonsus Vives Hispanas cohortes ex Neapolitanis praesidiis deductas et in Dalmatiam trajectas breviore via in Germaniam ducit; ceteri per Tridentum et Oenspruchum iter dirigunt, quo in itinere Lanzuete oppidum interest munitissimum.

XII. Ratisbonae igitur praesidio Columna relicto, Carolus cum reliquis copiis profectus Lanzuetem pervenit.

XIII. Hostium duces bellum indicendi gratia caduceatorem et puerum cum epistola in Caesaris castra mittunt. Dux Albanus accepta epistola grave responsum dat, simulque Caroli edictum excusum ad duces deportandum caduceatori tradit.

XIV. His diebus Italicae copiae a Pontifice cum nummorum scutatorum trecentis millibus submissae perveniunt, itemque Florentiae et Ferrariae Ducum auxilium equestre, Hispanorumque ex Italia veteranae cohortes.

XV. Coactis copiis Caesar Ratisbonam redit, indeque Ingolstadium movet. Ex itinere militum supplementum Ratisbonam ab hostibus oppugnatam mittit. Trajecto Danubio castra idoneo loco castris conferre constituit, dum auxilium exspectat a Comite Burensi ex Belgio deductum.

XVI. Praemissis Salmonae Principe et Antonio Toleto explorandi gratia, ipse quoque agmen antecedit castris destinata loca consideraturus; sed levi praelio commisso, deinde majori numero hostium ingruente ad locum castris idoneum revertit, ibi-

ibique facultatem hosti summis copiis depugnandi facere decernit.

XVII. Cognito hostium in castra receptu, alterum locum castris accomodatum capit, quem Albanus ducta celeriter fossa munit. Alvarus Sandius ad hostes infestandos noctis silentio progressus, totum exercitum conturbat.

XVIII. Lutherani duces Caroli castra oppugnare constituunt. Carolus ea tueri parat.

XIX. Oppugnatione inchoata tormentisque magno fragore micantibus, Caesar nunc suorum acies inter volantia tela obequitat, nunc ante ipsas intrepido animo consistit. Albanus omnia ad statariam pugnam, si hostis mox impetum faciat, diligenter imperat.

XX. Hostes jaculando defessi, et Caesarianorum tolerantia constantiaque deterriti, cum parum etiam proficerent, oppugnatione desistunt.

XXI. Proxima nocte Carolus castra diligentius munit. Romanorum in castrorum defensione laudatissima consuetudo.

XXII. Postero die scloppetariorum manus ex hostilibus castris emissa a Caesarianis repellitur. Carolus fossam alteram propius hostilia castra produci jubet. Hostes Caesariana castra magno impetu, sed frustra iterum oppugnant.

XXIII. Inter oppugnationem Caesar ad vallum cibum sumit, eodemque tempore ejus cubiculum tormenti telo perforatur. Alfonsus Vives scloppetariorum manum ab hostibus immissam in sua castra compellit.

XXIV. Sequenti die Germanus quidam ex hostilibus castris egressus Caesarianos ad singulare certamen provocat. Hunc Tamajus Hispanus miles aggressus prosternit, prostratumque gladio pernecat.

XXV. Caroli exercitus scloppetarii hostes dies noctesque in armis esse cogunt; qua de causa et cibariorum inopia premente castra movent, et ad Tonabertem in Danubii ripa consident.

XXVI. Caesar hosti longe numero inferior bellum ducere et copias a Comite Burensi ex Belgio deductas exspectare constituit. Burensis, hostibus invitis et prohibere non valentibus, Rhenum trajicit.

XXVII. Idem copias incolumes Ingolstadium perducit, quibus auctus laetusque Carolus hostem insequi constituit. Neuburgum vero antea oppugnaturus, situm ejus diligenter cum ma-

magno suo periculo explorat, et tribus pontibus Danubium eodem die exercitum trajicit.

XXVIII. Neuburgi Magistratus deditionem certis conditionibus pollicentes ad Ducem Albanum rejicit. Postridie Neuburgum recipit.

XXIX. Recensitis copiis Tonabertem versus ad Marquesenam non longe ab hostibus castra ponit, intercedente tamen nemore et confertissima silva. Cujus loci explorata natura, ut expeditiore via hostibus appropinquet, Bendingam occupare parat. Caroli disciplinarum Mathematicarum et Geographiae studium, regionumque Germaniae exquisita cognitio.

XXX. Bendinga recepta, inter eam et Norlingam considet. Ordo, quo ad castrorum locum procedit, describitur. Norlingani praesidium ab hostibus recipiunt. Exploratoribus proxima nocte magnum se hostium numerum vidisse nuntiantibus, Carolus Albano imperat totum exercitum ante lucem esse in armis.

XXXI. Podagra vero ex pede dextro laborans equum tamen conscendit, et in Albani Ducis tentorio jentaculo sumto, consilioque communicato, hunc acies, antequam nebula discutiatur, instruere jubet.

XXXII. Renuntiante Albano hostes sibi visos esse pugnae sese comparare, thoracem et brachialia induit, exercitumque hostibus obviam ire jubet. Copiarum procedentium ordo.

XXXIII. Hostes recta Norlingam contendunt, et castra opportuno loco diligentissime muniunt. Caesar acies in sua quoque castra reducit.

XXXIV. Postridie in hostem movet, et equestri praelio commisso duorum millium passuum intervallo considet. Brunsvicensis Ducis letaliter vulnerati mors. Parva praelia vario eventu facta. Caroli consilium castra movendi, hostesque commeatibus intercludendi.

XXXV. Octavius, Camerini Dux, Tonabertem improvisus ante lucem perveniens, oppidum recipit, et praesidio imposito in castra revertitur.

XXXVI. Carolus Tonabertem exercitum perducit. Postridie mane Telingam procedit, eaque cum Hoschtenta oppido ejusque arce receptis, ad Laugingam proxima nocte considet.

XXXVII. Laugingae milites qui praesidio erant, eadem nocte oppidum relinquunt. Joannes Baptista Sabellus, simulque Aldana et Aguilera praefecti eos in-

insectantur, commissoque praelio, et multis vel occisis vel sauciatis, reliquos in fugam conjiciunt.

XXXVIII. Eodem die Caesar Prensam flumen trajicit, atque in ejus ripa ad Soltem non longe ab Ulma consistit, eam urbem oppugnaturus. Hostes castra castris conferunt.

XXXIX. Mutato consilio Carolus eorum castra noctu invadere constituit; sed hostes omnes in armis esse certior factus, copias re infecta in castra reduci imperat.

XL. Pluviis et luto cogentibus, in priora castra ad Laugingam, et paulo post in sicciorem, et hostibus propinquiorem locum traducit, ducibus, ut tecta milites subire permitteret, ob saevam hiemem frustra suadentibus. Nec quotidianis fere parvis praeliis, et nocturnis invasionibus hostes solicitare desistit.

XLI. Ad cetera incommoda fame accedente, Ducisque Saxoniae fratris a Fernando Rege superati nuntio Lutherani duces de sua salute cogitare coguntur. Adamus Tropus ad Joannem Brandeburgensem Marchionem in Caroli castra epistolam mittit.

XLII. Earum litterarum exemplar, quibus eum rogat, ut se in pacificationem interponat.

XLIII. Ea epistola Carolo recitata, Joannes Marchio ex ejus voluntate Adamo respondet, Caesarem non tam juris, quam aequitatis et humanitatis memorem fore, modo Lutherani duces depositis armis se suaque in ipsius potestatem permittant.

XLIV. Duces, rursus per eumdem Adamum litteris ad Joannem Marchionem missis, colloquium cum eo et Burensi Comite postulant. Eo pernegato, sibi conandum statuunt, si bellum ducentes aut alia ratione Carolum possint ad aequiores pacis conditiones inducere.

XLV. Castra igitur movent. Caesar cum equitatu proficiscitur, Ducemque Albanum extremum eorum agmen carpere jubet.

XLVI. Albanus colliculum occupat. Carolus eum locum castris idoneum tueri, et se exspectare imperat. Tum ineunte prima vigilia in castra redit, et ante confectam tertiam vigiliam exercitum cum tormentis in locum illum perducit.

XLVII. Hostes vero Prensam trajiciunt, et ad Haidem munitissimum castellum castra munit. Caesar commeatuum ratio-

tione impeditus eos illico insectari nequit.

XLVIII. Biduo ibi commoratus hostes discessisse cognoscit, et milites quidem civitatum Ulmam et Augustam, Lantgravium autem et Saxoniae Ducem cum suis in Franconiam contendere. Carolus illis occurrere cupiens Rotemburgum iter dirigit, et ex itinere Bofingam et Norlingam ejusque permunitam arcem recipit.

XLIX. Appetente jam bruma frigoribusque intolerabilibus ingruentibus, praeter ducum opinionem precesque bellum gerere pergit. Itaque regioni, quae Comitibus Hetingae Lutheranis paret, horum fratrem Catholicum praeficit. Tinspinum oppidum per Ducem Albanum in Caesaris potestatem redactum.

L. Carolus Rotemburgum voluntaria deditione recipit. Lutherani duces Caroli adventu perterriti magno circuitu per montes arduos bipartiti domum discedunt.

LI. Burensis Comes Francafortem urbem Caroli jussu oppugnat. Civitatum de pace legationes. Federicus Comes Palatinus Caroli propinquus Hallam Sueviae urbem ad eumdem Caesarem venit, et cum lacrymis supplex veniam precatur.

LII. Caesaris ad ejus postulata responsum, et gravitas singulari humanitate temperata.

LIII. Ulmenses legati se ad Caroli pedes genibus flexis dejiciunt, conceptisque verbis veniam quoque ab ejus clementia postulant. Carolus civitati praeterita errata condonat, eamdemque in suam fidem recipit.

LIV. Albanus cuncta fere Vitembergensis ditionis oppida in potestatem redigit. Vitembergae Dux pacem certis conditionibus mulctaque a Carolo praescriptis impetrat.

LV. Francaforte urbe in deditionem a Comite Burensi accepta, eam et alias praeterea septem civitates Carolus data venia in suam fidem recipit. Ulmam accedentem urbis legati ad genua demissi Hispano sermone salutant, quos Carolus Hispano quoque sermone resalutat, liberaliterque respondet.

LVI. Augustani legati non modo civitati, sed etiam Xertello veniam petunt; qua denegata, legatisque Xertelli milites et popularium studium, ne urbem dedant, causantibus, se vero respondet propediem civitatem eo metu ac difficultate explicaturum. Xertelli ad Senatum Ulmensem oratio humanitatis et prudentiae plena.

LVII. Xertellus urbe discedit. Augustani et paulo post Argentinenses Carolo sese dedunt. Has ceterasque civitates Comitemque Palatinum et Vitembergae Ducem eis conditionibus in suam fidem Caesar recipit, ut Hessiae Lantgravium et Saxoniae Ducem pro hostibus habeant.

LVIII. Interea Franciscus Gallorum Rex, qui occulte eorum Ducum defectionem alebat, missa etiam grandi pecunia in stipendium militare, et Henricus Britannorum Rex e vita migrant. Huic Eduardus filius annorum novem; illi vero Henricus annos natus octo circiter et viginti succedit.

LIB. XXV.

I. JOannes Federicus in Saxoniam reversus non solum sua oppida recipit, sed etiam partem Bohemiae occupat. Carolus Albertum Brandeburgensem Marchionem adversus Saxoniae Ducem Fernando fratri Mauricioque mittit, et bellum per se administrare constituens Norlingam progreditur.

II. Albertus conviviis et tripudiis a Lantgravii sorore indulgenter habitus curam rerum bellicarum remittit, et a Saxoniae Duce oppugnatus vivus in ejus potestatem pervenit.

III. Argentinenses, quamquam superioribus Imperatoribus numquam plane in clientelam dicati, veniam petunt, et in Caroli fidem recipiuntur. Hic ad Norembergam valetudinis causa sex dies immoratus Egueram in Saxoniae confinio contendit.

IV. In hanc urbem Fernandus frater et Mauricius, licet impeditis itineribus ad Carolum perveniunt. Pannonicorum equitum, qui eos comitabantur, armaturae descriptio.

V. Ad Egueram Caesar dies aliquot, quibus Christi Passionis memoria recolitur, subsistit; deinde in Saxoniam movet, et ad Ducem Saxonem, qui ad Maissem urbem prope fluvii Albis pontem consederat, accedit, ipsum, antequam Vitembergam perveniret, si fieri posset, consecuturus.

VI. Hostem ad Milburgum ad fluminis ripam non longe abesse certior factus, tormenta et naviculas praecedere jubet, et e regione hostilium castrorum, copiis inductis, ad fluvium ipse locorum naturam explorandi gratia progressus, fluvium minime illinc vadosum esse comperit.

VII. Homine quodam regionis

nis perito vadum se commonstraturum pollicente, tormenta jubet et mille scloppetarios inter densos frutices disponi. Magna utrimque contentione dimicatur. Hispani decem gladios ore gestantes hostium naviculis adnatant, ipsasque abducunt, Caesarianis naviculis perficiendo ponti non sufficientibus.

VIII. Dum pons ex naviculis disponitur, Carolus cum plerisque equitibus Albim, equis per brevia spatia nantibus, trajicit, nonnullis equitibus singulos scloppetarios in equos recipere jussis.

IX. Hostes ripam et Milburgum deserunt, et in interiorem Saxoniam contendunt, Pannonicis, et Ducis Albani et Mauricii equitibus urgentibus. Carolus, peditatu haud exspectato, solo equitatu hostem numero superiorem insequi, praelioque lacessere constituit.

X. Christi imaginem a Lutherano milite impietate barbarica confossam respiciens, *Si vis*, inquit, *Christe, facile potes tuos hostes ulcisci.* Deinde excitati pulveris nube coactus parumper subsistit, et equitibus cataphractis collectis et instructis rursus accelerat.

XI. Interea Dux Albanus Mauriciusque hostes consecuti adeo vehementer eos urgent, ut Saxo consistens, equitibus scloppetariisque Caesarianos adoriri jussis, ipse idoneum locum capere contendat. His vero magna alacritate procurrentibus hostes in fugam vertuntur. Carolus in nemoris prato suos collecturus consistit.

XII. Hic Joannes Federicus Dux Saxoniae captus esse nuntiatur, qui loricatus, ut erat, et sanguine ex vulnere cruentus in conspectum Caroli perveniens ad pedes desilire parat; quod Carolus facere prohibet, et gravi dato responso Hispanis custodiendum tradit.

XIII. Eodem die Ernestus Brunsvicensis Dux capitur, simulque custodiae traditur. Carolus copias in castra per navalem pontem inducit, et illa verba apud amicos usurpat; *Veni, vidi, vici.*

XIV. Vitembergam movet a Joanne Federici liberorum natu maximo propugnatam. Quo in itinere Tumezhiernem subsidio fuisse Duci propediem affuturum cognoscitur. Brandeburgensis Marchio Delector, et Guilielmus Cleviae Dux Carolum supplices orant, ne quid gravius in captivum Ducem statuat.

XV. Caesar, qui jam de ratione irrogandae legitimae poenae deque loco et die cogitabat, a-

amicorum tandem precibus exoratus constitutis conditionibus Ducis vitae parcit.

XVI. Quibus conditionibus a filiis etiam ejusque uxore acceptis, Vitembergae praesidium imponit; Gotham vero arcem inexpugnabilem solo aequat. Albertus Marchio in libertatem vindicatur. Carolus Ducis Saxoniae uxorem in castra venientem benigne appellat, et postridie honoris causa invisit.

XVII. Caroli Caesaris celeritas in hoc bello conficiendo; quam quidem celeritatem si non adhibuisset, Saxoniae Dux intra paucos dies copiis superior fuerat futurus.

XVIII. Ad Vitembergam Caesar jus suffragii, et huic annexa oppida in Mauricium Henrici Saxoniae Principis filium transfert; milites Hispanos propter facinus ad Milburgum editum, equitesque Hungaros atque eorum praefectos remuneratur. Fernandus Rex ad tumultuantes Bohemiae populos proficiscitur. Hessiae Lantgravius rebus desperatis ad Carolum confugiens Brandeburgensi Delectore et Mauricio Duce deprecatoribus veniam certis conditionibus impetrat; Carolo hoc tantum pollicente se nec in Philippum capitaliter, nec perpetua custodia animadversurum.

XIX. Lantgravius ad Caroli pedes obvolutus orationem habet, qua ejus clementiam implorat.

XX. Carolus ipsi vitam se bonaque condonare respondet, aliaque graviter admodum et humaniter.

XXI. Nullum tamen honorem Philippo sese erigenti habet. Dux Albanus Lantgravium ad coenam invitat, peractaque coena ejus custodiam Joanni Guevarae tradit.

XXII. Hoc Philippus initio impatientissime fert. Caesar omnes arces in finibus Lantgravii, una excepta, demoliri jubet, et undique tormenta bellica partim in Hispaniam, partim in Belgium comportari.

XXIII. Interea Germanorum Hispanorumque ex levi causa exortam seditionem non sine suomet periculo cohibet, pugnamque dirimit. Pauli III. de victoria gratulatio. Caesaris tandem ad Augustam Vindelicorum, quo Germaniae totius Concilium indixerat, adventus.

XXIV. Per idem tempus Genuae Joannes Aloisius adolescens ex Fliscorum familia consilium concidendi Dorias et urbem occupandi cum Hieronymo et Ottobono fratribus, cum Gallo Re-

Rege et Paulo Pontifice, ut quidem creditur, communicat; navesque cogit, sed Andreae Doriae se piraticam exercere velle persuadet.

XXV. Andreas nec Joannetini verbis, nec Gonzagae litteris de insidiis admonentium fidem habet; quin potius epistolam Flisco Comiti ostendit; qua ille perlecta negotium maturat.

XXVI. Amicis itaque ad coenam vocatis orationem habet, qua eorum animos adversus Doriarum praepotentiam exagitat, et ad communem libertatem recuperandam cohortatur.

XXVII. Deinde duobus viris nobilibus consilium improbantibus in cubiculum inclusis, ceteros armat, et domo educit. Copiis partitis fratribusque diversis negotiis commissis, ipse ad triremes Andreae Doriae irrumpit. Joannetinus per insidias occiditur.

XXVIII. Comes autem Aloisius dum ab una triremi in alteram transcendit, in mare decidens suffocatur. Andreae Doriae fuga, tenebrarum et scaphae beneficio.

XXIX. Conjurati, cognito Joannis Aloisii casu, conatu desistunt, et urbe discedunt. Hieronymus Fliscus capite plectitur; Ottobonus in Galliam evadit.

XXX. Paulus III. Pontifex Maximus a Carolo impetrat, Margaritam filiam notham Octavio Farnesio Pontificis nepoti in matrimonium det.

XXXI. De Senensium libertate opprimenda cogitat; deinde de Mediolanensi Ducatu magna vi pecuniarum oblata Caesaris animo frustra tentato, Parmam et Placentiam Petro Aloisio filio, Octavii parenti cum titulo Ducatus in perpetuam ditionem tradit.

XXXII. Sed hoc etiam improbante Carolo, Paulus Pontifex Petrusque Aloisius filius consilia adversus eum cum Henrico Gallorum Rege ineunt; atque ipse Petrus Aloisius Placentiae tyrannorum more se gerit. Augustini Laudii, et Joannis Angusolae conjuratio.

XXXIII. Hi igitur sese in ejus amicitiam insinuantes in arcem intrant, et militum hastas occupant. Angusola in conclave irrumpens Petrum Aloisium confodit, cujus cadaver per fenestram in fossam ejicitur; quo spectaculo deterriti milites urbe discedunt.

XXXIV. Postridie D. hominum armata manus Placentiam inducitur, et tertio die Fernandus Gonzaga adest, urbemque in fidem Caesaris recipit. Gravis

vis de Gonzaga in ea caede, levior de Carolo suspicio.

XXXV. Ceterum pacata Germania habitoque Concilio ad Augustam Vindelicorum, Carolus ad Principes et civitatum legatos verba facit, quibus eos hortatur, ut omnes de religione controversias ad Concilium Ecclesiasticum dijudicandas rejiciant; interim vero ritus Catholicus per omnem Germaniam in pristinam consuetudinem revocatur.

XXXVI. Cunctis annuentibus, scriptura publice de his consultis atque decretis per tres Episcopos conficitur, libelloque jussu Caroli lecto, Moguntinus Archiepiscopus gratias verbis amplissimis Carolo Caesari publico Germaniae nomine agit. Paulus III. tres Episcopos in Germaniam mittit, qui redeuntibus ad sanitatem delictorum et impietatis gratiam faciant.

XXXVII. In eodem conventu nummorum aureorum decies et sexies centena millia Germanis ad belli impensas sarciendas imperantur.

XXXVIII. Caesaris induciae cum Solymano. Hessiae Lantgravius fugam irrito conatu comparat, et in arctiorem custodiam detruditur.

XXXIX. Carolus a quibusdam suorum admonitus, ut lentiore veneno Lantgravium in custodia necet, gravi eos responso coërcet.

XL. Hoc quoque anno Neapoli novam legem de causis haereticorum Hispano ritu cognoscendis promulgari jubet.

XLI. Neapolitani nobiles periculum a lege non minus plebem, quam ipsos adire, et in omni sermone jactant, et Petrum Toletum nihil, nisi tyrannidem moliri, Demosthenis Apologo docent.

XLII. Apologi ipsius, quo Demosthenes adversus Philippum Macedonum usus olim fuerat, enarratio.

XLIII. Legem itaque magno consensu repudiant, deque Proregis injuriis passim queruntur.

XLIV. Petrus Toletus tres adolescentes paene indicta causa necari, deinde ante arcem ex pedibus raptari praecipit. Eam crudelitatem Neapolitani ab ira profectam interpretati, ex repudiata lege concepta, magno fremitu in arcis prospectum concurrunt, atque eminus tumultuario praelio dimicant.

XLV. Induciis factis, Prorex Vallis Marchionem; Neapolitani Placidum Sandum et Salerni Principem legatos ad Carolum mittunt. Salerni Principis ad Gallos defectio. Caesaris rescriptum erra-

erratorum veniam Neapolitanis impertiens, qui de lege silentium impetrant.

LIB. XXVI.

I. COnfecto bello Germanico, Carolus Philippum filium in Belgium ad se vocare constituit, ut pro Patris successore recipiatur. Albanum itaque Ducem eo consilio in Hispaniam mittit, qui omnia ad profectionem paret, et novam formam et ordinem familiae ad morem Burgundiae instituat.

II. Ad decimum igitur octavum Kalendas Septembris prandente Philippo initium fit novi moris. Maximilianus Austriae Archidux in Hispaniam Caroli jussu proficiscitur, ut Regni administrationem cum Maria uxore obeat.

III. Castellae Comestabilis Maximiliano obviam procedere parat, qui quidem e Genua in Hispaniam navigans in quartanam incidit, et Barcinone, et ad montis Serrati coenobium tantisper subsistit Madruccio Cardinali assectante.

IV. Ex monte Serrato Maximilianus Valdolitum contendit. Comestabilis Valdolito digressus cum quingentorum equitum comitatu Proceres cum suis familiis ceteramque turbam, itemque Maximilianum ejusque comitatum splendide diebus quinque alit.

V. At Tutelam, deinde ad Olivares vicum procedens Maximilianum prope adesse cognoscit; et ne ad pedes ipse ceterique Proceres descendere cogantur, nuntiatum mittit, ut ad Quemadam praetorium divertat, hospitium Maximiliano magnifice a Comestabili paratum.

VI. Huc ipsi Comestabilis adest, ceterique Proceres venerabundi salutant. Nocte sequenti Philippus ipse officii et salutandi gratia per equos dispositos venit, coenatusque Valdolitum revertit.

VII. Valdolito accedenti Maximiliano Philippus obviam procedit, in Regiamque deducit. Ejusdem cum Maria nuptiae celebrantur.

VIII. Philippus, Regni procuratione Maximiliano et sorori tradita, cum parvo principum virorum comitatu Rhodopes portum proficiscitur. Ad Montis Serrati coenobium sacramentum confessionis et poenitentiae patrat, Piscariaeque Marchionem obvium habet.

IX. Barcinone ad aedes Stephaniae Joannis Zugnigae nutricii sui viduae divertit. Gerundam Regio more intrat, atque in-

inde Castellionem progreditur.

X. Postridie Rhodopen procedit, quo magna Hispanarum, Sicularum, Neapolitanarum, et Genuensium triremium classis convenerat. Ad portum accedenti Philippo Andreas Doria obviam prodit, et in scapha regaliter instructa exceptum in praetoriam quinqueremem ingenti gratulatione deducit.

XI. Castellionem eodem die Philippus revertit, et profectionem differt, dum commodior tempestas ad navigandum exspectatur. Principum virorum, qui illuc confluxerant, tituli et nomina.

XII. Kal. Novembris Asturum Princeps cum intimis familiaribus quinqueremem conscendit; eodemque modo Proceres naves sibi attributas. Postridie Andreas Doria profectionis signum dat.

XIII. Philippus littora legens tertio die portum Veneris intrat, et idoneam tempestatem spectans Perpinianum invisit. Ad naves per Elnam revertens non mediocre periculum adit latere coctili ex alta turri decedente.

XIV. Dies aliquot commodiore tempestate frustra exspectata, statuit, quacumque ratione detur, procedere. Aegre igitur contra ventos nitendo ad Fossam Marianam pervenit, unde Genuam ad Caroli patris legatum scribit, qui navem commeatu onustam sibi obviam mittat.

XV. Sedata tempestate, ad Stoechadas insulas progreditur, ubi navis commeatibus onusta satis opportune occurrit. Magna tormentorum bombis facta a Nicaea Genuam usque gratulatio. Sabaudiae Ducis amplissimum et gratissimum cibariorum munus.

XVI. Savonae portum intrat, quo Genuenses legati, Cardinales et Italiae Principes nonnulli officii gratia confluunt.

XVII. Classis ex Savona profectio. Astoricensis Marchionis filii circa Genuae pharum, triremi fracta, naufragium.

XVIII. Genuensem portum subeunte classe ingens ex propugnaculis salutatio. Philippus in Andreae Doriae praetorium suburbanum regaliter adornatum a Genuensium Duce, itemque a Cardinalibus Doria et Cibo excipitur.

XIX. Principum, Rerumque publicarum, Pauli Pontificis, Fernandi Romanorum Regis, Senatus Veneti, aliorumque Italiae Principum legationes. Civitatis Neapolitanae munus magni pretii. Legati vicissim a Philippo ad Paulum Pontificem Senatumque Venetum missi.

Ex

XX. Ex Belgicis praesidiis centuriae duae Hispanorum cum praefectis Genuam conveniunt Philippi custodiae causa. Genuensium inopinatus tumultus Andreae Doriae auctoritate comprimitur.

XXI. Philippus magno comitatu per vias et plateas pulcherrime ornatas, perque arcus triumphalibus similes, urbem ingreditur, et a clero ad templum Laurentii exceptus rei divinae interest.

XXII. Principis Doriae, et Marci Centurionis uxores, Joannetinique Doriae viduam honoris causa invisit. Quindecim dies ad Genuam moratus, toto eo tempore Philippus ac universa familia et Dux Albanus ab Andrea Doria regio apparatu et splendidissime aluntur.

XXIII. Genua discedens per viam difficillimam tanto labore et periculo fertur, ut partem itineris suis pedibus facere cogatur. Alexandriam Pallae tandem pervenit.

XXIV. Ad Tortonam Joannes Marchio Bergensis adest, a Reginis amitis officii gratia ex Bruxellis missus. Ad Papiam septum muro locum, *Parcum* dictum, libenter videt, ubi Rex Franciscus captus; et *Certosa* sive Carthusianorum coenobio perspecto, Binascum procedit.

XXV. Mediolanensium apparatus ad Philippum recipiendum, cui appropinquanti Sabaudiae Dux, Senatus Mediolanensis, procuratorque Gonzaga occurrunt.

XXVI. Philippi, ejusque comitatus incedentis ordo.

XXVII. Ejusdem per pontem supra portam aedificatum ingressus. Tum per vias regaliter adornatas ad templum maximum veniens Deum veneratur, et in aedes convenienter personae instructas divertit.

XXVIII. Insequentibus diebus Carolum Sabaudiae Ducem, et Fernandi Gonzagae uxorem officii gratia salutat. Prandium apud Joannem Lunam arcis praefectum. Equestris certaminis simulacrum. Hippolytae Fernandi Gonzagae filiae cum Fabricio Columna nuptiae.

XXIX. Discumbentium cum Philippo Principum, et Procerum ordo, et Gonzagae in rebus ad epulum pertinentibus diligentia.

XXX. Philippi cum nova nupta, Procerumque cum matronis et virginibus principalibus saltationes.

XXXI. Militaris pedestris certaminis, et *arundinei ludi* celebratio.

XXXII. Senatus populique Mediolanensis munus. Alfonsi Aguilarii a Carolo Caesare ex Bruxellis Philippum salutandi gratia missi adventus, et ad Caesarem reditus. Madruccii tandem Cardinalis Tridentum profectio.

XXXIII. Ex Mediolano discedens Philippus Canem venit oppidum in finibus Mantuanis. Huc obviam procedit Hercules Gonzaga Cardinalis.

XXXIV. Ferrariensis Dux Philippo Mantuam accedenti occurrit, et ad pedes salutaturus descendit. Philippus a Mantuano Duce ac civitate obviam progressis excipitur.

XXXV. Illius in urbem cum magna pompa et gratulatione ingressus.

XXXVI. Proficiscenti Philippo epulum a Ducibus Mantuanis ad praetorium regaliter apparatur, eumque ad fines Venetos deducunt.

XXXVII. Senatus Veneti legatorum officia, munera et gratulationes. Octavii Farnesii adventus. Philippus Doltium perveniens Venetos legatos muneribus donat; et equites ad Mediolanensia praesidia redire jussos dimittit.

XXXVIII. Borgetum accedenti Madruccius Cardinalis cumque eo legati Oenspruchenses obviam procedunt. Ad Halam, et deinde ad Roberam oppidum venit.

XXXIX. Tridenti urbis brevis adumbratio. Philippo illuc ingressuro prodeuntium obviam ordo.

XL. Cardinalis Augustanus, Mauriciusque Dux Saxo Philippum salutant, et ad latera recipiuntur. Is ad templum ingenti cum gratulatione, deinde in arcem deducitur. Tridentinorum maximeque Madruccii Cardinalis in adventu Philippi celebrando diligentia, et liberalitas.

XLI. Tridento profectus Philippus Bolzanum venit. Hic Tirolensis Comitatus nomine ingentis ponderis argenteus nummus ipsi datur. Oenspruchum progressus sorores patrueles libentissime videt. Bavariae Ducis, ejusque patrui Salseburgensis Archiepiscopi ad Philippum adventus.

XLII. Philippus Rotembergam ad ripam Oeni fluminis procedens, Oeno secundo biduum navigat, et Eberspergam, deinde Municham pervenit, in palatiumque deducitur.

XLIII. In conclave exceptus, cum Duce ejusque uxore, et cum Anna sorore patruele inusitata pulchritudine femina, ceteris-

risque principibus viris discumbit. Post coenam cum Anna et Ducis filia Mathilde saltat.

XLIV. Augustae Vindelicorum ad Antonii Fucaris magnificas aedes divertit. Hispani *Archibusarii* in aula ad corporis Philippi custodiam noctibus excubare jubentur. Civitas argentea duo pocula, inque his mille nummos aureos mittit.

XLV. Non procul ab Ulma Jacobus Arze militum tribunus Philippo cum duobus equitum levioris armaturae turmis occurrit, et ad Spiram usque deducit. Danubii origo, cursus, et diversa nomina.

XLVI. Augustanorum munus et officia. Vittembergensis Ducis legati. Silinghae urbis poculum dono missum. Heildelbergam progressum Philippum Comes Palatinus ejusque uxor Regio apparatu accipiunt.

XLVII. Rheni amnis origo et cursus. Spira imperatorii Consilii sedes. Germaniae a veteribus rursusque a recentioribus divisio.

XLVIII. Philippus Rhenum trajicit. Arescoti Ducis ipsum Bruxellis cum praesidio deducturi adventus. Spirae sacellum imperatorium, in quo octo Romanorum Reges conduntur.

XLIX. Moguntini Archiepiscopi officia. Spirae munera. Arzis tribuni militum discessus. Isemburgensis Archiepiscopi ad Sarbruchum oppidum salutatio. Luxemburgensium gratulationes.

L. Henrici Gallorum Regis ad Arlonem officii gratia ad Philippum legatio. Namurensium et Luxemburgensium, omniumque populorum a Genua Bruxellas usque officia et dona.

LI. Vabram Philippus, deinde Vuram in praetorium venit, et a Maria ejus amita regaliter exceptus militare ludicrum spectat.

LII. Ejusdem ludicri descriptio.

LIII. Bruxellas tandem Philippus solemni pompa ingressus, ab amitis Eleonora Galliae, et Maria Hungariae Reginis ad laetissimum et optatissimum patrem Carolum deducitur.

LIV. Tres circiter annos ad eas regiones Philippus cum patre commoratus, ab illarum mortalibus pro succesore salutatur, ipseque leges, privilegia moresque majorum servaturum se jure jurando obstringit. Eas obiens nihil ad conciliandos hominum animos omittit; equitat, jaculatur, et equestris pugnae simulacra libenter exercet.

LV. Infestis equis cum Zugniga aequali suo concurrens, se-

semianimis ex equo deturbatur, atque in lectum deportatus sanguine misso in tertium diem jacet. Caroli ad eum nuntium conturbatio, et amantissima ad filium verba. Idem Caesar Zugnigam ad se accersitum pro sua humanitate consolatur.

LVI. Paulus Pontifex de nece Petri Aloisii filii, deque occupata Placentia dolens, Carolum per legationem rogat, ne gravetur, eam urbem sibi et Ecclesiae restituere. Placentiam Carolus Ecclesiastici juris esse negat.

LVII. Ille igitur ira flagrans, ut rem faciat Caesari ingratissimam, Bononiam ad suos legatos scribit, dent operam, ut Concilium dimittant, quod in eam urbem translatum fuerat, reclamantibus et Tridenti remanentibus Hispanis Episcopis.

LVIII. Joannes Maria Montius Concilii Patres persuadet, eisque domum discedentibus Concilium intermittitur.

LIX. Hac occasione fretus Paulus Concilium se restituturum Carolo pollicetur, modo ipse suis postulatis annuat.

LX. Carolus vero conditionem fert, si Parma et Placentia ditioni Mediolanensi restituantur, se Octavio Farnesio abunde satisfacturum.

LXI. Hanc conditionem pertinaciter aspernante Paulo, Octavius tamen et Alexander Cardinalis accipiendam judicant. Camillus Ursinus Parmae praefectus Octavio arcem occupare per fraudem tentanti denuntiatum mittit, uti nulla interposita mora oppido discedat. Octavii discessus. Pauli Pontificis animi dolor; cui morbo absumto Julius tertius sufficitur.

LXII. Carolo ad Belgium Germaniamque commorante, Hispaniae tranquillitas. Justa Philippi primum, deinde Maximiliani et uxoris Mariae procuratio. Dragutis piraticae excursiones ex Aphrodisio urbe in Africae ora maritima.

LXIII. Aphrodisienses ab Hazeno Rege ad Solymanum deficiunt, tandemque sese in libertatem vindicant. Dragutes praedo tyrannidem civitatis invadit.

LXIV. Andreas Doria jussu Caroli Dragutem, ejusque classem deleturus in Siciliam navigat, et ad Drepanum alias triremes sibi adjungit.

LXV. Dragutes stationibus subinde mutandis conatus ejus frustratur. Doria in Africam conversus Monasterium cum arce expugnat; et ad Aphrodisium tentandum per Fernandum Vegam ab ejus patre Siciliae Prore-

rege auxilium petit.

LXVI. Fernandus diligenter cum patre agit; sed Prorex rebus imparatis tantum negotium suscipere temeritatis esse judicat.

LXVII. Ceterum Joannem Ossorium ad Doriam mittit, qui difficultates proponat. Doria cunctis difficultatibus se mederi posse confirmans, tam praesentem occasionem haud praetereundam contendit.

LXVIII. Hoc renuntiato, Vega cum rebus necessariis ad Panormum triremes conscendit, Drepanumque ad Andream properat. Garcias Toletus, exorato patre Neapoli Prorege, cum magno commeatu eodem revertit.

LXIX. Ex Drepano conjuncta classe Aphrodisium adnavigant, expositisque militibus castra ponunt, et oppugnationem inchoant. Diruta parte muri irruptio frustra tentatur.

LXX. Hazenus Rex ab Hameto filio oculis privatus Regnoque pulsus, quique Caroli impensis alebatur, morbo correptus in castris mortem obit.

LXXI. Dragutes obsessis opem laturus Aphrodisium contendit.

LXXII. Insidias idoneo loco collocat. Vega cum delecta manu praesidio lignatoribus ire constituit eo die, qui divo Jacobo festus agitur.

LXXIII. Garcia igitur Toleto tuendis castris relicto proficiscitur; deque hostium adventu a praemisso speculatore cognoscens copias ultra perducit, suosque ad virtutem cohortatus signa in hostes inferre jubet.

LXXIV. Acriter utrimque dimicatur, sed primo impetu hostes sua multitudine Hispanos premunt, qui ducis praesentia recreati, Dragutis milites pedem referre cogunt. Palomares signifer, et Ludovicus Perezius Vargas fortissime dimicantes occiduntur.

LXXV. Pulsis hostibus Vega suos in castra reducit. Garcias Toletus hostes extremum Vegae agmen carpentes reprimit.

LXXVI. Interea Aphrodisii custodes eruptionem faciunt, sed ab Hispanis duce Garcia Toleto rejiciuntur. Alvarus Vega Dragutis milites tela in castra jaculantes in fugam conjicit.

LXXVII. Mahumeti Curibis Regis cum Hispanis foedus, et officia.

LXXVIII. Dragutes victus ad suas se naves recipit. Antonius Doria in Siciliam, Marcus Centurio Mediolanum mittuntur, ut commeatus et militum supplementum deportent.

In-

LXXIX. Inter haec castra muniuntur, et oppugnatio renovatur. Sed oppugnationis a terra difficultate ex perfuga cognita, et re ex triremibus non procedente, nova ratio initur Garciae Toleti potissimum ingenio excogitata.

LXXX. Ex duabus triremibus machina exstruitur, atque in eam tormenta imponunt. Antonii Doriae et Marci Centurionis reditus.

LXXXI. Coagmentata machina remulco deducitur, simulque tribus ex partibus muri concutiuntur; sed injecto igne machinae partem incendunt.

LXXXII. Vix incendio compresso tormentarii ministri ad Doriam mittunt, ut machinam telis hostilibus subtrahendam mandet. Oriola tamen centurio cum centum manipularibus machinam conscendens eorum animos confirmat. Eidem graviter vulnerato Solisius sufficitur, quo curante bona pars muri eodem die dejicitur.

LXXXIII. Postridie milites accepto a Vega signo tribus partibus irrumpere nituntur. Fernandus Toletus militum tribunus interficitur. Aphrodisienses fortissime propugnant. Aphrodisium tandem in Hispanorum potestatem pervenit.

LXXXIV. Expugnato direptoque Aphrodisio diruta moenia reficiuntur; sed paucis post annis Carolus ea demoliri jubet.

LXXXV. Doria Dragutem persequi pergens Meningis insulae sinus aditum obsidet. Dragutes obstantem arenam suffodiens exitum navibus aperit, delusoque Doria incolumis profugit.

LXXXVI. Inter haec Carolus a Fernando fratre omnibus precibus contendit, ut Philippus filius Imperii Romani successor eo volente constituatur. Fernandus ad Maximilianum filium magis etiam, quam ad se hujusmodi negotium pertinere respondet.

LXXXVII. Maximilianus ex Hispania in Belgium evocatus nullis precibus exorari se patitur. Ejusdem orationis exitus.

LXXXVIII. Hanc repulsam Hispani haud graviter ferunt. Caroli bella, infiniti sumtus, ab Hispania absentia, et Philippi Hispaniae desiderium.

LXXXIX. Philippus repentina febri pleurisique corripitur; valetudine recepta in Hispaniam ex Augusta proficiscitur.

XC. Christianorum Principum pax. Carolus afflictae per Germaniam religioni subvenire cu-

cupiens, de Concilio Tridentino renovando cum Julio III. agit. Ipse Germanorum Concilium rursus Augustam Vindelicorum advocat.

XCI. Nonnullis Electoribus et civitatum legatis convenientibus, decreti Augustani violati atque contemti rationem ab ipsis poscit. Illorum responsum.

XCII. Leges a Carolo in haereticos latae confirmantur. Magnus inde cunctorum haereticorum timor, magnaque proborum virorum spes, quae Carolum non decepisset, nisi adversus pios ejusdem conatus nonnullorum animi odio et invidia exagitati fuissent.

XCIII. Concilio Tridentino renovato Crescentius Cardinalis, Sebastianus Pighinus, Aloisiusque Lypomanus *Nuntiorum* nomine praesunt. Prima et secunda sessione initium deliberandi prorogatur.

XCIV. In tertia sessione Lutheranis a Concilio fides publica datur; cui quidem Concilio Episcopi sexaginta duo, quorum Hispani viginti quinque erant, intersunt. Ex Gallia Transalpina nullus a Rege Henrico convenire permittitur, qui omnes occasiones captat Carolo vel cum sua infamia molestiam exhibendi.

LIB. XXVII.

I. JUlius III. Octavium Farnesium Parmae Ducem jure perpetuo confirmat. Octavius a Caesare petit, ut Pontificis decretum comprobet. Hic respondet Parmam et Placentiam ad Imperatoriam clientelam pertinere.

II. Hujus repulsae dolore perculsus Octavius, a socero ad Henricum Gallorum Regem deficere statuit, qui quidem paternam societatem cum Solymano palam et studiose colit.

III. Octavio igitur omnem suam opem ad Placentiam invito Carolo recuperandam pollicetur; eo scilicet consilio, ut bello in Italia conflato Concilium Tridentinum dissolvatur, non ignarus nihil se Carolo molestius efficere posse, nec ad Germaniae defectionem accomodatius.

IV. Itaque apud coacti Concilii Patres per legatum agit, omnemque suam culpam in Pontificem et Caesarem confert; simulque petit atque obtestatur, ut incepto desistant, atque id officium in tranquilliora tempora rejiciant.

V. Pontifex injurias jure naturali repellit. Henricus, Octavii patrocinio suscepto, pecuniam ei

pro stipendio per Horatium fratrem mittit. Horatius cum pecunia in finibus Florentinis comprehensus jussu Cosmi Medices liberatur.

VI. Cognito Octavii consilio, Julius Pontifex ipsi denuntiat, ne ab officio discedat. Octavius tamen Gallici generis milites cum praefecto Therme in urbem recipit. Pontifex consilio cum Caesare communicato, et pecuniam ab ipso mutuatus, copias Joanni Baptistae Montio ad oppugnandam Parmam attribuit.

VII. Fernandi Gonzagae copiarum cum Pontificis conjunctio, Adversariorum eruptio, et Joannis Baptistae vulnus. Gonzaga eumdem Montium Mirandulam obsidione premere jubet. Petrus Strozus agrum Bononiensem populatur.

VIII. Hujus milites, praelio commisso cum Joannis Baptistae manu, fere omnes dissolvuntur. Manfredus Tornieli Comes Strozum atque Horatium Farnesium Parmam revertentes fugat. Farnesius idem in pugna capitur; sed negligentius custoditus fuga evadit.

IX. Gonzaga Scornum agri Parmensis oppidum arcemque ipsam expugnat.

X. Petrus Strozus Gonzagae castra adoritur; ad extremum Galli Parmam repelluntur. Multae praeterea tumultuariae pugnae varia fortuna fiunt.

XI. Andolotus et Sepierus ex Gallis proceribus ad Soranam castellum ire properantes a Franceso Viamontio, commisso in itinere praelio, capiuntur.

XII. Interea Brisacus Henrici Regis praefectus ad Taurinos et Subalpinam regionem varia castella dolo capit. Henrici Regis simulatio et fraudes. Gonzaga summa obsidionis Parmensis Melignani Marchioni tradita, ipse Astam adversus Gallos contendit.

XIII. Joannes Baptista a Mirandulae obsidione jussu Julii Pontificis discedens Parmam movet, et erumpentibus adversariis tumultuario praelio occiditur. Julius Pontifex petenti Octavio duorum annorum inducias concedit, Henricum Regem maxime respiciens Romana vectigalia multum deterentem.

XIV. Ad Astam Franciscus Estensis et Alvarus Sandius jussu Gonzagae militarem manum illos fines excursionibus infestantem ad deditionem cogunt. Ceba castellum eisdem Gallorum artibus in hostium potestatem pervenit; quod Francesus Viamontius, arcemque non multo post recipit.

Ca-

XV. Carolus Caesar a Concilio Tridentino et motibus Italicis propius abesse cupiens, Oenspruchi commoratur. Henricus Rex Germanorum Principes ad defectionem solicitat appellatus initio a Mauricio Saxone, et Alberto Marchione Brandeburgensi. Hi Carolo succensent, praesertim Mauricius, quod quintum jam annum Lantgravius socer arce inclusus tenetur.

XVI. Henricus Rex, foedere cum Mauricio et Alberto inito exercitum in Germaniam inducere parat. Hi copias contrahunt, litterisque quoquoversus dimissis et evulgatis, Germanos, ut se a servitute vindicent, et captivos Principes liberent, cohortantur.

XVII. Mauricius et Albertus itemque Guilielmus Lantgravii filius copias conjungunt, assectante Episcopo Bajonensi Henrici Regis legato, plura oppida per deditionem capiunt, Magistratus abrogant, pecuniam imperant.

XVIII. His motibus Tridentum nuntiatis, Patres Concilium in commodiorem tempestatem rejiciendum esse decernunt, Hispanis Episcopis reclamantibus. Caesar ad Philippum filium scribit, ut militem Hispanum et pecuniam submittat; et Joannem Federicum Saxoniae Ducem custodia liberat.

XIX. Ulmam Albertus et Guilielmus frustra obsident. Henrico Regi obsides dant, et ab eo accipiunt. Mauricius Fernandum Regem convenit, qui eum monuerat, ut a periculoso incepto desisteret, suam operam ad Lantgravii liberationem pollicitus.

XX. Mauricius apud Regem Fernandum Caroli legatis adhibitis accurate verba facit.

XXI. Fernandi Regis ad Mauricium Caesaris nomine responsio.

XXII. Ad socios igitur Mauricius revertit, copias recenset, movensque iter ad Alpes flectit, Brandeburgensis interea suas copias in Noribergensem agrum inducit.

XXIII. Henricus Gallorum Rex cum exercitu, Memoransio Comestabili antecedere jusso, in Germaniam progreditur Germaniae libertatis se assertorem professus. Comestabilis Metim imperatoriam urbem per dolum occupat. Rex dolo et vi Tullum et Virodunum et Lotharingiam capit, et praesidia imponit.

XXIV. Argentorati potiundi spe dejectus, agros quacumque pergit populatur. Multorum Germaniae Principum ad ipsum legatio, qua petunt, ut in-

injuriis modum faciat, et exercitum in suam Galliam reducat.

XXV. Martinus Rossemus Galliam Regiam per eam partem, quae *Picardia* dicitur, devastat, quo nuntio et Principum consensu Mauriciique litteris commotus Henricus Rex ab incepto desistit.

XXVI. Ceterum ad Mauricium de pacis conditionibus cum Carolo Caesare agitandis exquirentem arroganter rescribit. Ad Principum quoque legationem respondet.

XXVII. His datis responsis, retro castra movet, et ad Lucemburgum delatus agrum populari ac aedificia incendere pergit. Rossemo domo redeunte, copias Rex dimittit. Mauricius vero et Guilielmus Oenspruchum versus ad Carolum per Alpes exercitum convertunt, et arcem Erebergum Alpium angustiis impositam recipiunt.

XXVIII. Quo cognito Carolus raptim Oenspruchо discedens Villacum celeriter contendit. Mauricius paulo post Oenspruchum intrat, ejusque rebus direptis in Germaniam Passaviumque revertit.

XXIX. Eodem conveniunt Rex Fernandus, Bavariae Dux, Carolique et Electorum ac civitatum legati; in quorum quidem conventu Mauricius Germaniae conditionem deplorat, et tantis malis remedium adhiberi postulat.

XXX. Fraxineus quoque Henrici Regis legatus de Caroli Regis injuriis Regi suo illatis, de Germaniae libertate et de pace plura disserit.

XXXI. Ad hanc orationem Fernandi Regis conventusque nomine responsio.

XXXII. Idem Rex ad Mauricii postulata graviter et perspicue respondet.

XXXIII. Indignantem tamen Mauricium, quod Lantgravii soceri liberatio differatur, separatim alloquitur. Villacum itaque progressus Mauricio veniam, et Lantgravii liberationem a Caesare impetrat.

XXXIV. Inter haec Albertus Brandeburgensis regiones, quae sunt ad Rhenum fluvium, incursionibus infestare non desistit. Carolus ira odioque flagrans non tam in seditiosos Germanos, quam in Galliarum Regem, manus ex Hispania cum pecunia exspectat. Philippo filio paterna jussa diligenter administrante, militum manus conficitur, et Malacam mittitur ad Andreae Doriae classem, simulque signati argenti magna vis importatur.

Clas-

XXXV. Classis Genuam appellit. Procerum expositorum nomina.

XXXVI. Dux Albanus, et cum eo nonnulli Hispaniae Proceres Carolo ex Villaco redeunti juxta Oenspruchum obvii fiunt. Joannes Guevara Hispanos milites, Melignani Marchio Italicos ex Mediolanensibus praesidiis in Germaniam ducunt.

XXXVII. Caesari Menincham contendenti Agustanorum legati praesto sunt suppliciter veniam petentes.

XXXVIII. Carolus accepta excusatione urbem ingreditur, Joanni Federico Saxoniae Duci domum abeundi potestatem facit, Senatumque in pristinum statum restituit.

XXXIX. Ducem Albanum, proxima sibi imperandi facultate tributa, copiarum partem in Vitemburgensem Ducatum inducere jubet; ipse Ulmam progreditur. Ulmensium, Argentinensium, Francafortensium et Ratisbonensium erga Imperatorem fides. Ad Landavium oppidum conjunctis copiis stativa dies amplius quindecim habet.

XL. Metis urbis ab Albano oppugnatio. Alberti Brandeburgensis circum ea loca praedae et excursiones, ejusque indignatio, quod stipendium a Rege Gallo sibi non mittitur.

XLI. Albani consilium de Brandeburgensi Marchione Carolo Caesari reconciliando. Brandeburgensis Albano gratias agit. Hic Alberto veniam a Carolo impetrat.

XLII. Carolus articulari morbo afflictus Teunvillam sese recipit, rerum omnium cura Albano tradita. Alberti pedites in Caesariana castra transire renuunt, ab Aumalio scilicet Gallorum praefecto solicitati.

XLIII. Albertus vero cum solo equitatu statim in Gallos movet, eosque fugat, captoque praefecto in Caesaris castra copiis omnibus contendit.

XLIV. Militum numerus, quibus, consilii potissimum auctore Albano, illud quidem probante Carolo, sed praefectis fere omnibus et anni tempore dehortantibus, oppugnata Metis fuerit, recensetur.

XLV. Albani in obsidione et oppugnatione urgenda summa cura et diligentia, quam frustratur munitionum hostilium firmitudo, temporis saevitia, morbi, pabuli denique inopia.

XLVI. His igitur malis in dies augescentibus, Carolus et Albanus necessitati cedentes castra movent, jam hominum supra viginti quinque millibus morbo

bo et frigore absumtis.

XLVII. Hispanorum pars tertia perit; reliqui in Ecclesiam oppidum hybernorum causa discedunt. Germani milites domum, vel in praesidia dimittuntur. Carolus Bruxellas afflicta valetudine pervenit; quo tempore Rossemus, multis detrimentis Galliae illatis, in hyberna redit.

XLVIII. Eodem anno de magnae classis Turcicae adventu cognoscens Carolus ad suos praefectos in Italiam mittit, ut se ad bellum comparent. Madruccius Germanos milites in Andreae Doriae triremes imponit ad Neapolim a Turcica Gallicaque classe tuendam. Salerni Princeps ad Gallorum Regem perfugit, et Neapolitanos per occultos interpretes ad defectionem solicitat.

XLIX. Sublatis autem Germanis, Doria in Turcicas naves incidit, a quibus septem triremes intercipiuntur. Madruccius a fratre Cardinali, reliquus captivorum grex a Prorege redimuntur.

L. Ea clade in obsidione Metis a Caesarianis accepta, Gallorum Rex Henricus magnos spiritus sumit, et epistolam litteris Latinis ad Lutetiam Parisiorum typis excudendam mandat, et ad Principes et universam Germanorum nationem mittit, Carolo Caesari iniquam, et ad populorum defectionem pertinentem.

LIB. XXVIII.

I. DUm haec in Gallia Belgioque geruntur, Senenses Caroli Caesaris clientes inita cum Gallis amicitia ab illo deficiunt, eo timore ducti, ne sua Respublica Florentinorum exemplo in tyrannidem vertatur.

II. Qui timor tum maxime Senenses incessit, cum arcem Caroli voluntate aedificari animadvertunt. Quorumdam ex primoribus civibus ad Henricum Gallorum Regem litterae intercipiuntur.

III. Senensium ad Regem legatio, qui eorum patrocinio suscepto militem in Italia conducit.

IV. Eam manum Senas inducendi et Caesarianum praesidium ejiciendi consilium. Caroli Caesaris ad Cosmum Medicem Florentinorum Ducem mandata, ne Hispanorum praesidio opem ferre gravetur.

V. Francesus Alava Senensis praesidii praefectus Caroli epistolam ad Cosmum perfert. Is liberaliter ipsi respondet.

VI. Caesariani rerum omnium inopia premuntur. Gallis auxiliis

liis in urbem receptis, eorum simul atque oppidanorum impetus Francesus fortiter tolerat.

VII. Florentinorum Dux exiguum militum numerum subsidio Caesarianis mittit, qui hostium multitudinis impetum diutius ferre nequeuntes Senensium postulatis annuunt, et sese Orbitelum conferunt.

VIII. Franciscus Toletus cum Caesaris litteris et mandatis Florentiam ad Cosmum Medicem, inde Neapolim ad Petrum Toletum Proregem pervenit. Petrus Toletus et Garcias filius terra marique copias Florentiam perducunt. Hic Monticellum media hieme expugnat.

IX. Petri Toleti obitus. Montalcini oppugnatio. Julius III. Pontifex Maximus sese in pacificationem interponit. Garcias Toletus copias Neapolim reducit.

X. Carolus Caesar rursus ad Cosmum Medicem scribit, ut Senense bellum per se vel per ducem renovet. Cujus rei causa Jacobus Medices Melignani Marchio ex Insubribus evocatur.

XI. Is, summa belli administrandi accepta, cum parva Hispanorum manu noctu Senas invadit, et munitissimum propugnaculum ad Camoliam portam occupat, a Terme Gallo erectum praesidioque firmatum.

XII. Senenses propugnaculum recipere frustra conantur. Melignani Marchio auctis copiis obsidionem urget.

XIII. Petrus Strozus post Termis discessum urbis custodiae praeest, et Grisonum Germanorumque quatuor millibus a Gallo Rege conductis obviam in Lucenses fines procedit. Cognito Strozi discessu, Marchio cum copiarum parte proficiscitur, trajectoque Arno, castris castra confert.

XIV. Joannes Luna cum militum manu ex Insubribus Pisas Caesarianis subsidio adest. Petrus Strozus binis hostium castris obsessus discedit, Arnumque suas copias incolumes trajicit. Marchio Lunae negligentiam, hic Marchionis vicissim socordiam accusat.

XV. Strozus Caesarianis novissimum agmen carpentibus Senas pervenit, et circum ea loca vagatur. Petrus Pachecus Cardinalis Neapolis Prorex Marchioni manus in supplementum mittit.

XVI. Militum dissipatio. Cibariorum inopia. Rei pecuniariae angustiae. Exercitus Caesariani paucitas. Strozus in fines Florentinos suas copias inducit, et Marchiano Fajanoque castellis captis,

ca-

castra munit, quod itidem Caesariani faciunt.

XVII. Rerum necessariarum inopiae mederi cupiens Strozus castra movet. Marchio equites suos in hostilem equitatum impetum facere praecipit, ipse cum peditatu subsequitur. Hostilis equitatus fuga.

XVIII. Strozus tamen aciem instructam in Caesarianos convertit, brevique oratione suos cohortatur. Ejus orationis exitus.

XIX. Hispanorum victoria. Petri Strozi amisso exercitu in oppidum Montalcinum receptus. Marchio in ea trepidatione Senas oppugnatum procedere nequit, militibus, nisi stipendio persoluto, bellum detrectantibus.

XX. Ceterum diebus aliquot interjectis, Marchio cum Germanis jam accepto stipendio volentibus et Hispanis movens castella Senis circumjecta deditionem renuentia vi capit, puberesque omnes terroris causa trucidari jubet. Rusticos homines commeatus in urbem immittentes Chapinus Vitellus praefectus in patibulum agit.

XXI. Caesariani silentio noctis urbis moenia scalis frustra tentant. Hispani militis virtus, quam hostes ipsi demirantur, et honore prosequuntur. Non multo post eadem moenia tormentis concutiuntur, irrito quidem conatu.

XXII. Per id tempus militum supplementum ex Germania, Neapoli et Corsica in castra pervenit. Carolus Gonzaga aegrotante Marchione maritima Senensis ditionis castella expugnat, vel ad deditionem compellit. Senenses rebus desperatis pacem tandem petunt, et impetrant, ejectoque Gallico praesidio, Caesarianos urbe recipiunt.

XXIII. Herculis portus expugnatio. Turcarum classis adventus, eorumque fuga.

XXIV. Venicurtus jussu Caesaris Tarvannam Regis Galliae ditionis oppidum oppugnat. Caesariani milites per dirutam muri partem irrumpere frustra conantur.

XXV. Caroli moeror et oppidi potiundi desperatio. Ludovicus Quixada ab eodem in castra missus. Quinque tecti cuniculi ad fossam ducuntur; et tormenta ad munitiones demoliendas collocantur.

XXVI. Galli quoque cuniculos contra agunt, et tunc ignem injiciunt, cum Caesariani ex opere discesserant; hi suos incassum incendunt.

XXVII. Interea Vega miles Hispanus, qui captus a Turcis ma-

machinarum artifici servierat, machinas fabricatur, quibus tecti tutique fabri militesque murum suffodiunt.

XXVIII. Eo timore perculsi Galli Memoransiacum praefectum obtestantur, ut legationem de pace mittat. Caesariani duces irruptionem in posterum diem differunt, sed nocte insequente Hispani pedites ad munitiones pernoctant, signaque canere non desistunt.

XXIX. Caduceatore itaque ante lucem a Gallis misso, principes viri utrimque ad colloquium conveniunt, qui re infecta discedunt.

XXX. Relatis cognitisque Gallorum postulatis, Caesariani duces deditionem sine ulla conditione exigunt. Gallis mitiores conditiones petentibus Caesariani dare renuunt, et ad oppugnationis locum revertuntur.

XXXI. Dum mittendis et remittendis nuntiis tempus teritur, milites ducum injussu oppidum invadunt. Belgarum et Germanorum saevitia.

XXXII. Carolus a suis ducibus consultus in hostes eadem eos uti conditione jubet, quam paciscentibus dabant, et oppidum dirui. Illi Hesdinum munitissimum castellum movent, et oppugnant. Galli, castello quarto die relicto, in arcem sese recipiunt.

XXXIII. Inde erumpentes ab Hispanis repelluntur. Caesariani validis tormentis arcem octo amplius dies oppugnantes non satis proficiunt.

XXXIV. Pulvere igitur tormentario igneque supposito agendum censent. Subalpinus Princeps cum summa potestate in castra perveniens inceptum urgere pergit.

XXXV. Vineis itaque fabricatis aptatisque, tumulus subter munitionibus excavari coeptus, et tormenta contra eam potissimum partem, qua pulvis tegitur, collocantur; simulque milites in magno tympanorum strepitu ad hostes eliciendos fossam ingrediuntur.

XXXVI. Hac simulatione hostes excitati ad munitiones procedunt, injectoque a Caesarianis per cuniculos igne, in sublime projiciuntur. Horatii Farnesii interitus. Galli fossam hominibus plenam esse rati, pulverem quoque in suis cuniculis incendunt irrito conatu.

XXXVII. Eodem tempore magna pars tormentarii pulveris concepto igne in arce conflagrat; quamobrem Galli magnopere suis rebus diffidere incipiunt.

XXXVIII. Caduceatore tandem de pace in castra misso, arcis deditio certis conditionibus convenit; sed Caesariani milites in arcem irrumpunt, et cuncta diripiunt ducibus invitissimis.

XXXIX. Carolus Caesar captivos omnes liberari, et pacta servari jubet. Bullonis Dux, Villiaris Comes, Nellae Marchio Gandavum custodiae causa mittuntur. Hesdinum ipsum solo aequatur.

XL. Eduardo Sexto Britanniae Regi Maria succedit, quo nuntio Carolus valde delectatus animum in Philippi filii et Mariae matrimonium, perque ejus occasionem in Britannorum ad sanitatem et Fidem Catholicam reditum intendit. Earum rerum summa altius ab auctore ita repetitur.

XLI. Carolus adolescens societatem cum Henrico Britannorum Rege adversus Franciscum Galliae Regem init, sibique recipit Mariam ejus filiam septem annorum puellam uxorem aliquando ducturum.

XLII. In Hispaniam reversus, civitatibus per legatos et Proceribus orantibus, ut quamprimum posteritati consulat, Isabellam Emanuelis Portugalliae Regis filiam in matrimonium ducit.

XLIII. Hoc cognito, Britannus ira exardescens cum Gallorum Rege et Clemente Pontifice in Caroli malum conspirat; sed hoc ad Insubres, ad urbem Romam, ad Neapolim victore, alia via molestiam et negotium ipsi facessere decernit. Catherinam itaque uxorem Caroli materteram falsa illata causa repudiat, et Mariam filiam notham esse praeconio pronuntiari jubet. Repudii causa Romae agitatur, et Carolo Reginam fovente contra Henricum pronuntiatur.

XLIV. Per id tempus Joannes Genesius Sepulveda Romae degens, libello *de ritu nuptiarum et dispensatione* edito, Reginae causam amplectitur. Deinde libro altero ad eumdem misso, ab impietate et inconstantia dehortatur.

XLV. Ille odio et ira caecus se in suo Regno Pontificem Maximum esse declarat; viros optimos et religiosos, atque in eorum numero Roffensem Episcopum, et Thomam Morum de medio tollit; demum Divi Thomae Cantuariensis mausoleum demolitur, et corporis ejus reliquias incendit.

XLVI. Annam Bolenam adulterii insimulatam capite plectit; quo anno Catherina non si-

sine suspicione veneni vita fungitur. Tertiam uxorem Joannam Semaram; hac demortua Annam Clevensis Principis sororem; qua repudiata Catherinam Havardam ducit, inque eam adulterii nomine damnatam poena capitali animadvertit. Sexta ei uxor Catherina Paria. In extremum tamen morbum incidens primo loco Eduardum filium Regni successorem Henricus testamento scribit; secundo Mariam legitimis natalibus restitutam; tertio Isabellam filiam.

LIB. XXIX.

I. AB eo tempore major status Ecclesiastici mutatio et corruptio per Britanniam consequitur. Eduardi Regis infirma valetudo lentusque morbus. Northumberlanus Dux in Britanniae Regnum animum intendens Joannam stirpis Regiae, Suffolchii Ducis filiam natu maximam, filio suo tertio in matrimonium collocat.

II. Deinde Eduardum aggreditur, hortaturque, ut testamento facto, Maria et Isabella sororibus exclusis, Joannam Suffolchii Ducis filiam heredem Regni constituat.

III. Eduardi Regis testamentum, quod plerique Proceres partim ex animo, partim temporis causa comprobant. Maria ad Eduvardem, locum a Londino passuum viginti quatuor millia distantem, nuntiis occultis frequenter de Northumberlani consiliis ac de Regis morbo certior fit.

IV. Defuncto Eduardo, Northumberlanus Varoicensem Comitem filium cum equitibus quingentis Mariam volentem, aut invitam Londinum deducere jubet. Ipsa raptim cum suorum perpaucis, conscensis equis, in Norfolchiam maritimam regionem se recipit, ad quam pro Regina libenter receptam et salutatam subsidii praesidiique gratia armatae manus conveniunt.

V. Northumberlanus Joannam nurum invitam quasi Regno succedentem more patrio in *Turrim* deducit, eamque de scripto per praecones quoquoversus dimissos Reginam renuntiat. Popularium silentium et moeror.

VI. Mariae ad publicum Consilium litterae, quibus Senatum hortatur, ut jusjurandum fidemque sibi praestent justis Principibus et Reipublicae debitam.

VII. His rebus cognitis, Northumberlanus exercitum, Comitis Hoctintonis fratris opera usus, conficit. Hic conductam manum

in castra Mariae auxiliumque traducit.

VIII. Per idem fere tempus sex navium Regiarum praefecti se et naves in Reginae potestatem permittunt.

IX. Exercitu altero coacto, Northumberlanus ipse copias Londino deducit, quem frater Andreas Duella, Northantonis Marchio, Nuthintonisque Comes, et nonnulli alii Proceres sequuntur. Senatores per ejus absentiam ad sanitatem redeuntes, Mariam pro Regina salutandam et declarandam esse decernunt. Suffolchius decreto subscribit.

X. Senatores partim solemne illud *Te Deum laudamus* sacro ritu cum Clero concinunt, partim in arcem progressi Joannae, uti Mariam Reginam agnoscat, denuntiant.

XI. Consilii epistola ad Northumberlanum, qua ille perlecta Mariam Reginam per praeconem renuntiari jubet, magnaque in castris gratulatio fit.

XII. Cohortis praetoriae milites Northumberlanum fugam parantem, Joanne *Gatto* praefecto adhibito, retinent et custodiunt.

XIII. Arundelli Comes Reginae jussu cum praesidio profectus, Northumberlanum Ducem cum fratre et quatuor filiis comprehendit; praeterea Northantonis Comitem, et Thomam Palmierum, et Joannem *Gattum* cum Ario fratre capit, omnesque in arcem Londinensem deducit. Northantonis quoque Marchio Duxque Suffolchius in eamdem arcem custodiuntur.

XIV. Reginae Londinum adventus, et inde in Rivamontem discessus. Ea jubente Northumberlanus Dux, Varoicensis Comes, et Northantonis Marchio; itemque Andreas Duella, Joannes *Gattus*, et Palmierus capite damnantur.

XV. Northumberlani Ducis, post rem divinam factam, ac ritu Catholico Eucharistiam pia mente sumtam, jamjam morituri ad populum frequentissimum oratio.

XVI. Qua dicta flexis genibus Deum veneratus securi cervicem supponit. Thomas quoque Palmierus et Joannes Gattus suam morientium in Catholicam Ecclesiam fidem ad populum testantur. Regina de vinctis, aut etiam ceteris damnatis mitius statuit, et ad Regiam Vasmestram magna civium gratulatione coronatur.

XVII. Carolus Caesar Agamontis Comitem legatum de Philippi matrimonio ad Mariam Reginam mittit; quo benigne audi-

dito res ex Consilii publici sententia, et Reginae voluntate certis conditionibus convenit.

XVIII. Quorumdam Procerum tumultuandi initium, et de matrimonio impediendo conspiratio, quorum principem locum obtinent Thomas Huvietus, Petrus Carrus, et Henricus Suffolchius Dux. Petri Carri in Galliam fuga.

XIX. Huvietus ad Chentonis fines manus cogit. Suffolchius ducentis equitibus coactis in Varoicensem Comitatum contendens Joannam filiam per praecones Reginam pronuntiari pergit; sed ad Northantonis Comitis adventantis nuntium consilium init latenter extra Britanniam profugiendi.

XX. Agricolam itaque quemdam sibi notum nactus, ab eo in cavam arborem deducitur, quo rusticus temporibus idoneis accedens alimenta fideli opera subministrat.

XXI. Sed rusticus vel timore vel cupiditate inductus Ducem ad extremum prodit, qui captus Londinum in arcem reducitur. Brevis de rustici illius hominis facto ejusque justitia et honestate disputatio.

XXII. Interea Thomas Huvietus inchoatum opus urget, et quatuor millium armatorum numerum cogit.

XXIII. Regina, tumultuario militum delectu habito, cum his Norfolchium Ducem in Huvietum properare jubet. Hi ad hostes initio praelii signa transferunt, et Norfolchius ipse capitur.

XXIV. In ea rerum iniquitate Regina popularium fidem implorat. Ejusdem, convocata frequentissima concione, ad populum oratio.

XXV. Hac audita, magna fit animorum commutatio. Huvietus ad suburbium biduo frustra consumto movet, ac, Tamesi supra Londinum trajecto, recta in urbem cum expeditis contendit.

XXVI. Ad moenia et portam alteram occlusam accedens oppidanos blandis verbis alloquitur. Inter haec Pembrucius Comes Reginae jussu celeriter educto praesidio in Huvieti copias impetum facit; Cortineus cum equitatu Huvietum adoritur, vivumque capit.

XXVII. Huvietus ex vinculis inter conspirationis conscios Cortineum nominat, qui statim in custodiam deducitur, donec ejusdem poenitentia ducti testimonio liberatur. Suffolchius, Huvietus, et Joanna cum marito capite plectuntur.

Bri-

XXVIII. Britannicis tumultibus sedatis, Carolus Cesar in Hispaniam ad Philippum filium mittit, ut in Britanniam naviget. Philippus profectionem urget, et legatum cum muneribus ad Reginam ire praecipit.

XXIX. Tum, Joanna sorore ex Portugallia ad Castellae procurationem evocata, in Gallaeciam venit, ubi legatos duos obvios habet a Britanniae Regina Regnoque publice missos.

XXX. Philippi ex portu magno cum classe CXX. navium profectio. Procerum, et principum virorum eum assectantium nomina.

XXXI. Classis in tres acies partitio. Philippo ad Britanniam accedenti Caroli et Fernandi legati cum Belgicis navibus XL. obvii: Britannorum Reginae navarchus cum navibus Britannicis, qui eum nonnullosque Proceres in scapham praetoriae navis exceptos Antonam devehit.

XXXII. Inde Unchestrum pedibus procedit Philippus ad Reginam sponsam, cui annulum aureum, sponsalium arrham, mutuo mittit. Philippi, et Reginae colloquium; quo quidem Neapolitano Rege salutato, res divina nuptiaeque Regali caerimonia celebrantur.

XXXIII. Splendidum epulum, tripudia, saltationes.

XXXIV. Vesperi Rege Reginaque separatim coenatis, Unchestrinus Episcopus thoro nuptiali benedicit. Reginae benevolentia et humanitas erga Albani Ducis uxorem. Hispani parum hospitaliter a Britannis tractantur. Militum in Belgium, navium in Hispaniam reditus.

XXXV. Carolus Caesar primum occulte, deinde palam Mediolanensis Ducatus possessione Philippo cedit.

XXXVI. Ludovicus Corduba tum Mediolani urbis, tum arcis pro Philippo possessionem apprehendit. Idem in Regno Neapolitano Piscariae Marchio perficit, diplomate clientelae a Julio III. Pontifice Maximo impetrato.

XXXVII. Pontificis Cardinaliumque Senatus Britanniam ad Catholicam Fidem revocandi consilium. Reginaldi Poli doctrina, virtus, in Cardinalium collegium cooptatio, et ad Carolum Caesarem in Belgium cum Pontificis mandatis iter.

XXXVIII. Philippi et Reginae apud primarios cives eadem de re officia. Totius Regni Britanniae Concilii lex de Reginaldo Polo suae dignitati et patriae restituendo.

XXXIX. Reginaldo Polo Londi-

dinum adventanti Philippus, omisso incepto prandio, obviam prodit. Britanniae Concilii in aulam ex more convocatio.

XL. Cardinalis Poli gratiarum actio, et ad Britanniae civitatum legatos oratio, qua eos ad Fidem Catholicam totius Regni nomine recipiendam cohortatur.

XLI. Reges Cardinalem dicere cessantem per Cancellarium collaudant, eoque digresso Concilium hortantur, ut de eodem Religionis negotio consilia conferant.

XLII. Concilium de recipienda Fide Catholica magno consensu statuit, Regesque per legatos orant, ut a Reginaldo Apostolico legato ipsis praeteriti temporis erratorum veniam impetrent.

XLIII. Hac legatione benigne a Regibus laetissimis accepta, libellus a Concilio Regibus coram datur, quo haec eadem comprecantur. Libelli summa.

XLIV. Reges perhumaniter respondent, atque adeo Cardinalem adeunt, et aperto capite, ut Britannorum poenitentibus animis veniam det, petunt, paucisque verbis exorant. Ille per consuetam et religiosam caerimoniam veniam erratorum toti nationi tribuit.

LIB. XXX.

I. PAulus IV. Julio III. succedit. Ejus sanctimonia vera, aut simulata, Quietini Episcopatus abdicatio, et in Cardinalium collegium cooptatio.

II. Hujus virtutum exemplum sequuntur non pauci pro Quietinis *Theatini* vulgo dicti. *Jesuitarum* origo, institutum, et litterarum studia. Egnatii Lojolae laus.

III. Franciscus Borgia Dux Gandiae in horum coetum se conjicit. Ejusdem sanctissima vita et conciones. Is cum Antonio Corduba sodali Collegium Cordubense constituunt, ubi doctiores ingenuas disciplinas docent, et adolescentes ad virtutem et religionem adhortantur.

IV. Caesaris et Gallorum Regis quinque annorum induciae. Utriusque summa nummorum inopia. Tributorum in Hispania exactiones, Regalis patrimonii distractio, religiosorum equitum oppidorum venditio aeris alieni contractio.

V. Nihil tamen Carolus per vim, nihil in eo tyrannice conatur, sed interposita Pontificis Maximi auctoritate ad Clericos vectigales habendos. Quin etiam, ne oppida cuncta Ecclesiasticae ditionis per Castellam vendat, religione prohibetur.

Qua

VI. Qua de re Theologi Valdolitenses consulti, non esse id concedere Pontificiae potestatis, ut Ecclesiae opes in profanos usus convertantur, pronuntiant.

VII. Caroli ministri Julii III. jam vita functi decreto, et superiorum annorum consuetudine freti *Subsidium* exigere decernunt.

VIII. Carvajalis Episcopi Lucensis, judicis a Pontifice huic negotio delegati, denuntiatio. Ecclesiarum ad Pontificem provocatio. Illarum legati Valdolitum conveniunt.

IX. Joannam Regni procuratricem adeunt, privilegium a Marcello et Paulo Julii successoribus rescissum esse confirmant, orantque, ut finem aliquando tributis faciat.

X. Paulus Pontifex Julii decretum confirmat, Judices executores cum mandatis Episcopi Lucensis vectigalia cuncta Ecclesiastica occupanda et impedienda curant.

XI. Ecclesiae Salmanticensis et Zamorana a rebus divinis sacrisque cessant. Interea Paulus Pontifex suum decretum et confirmationem rescindit, et exsecutores revocantur.

XII. Sed non multo post inopia publica, et belli Neapolitani Gallicique Pontifice auctore accensi, rationibus adhortantibus, causae cognitio in Consilio Regis Valdolito repetitur, et judicatur Paulum non pro Pontificis officio et justitia privilegium abrogare, sed suis cupiditatibus servientem.

XIII. Nova conficiendae pecuniae ratio excogitatur. Bugia a Peralta et Godino turpiter Turcis deditur.

XIV. Illi capite damnantur, et in Alfonsum Peraltam statim animadvertitur.

XV. Joanna Princeps a singulis civitatibus milites ad Bugiam recipiendam, et pecuniam ad extremam Regis inopiam sublevandam petit.

XVI. Civitates non gravate milites imperant. Corduba CCC. pedites, et equites LX. decernit, sed postulante Joanna, ut pro milite stipendium militare tribuatur, nec stipendium tribuitur, nec exercitus conficitur.

XVII. Mala ex sumtibus et bellis non necessariis in Rempublicam derivata. Martinus Delgadus argenti fodinam ad Guadalcanale invenit. Ejus fodinae incredibiles divitiae.

XVIII. Totius autem negotii curam Rex ipse per suos administros suscipit, ascitis ex Germania metallorum peritissimis homi-

minibus. Undecim ab inventione mensibus ingens effossi metalli quantitas per Augustinum Zaratum indicatur. Gonzalus Delgadus alteram venam in propinquo investigat.

XIX. Magnis Carolus Caesar laboribus vexatus, atque adeo morbis afflictus non in publicum prodit, nulli epistolae vel diplomati subscribit.

XX. Quapropter omnibus suis Regnis Philippo filio Bruxellis cedit, et litteras eisdem de rebus, itemque Philippus ad omnes Castellae civitates sigillatim dant.

XXI.—XXII. Epistolarum earumdem exemplar.

XXIII. Caroli in Hispaniam navigatio, in coenobium *Justi* discessio, vivendi ratio et aetas.

XXIV. Ejusdem Caroli statura, et membrorum dispositio, invictus animus, militaria munera, meditandi studia, in bello gerendo felicitas, et nimia aliquando obstinatio.

XXV. Morbo articulari tentatur. Cibum in publico paulo immoderatius sumit. Ejus vestitus, animi simplicitas, gravitas et constantia.

XXVI. De Caesaris largitate non eadem omnium sententia. Ejusdem incredibiles sumtus, et bella per triginta quinque annos paene continenter gesta.

XXVII. Singularis in Deum pietas. In Episcopatibus mandandis incorrupta sedulitas. Sibi notos et familiares facile contemnit; *pensiones* tamen Clericis familiaribus suis ex fructibus Ecclesiasticis distribuit.

XXVIII. Justitiam maxime colit pronitate quadam naturali. Tributa et exactiones invitus imperat. Injurias, quas milites ejus in Italia pacatis populis inferunt, aegre fert.

XXIX. Boni justique Regis se suaque ab invadentibus defendentis jus et officium.

XXX. Gloriae et famae Carolus studet; sed ita ut minime leviter sit ambitiosus.

XXXI. Facto id declarat, dum Sepulvedae Historiae partem ipsi, ut emendaret, recitare volenti respondet, sibi haud gratum esse legere vel audire, quae de se scribantur.

XXXII. Eidem Sepulvedae se consulendi, cum res poscat, facultatem non denegat, et factum de quo dubitabatur, proponenti, quod maximo documento esse poterat ad Caroli justitiam et altitudinem animi declarandam: *Omitte*, inquit, *quaeso*; *haec enim res non gesta est*, *sed commentitia*.

XXXIII. Pauli Jovii aliquod munus Historiae causa impetra-

re sperantis avaritiam cohibet.

XXXIV. Historiam scriben. di muneris honestas utilitasque.

XXXV. Ceterum annum agens XXVI. uxorem Carolus ducit Isabellam, et ab eo tempore comitiali morbo liberatur. Ex hoc matrimonio Philippum, Mariam atque Joannam procreat. Ejus in filiarum pudicitiae prospiciendo solicitudo.

XXXVI. In cunctis fere rebus suspiciosus habetur, praesertim in senectute. Delatores quantopere improbaret, magnis documentis declarat. Quemdam, qui Fernandum Avalum ex Portugallia reducem, et in arce quadam delitescere ipsi referre maturat, gravi responso coërcet.

XXXVII. Hieronymum Leivam centurionem falso Vasti Marchionem incusantem, causa cognita, capite punit.

XXXVIII. Epistolam a Fernando Gonzaga subscriptam, sed ab aliquo calumniatore confictam in ejus perniciem, comperiens, Joannem Lunam, Franciscum Tavernam, et Ibarram in criminis suspicionem venientes praefecturis et magistratibus privat.

XXXIX. Prementibus morbis per novem menses nulli nec libello nec diplomati subscribit, non sine suspicione mentis imminutae. Integra valetudine gaudens omni Regia civilique virtute praestat. In ipsa invaletudine insitae justitiae documentum dat, dum sua sponte sese Imperiis omnibus abdicat.

XL. In Hispaniam itaque perveniens in coenobium *Justi* secedit, quod consilium Isabella etiam uxore vivente inierat. Non multo post jus Imperii Romani in fratrem Fernandum transfert.

XLI. Paucis ante ejus obitum mensibus *Inquisitores*, sive Fidei Catholicae vindices, quosdam Monachos Dominicanos de inficienda Hispania conspirantes, eorumque asseclas comprehendunt.

XLII. Harum rerum Carolus a filia per litteras certior factus, ipsam et *Inquisitores*, Ludovico Quixada misso, monet, ut in eo crimine perquirendo et vindicando summam diligentiam adhibeant; et urgente morbo ad testamentum factum codicillos in idem argumentum adjicit.

XLIII. Codicillorum exemplar, et Caroli Caesaris obitus.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER SEXTUS DECIMUS.

I. INTEREA Vasti Marchio exercitum in Italiam cum reduxisset, Cherium oppidum, quod Gallorum praesidio tenebatur, oppugnare aggressus, nonnullis suorum amissis, et in his Roderico Ripalda militum tribuno, viro strenuo atque fortissimo, re infecta discessit, et copias in Villamnovam et Puerinum castella hybernorum causa reduxit; sed multis ibi cujusque nationis militibus morbo absumtis, in Astam oppidum hyberna transtulit. Ceterum hostes ad octingentos in casale Monferrati ab oppidanis, qui rebus Gallicis studebant, receptos fuisse certior factus, summa celeritate copias educit, ne, dato spatio, se hostes operibus aut multitudine confirmarent, et cum oppido etiam arcem occuparent, quam aegre fuerat magna Alvari Lunae Joannisque Pesquerii, arcis praefecti, diligentia tutata. Alvarus enim huc forte venerat, qui voluntate ac jussu Caroli Monferrati Principatum administrabat, dum Mantuano Duci, cui fuerat a Carolo, ut docuimus, adjudicatus, traderetur. Ab hoc igitur factus certior Vasti Marchio, quamvis magno imbre consecuto, tem-

pore anni difficili (erat enim dies septimus Kalendarum Decembris) tamen itinere nullam noctis partem intermisso, sub lucem pervenit, decem et octo passuum millibus magno labore studioque militum confectis, tum ceteris consistere jussis, Hispani ad rem gerendam praemissi, et in arcem recepti, unde oppidum irrumpentes, commisso praelio hostes omnes aut interficiunt, aut capiunt. Sed non incruenta victoria; quippe desideratis cum aliis tum in primis Hieronymo Mendoza militum tribuno, et Guiliermo Moncada Ugonis filio, et compluribus vulneratis, Casali recepto, traditoque Duci Mantuano, in hyberna exercitus Astamque reductus.

II. Diebus aliquot interjectis, hostes numero ad mille quingenti Caraim oppidum Sabaudiensis ditionis, nihil oppidanis repugnantibus, occuparunt; quo nuntio allato, Franciscus Salutiarum Marchio negotium sibi oppidum recipiendi deposcit, ad eaque perficiendum Hispanorum parem hostibus numerum petit; quibus attributis, Caraimque deductis, in arcem, quae nostrorum praesidio tenebatur, parte submissa, reliquos in tres partes divisit, invadendi cunctis ex partibus atque oppugnandi tempore signoque constituto, cum ipse duobus tormentis, quae praetergrediens ex Fossano convexerat, bombos edidisset. Sed tantus fuit militum ardor et studium, ut magno animo atque impetu, antequam signum daretur, adorti, scalis admotis murum conscenderent, indignante Marchione, quod qui primus esse vellet, ultimus in hostes ingrueret. Hoc praelio ex hostibus ad nongenti caesi, ceteri capti et vulnerati sunt;

sunt; ex nostris quindecim omnino desiderati, sed in his Christophorus Arias, *Sargentorum praefectus*, quo nomine consuetudo militaris hoc tempore praefectos vocat, qui milites tum in acie, tum in agmine collocandi atque in ordinem redigendi officio praesunt.

III. Zilanum deinde castellum, quod a Duce Carolo desciverat, receptum; Nuscla incensa, castellum alterum, et qui huic imperitabat, Marchio captus, tum arx Chivae vi capta, praesidiumque deletum; nam oppidum oppidanique in fidem permanserant, nec multo post arx quoque Sancti Georgii Canabensis expugnatur, sed non impune; quippe nostrorum quinquaginta circiter vulnerati, ac totidem fere peremti, quorum fuit Castrus signifer, vir nobilis et fortissimus, qui glandibus quinque confossus, tamen pugnandi invicto animo non ante finem fecit, quam spiritu ac viribus destitutus collaberetur. His rebus gestis, Franciscus Salutiarum Marchio, exorato Alfonso Avalo, cum Hispanorum tribus millibus et Germanorum duobus ad Salutias suas recipiendas proficiscitur. Sed Carmagnolae, suae quoque ditionis castelli, arcem, quae hostium praesidio tenebatur, oppugnare ex itinere aggressus, vix paulo ante morte vitata, quippe galeam ejus scloppeto glans emissa praestrinxerat, ad locum oppugnationis accedens, tormenti telo ictus, trajectoque pectore, perimitur. Aderat in Hispanorum manu Sanctius Bravus, quem primum in Italia Carolus exercitus *Inspectorem* fecit; sic enim appellatur, qui officio praeest considerandi et providendi, nequa fraus in habendo militum delectu, recensendisve copiis, aut stipendio singulis militibus sol-

vendo, item commeatibus comparandis ac distribuendis admittatur, ac omnino dispiciendi et explorandi, quam recte praefectorum quisque suo munere fungatur. Hoc igitur Sanctio Bravo et Alvaro Grado militum tribuno ceteros adhortantibus, et rem communi consilio administrantibus, oppugnatio per Marchionis mortem intermissa, postridie tanto militum ardore impetuque restituitur, ut custodes metu perculsi arcem dederent, seque in potestatem sine conditione permitterent.

IV. His rebus Mediolanum nuntiatis, Antonius Aragonius, qui copiis illis praeesset, a Vasti Marchione missus, et occisi Principis poenas a deditítiis sumere jussus, primoribus in patibulum actis, populares numero quinquaginta triremibus in remigium mancipavit. Post haec Hispani generis milites, qui menses jam quinque stipendio caruerant, facta secessione, castris se subtraxerunt indignantes, quod qui omnium primi essent in laboribus et periculis adeundis, iidem postremi in ratione praemiorum haberentur, solique diu sine stipendio militare cogerentur; vetus scilicet querela. Nam id saepe Hispanis accidit in bellis Italicis, dum eos in rerum inopia omnes incommoditates aequiore quam ceteros animo laturos esse, duces non dubitarent propter maximam ipsorum et cunctis perspectam, tum calamitatum patientiam, tum fidem in suum Principem, cujus auspiciis et Hispanae nationis nomine fere bellum in Italia gerebatur. Nam Germanorum, quibus sociis Hispani multa bella gessere, longe aliud est institutum, qui oportere statuunt, tam sibi stipendia menstrua a ducibus, quibus conducti parent, certis temporibus persol-

solvi, quam ipsi fideliter praestant suum officium militare, et in sententia hoc etiam magis perstant, quoniam ipsi non perinde sunt famis et sitis vel more vel natura tolerantes, et ad bellum non tam spe praedae, quam stipendiorum praemio ducuntur, quod contra fit ab Hispanis, et item ab Italis, natura et moribus proxime ad nostros accedente natione.

V. Ob eam igitur causam Hispani non omnes, sed ad tria millia secesserant, quibus aegre, nec ante persolutum stipendium, auctore potissimum Antonio Ixartino revocatis, Monchallerum et Carignanum mense Augusto recipiuntur, paulo antequam Germanorum decem millia, quae duce Federico Hustamberga in supplementum mittebantur, in castra pervenissent; quibus aucto exercitu, copiisque coactis, Vasti Marchio in Cherium movet, atque id oppidum rursus, sed alia parte majoreque impetu aggreditur, hinc Italis, illinc Hispanis oppugnantibus, quippe Germani ante oppidum, ut jussi fuerant, ad avertendos hostes, si forte suis auxilio supervenissent, in acie consistebant; et qua urgebant Hispani, bona muri parte solo tormentorum telis aequata, hac ingredi incipientes, altam fossam post murum offenderunt, in cujus imam partem frequentes asseres hostes dejecerant, acutissimis clavis infixis, et item aridam materiam, quae cum ignem admotum celeriter concepisset, ingredientium impetum retardavit; cumque in eam partem hostes incubuissent, et collatis scloppetariis gnaviter resistentes magnum detrimentum nostris ingruentibus inferrent, ipsi tamen aditum qualemcumque nacti in oppidum irrumpunt, Hispani priores,

res, mox Itali; et hostium nonnullis captis, ceteros concidunt, suorum quinquaginta circiter amissis. Deinde Chirascum aggressi, cum jactura ducentorum amplius militum a muris repelluntur. Sed cum se rursus oppugnationi compararent, oppidum a praesidio deseritur, et oppidanorum deditione in nostrorum potestatem pervenit. Alba Pompejana, postridie quam oppugnari coepta est, deditionem fecit; in cujus oppugnatione Jaënus centurio, qui bellis superioribus egregia fortis et intrepidi animi documenta praebuerat, duabus glandibus ictus est; quibus vulneribus ingravescentibus, non multos post dies vita excessit: totaque illa aestate bellum consimili ratione gestum est; dum oppida per occasionem aut vim ab hostibus occupantur, eadem oppugnantur a nostris varia fortuna.

VI. Ceterum post Germanorum adventum hostes facti nostris numero inferiores, in oppida munitiora, quae erant in ipsorum potestate, sese recipiunt, et haec copiis distributis tutari constituunt, sed Augustam Taurinorum ante omnia, quia caput ejus regionis habebatur, quam octo millium Vasconum praesidio munierunt. Nostri vero ad Augustam commeatibus intercludendam pontem Padi id oppidum praeterfluentis occupant, praesidioque firmant; tum in Vulpiano, Moncallesio et Riola, finitimis castellis, pedites equitesque disponunt, cum ceteris autem copiis bipartitis Pinnarolum ex una parte Vasti Marchio, ex altera Princeps Visignani praefectus equitum obsidebant. Nam his duobus oppidis receptis, cetera facile in potestatem redigi posse non dubitabatur.

Ha-

VII. Harum rerum a suis Rex Gallus factus certior, ut laborantibus opem ferat, exercitum cogere maturat, ne hyeme jam appetente, Alpinis nivibus atque frigoribus excluderetur. Itaque mense Novembri Alpibus, quas forte hoc anno nives solito tardius occuparunt, superatis, Rex ipse copias triginta millium armatorum traduxit, et nihil a nostris vel prohibitus, vel tardatus, obsidione suos liberavit, ac Salutiis, et quidquid ejus oppidi ditionis erat, receptis, ibi Gabrielem Principum fratrum minimum natu Marchionem constituit; nam ex quatuor natu maximus, deleto ad Neapolim et Aversam Gallorum exercitu, ipse quoque mortem oppetiverat. Huic Joannes Aloisius jure proximus succedebat; eo tamen, quia mentis erat non bene sanae, et a Gallicis averso animo Caroli Caesaris rebus nimium studere videbatur, in vincula conjecto, Franciscum tertium fratrem Salutiis praefecerat. Sed cum Franciscus ad Carolum, ut demonstravimus, transivisset, Rex Joannem Aloisium solutum vinculis, et in pristinam dignitatem restitutum dimisit. Ille vero veteris injuriae magis quam recentis beneficii memor, in castra Caroli transivit, a quo post Franciscum fratrem ad Carmagnolam, ut diximus, sublatum, in ejus locum suffectus, jus et titulum Marchionatus recepit. Hoc igitur pulso, Rex Gabrielem fratrem in locum ejus suffecit.

VIII. Eadem aestate, dum haec in citeriore et Subalpina Gallia geruntur, Florentini, qui vel sua sponte discesserant, vel patria fuerant in exsilium ejecti, Mirandulae circumque ea loca militem conducebant, bel-

bellumque parabant, duce et auctore Philippo Strozo, qui auctoritate et opibus inter ipsos eminebat, si patriam possent in libertatem asserere per occasionem sublati de medio Alexandri Medicis, qui oppressis Florentinis imperitabat. Haec enim civitas, cum diu Imperatorum Romanorum beneficio, quorum erat in fide et clientela, libera fuisset; tamen in duas partes Medicum et Soderinorum divisa, paulatim ejus libertas opprimi coepta est, Medicum opibus augescentibus, praesertim Leonis, sed multo magis Clementis Pontificatu, qui Florentini Mediceaeque familiae fuerunt, Joannes ante atque Julius nuncupati. Ceterum afflictis rebus Clementis, quo tempore Roma capta et direpta, ipse quoque cum arce Sancti Angeli, qua continebatur, facta deditione, in exercitus Caesariani potestatem pervenit, Florentini eam occasionem praetereundam non putaverunt. Itaque exactis Medicibus, in ea rerum perturbatione sese in libertatem vindicarunt, quam tueri etiam, Clemente in pristinum statum restituto, perseverarunt, freti Gallorum amicitia, cum quibus per id tempus in malum Caroli Caesaris, cujus erant clientes, societatem inierant. Quo facto, cum jus libertatis amisissent, Clemens, Caroli voluntate suscepto bello, atque ejus armis adjutus, post longam et duram obsidionem villis incensis, agrisque vastatis, Florentinos ad deditionem compulit non admodum iniquis, si fuissent servatae, conditionibus; sed urbe in potestatem redacta, firmoque imposito praesidio, Clemens civium, quos suis conatibus obsistere posse judicabat, quosdam relegavit, alios de medio sustulit, ceteros, mutata Rei-

pu-

publicae forma, unius imperio parere jussit, praeposito Alexandro Medice, quem Carolus, data in matrimonium Margarita notha filia, titulo Florentini Ducis affecit atque donavit.

IX. Erat Alexander filius nothus Laurentii Ducis Urbini, quem Petrus procreaverat Leonis frater germanus, Clementis autem patruelis. Nam Cosmus Medices, qui Italorum omnium, non modo Florentinorum, ditissimus fuit, quique primus hanc familiam illustravit, Petrum genuit. Is Laurentium, et Julianum patrem Julii, qui fuit Clemens Septimus Pontifex Maximus. Laurentius Petrum et Julianum, itemque Joannem procreavit; quorum Joannes Summo Sacerdotio praefuit, Leo Decimus appellatus; Julianus sine liberis decessit; Petrus Laurentium progenuit; hic Alexandrum, quem modo nominavi, et item Catherinam, quae Henrico nupsit Regio adolescenti, qui Francisco patri in Regnum Galliarum successit.

X. Cum igitur Caroli metu et auctoritate populus Florentinus in officio contineretur, mortuo quoque Clemente, aliquot annos Alexander imperium retinuit, diu tamen multorum odio obsistere non potuit. Interfectus est enim dormiens a Laurentio propinquo ac gentili suo, cui rerum omnium maximam fidem habebat, cum solus nocte quadam in Laurentii domum familiari et quotidiana propemodum consuetudine secessisset. Sed Laurentius statim patrato facinore, unde sibi parem Bruto vel Cassio, quorum factum fuisset aemulatus, gloriam inter suos relaturus videbatur, urbe digreditur, a portarum praefecto facta facultate, nihil tale propter

Ducis in ipsum Laurentium perspectam cunctis indulgentiam suspicante. Discessit autem per causam invisendi fratrem, qui sibi nuntiatus esset perquam graviter aegrotare; et per equos dispositos Bononiam, inde Venetias sese recepit cum duobus comitibus, quos socios habuerat patrandi facinoris. Ceterum populus Florentinus tam oppressus erat, ademtis praeter gladios omnibus armis, et imposito externorum praesidio, praetereaque arce munitissima exaedificata, ut Ducis nece divulgata, nihilo tamen magis auderet ad libertatem aspirare.

XI. Erat id temporis Florentiae Cosmus Medices, Joannis ejus filius, qui cum Pontificias copias in Italiae Galliaeque et Britanniae conspiratione in Carolum Caesarem facta ductaret, tormenti telo, ut supra memoravimus, ictus interierat. Hunc Florentini, communicatis consiliis, in Alexandri locum sufficere decreverunt. Itaque Senatus, quem Alexander ex quadraginta octo viris constituerat, auctoritate, et popularium communi approbatione, Florentinorum Principatus ad Cosmum Medicem defertur; quod eo consilio factum est a Florentinis, dum omnes Cosmum in patriam suosque cives aequiorem fore confiderent, si non externa vi, ut Alexander, sed ipsorum beneficio et voluntate civitati praeficeretur; simulque rem Carolo Caesari non ingratam fore existimabant, si ab ipsis in demortui locum ex eadem Medicea familia, cujus ille in se fidem probaret, eum suffecisset, ad quem jure propinquitatis succcessio Principatus pertinere videretur.

XII. Harum rerum Centifontanus Comes Romae lit-

litteris et nuntio Cosmi Senatusque factus certior, ad Petrum Toletum Proregem Neapolitanum, et Alfonsum Avalum Vasti Marchionem, Genuensesque litteras dimittit, ut quae ad tutandam Florentiam omnesque casus necessaria visa fuerint, provideantur. Itaque Hispanorum duo millia, quos nuper Andreas Doria rediens ex Hispania Perpinianoque triremibus deportaverat, in Liburnum portum devecta atque exposita, Florentiae cum praefecto Francisco Sarmento appropinquare jussi sunt; simulque a Vasti Marchione Germani mille in Etruriam missi. Ceterum Florentini cives, qui Romae morabantur, cum de Alexandri nece cognovissent, consiliis communicatis, conandum sibi cunctis opibus statuerunt, si patriam possent per eam occasionem in libertatem pristinam vindicare; datoque negotio Roberto Strozo Philippi filio militem conducendi, Joannes Salviatus, Nicolaus Rodulphus, et Nicolaus Gadius Cardinales, et Bartholomaeus Valorcus ex consilii sententia Florentiam ad popularium animos solicitandos proficiscuntur. His multi cives longius, sed appropinquantibus ipse quoque Cosmus, qui omnes exsules edicto publico restituerat, obviam processit. Cum autem essent in aedes Salviati deducti, magnus ad eos popularium concursus, commutatis animis, quotidie fiebat: quod animadvertens Cosmus Medices, et Alexander Vitellus, arcis atque praesidii praefectus, cognitoque Cardinalium consilio, militibus, qui erant urbi praesidio, numero circiter mille, vias obsidere jussis, Cardinalibus denuntiatum mittunt, ut tum ipsi ab animis civium solicitandis desistant, tum milites, quos

Robertus Strozus coëgisset, quamprimum dimittendos curent: quod si facere neglexissent, sese consilium sibi capturos, et accersitis Hispanis atque Germanis, qui non longe abessent, civitatis rebus et tranquillitati consulturos. Cardinales de sua salute cogitare coacti, constituunt, ut Rodulpho et Gadio obsidum loco remanentibus, Salviatus ad Robertum proficiscatur, coactos milites, qui numero erant duo millia, dimittendi gratia. Hoc propere ac diligenter administrato, Salviatus Florentiam revertitur.

XIII. Paucis diebus interjectis, iidem Cardinales jussi Florentia decedere, Bononiam perrexere, eoque Philippus Strozus atque exsulum primi convenerunt; et consilio communicato, placuit, ut res armis extrinsecus illatis tentaretur; nec enim aliter popularium, qui Florentiae continebantur, animi jacentes ad spem fortunae melioris, et aliquid audendum erigi posse, quam si parata auxilia prope muros conspexissent. Hujus rei administrandae curam Princeps Philippus Strozus suscepit, et Gallis Gallicarumque partium studiosis faventibus, quatuor armatorum hominum millia conducenda curavit; quibus bipartitis, ipse morae scilicet impatiens cum octingentis expeditis praecedebat, cum ceteris Petrus Strozus ex intervallo sequebatur. Hoc Florentiam nuntiato, Cosmus Vitellusque Philippum celeriter opprimendi consilium iniverunt, Hispanosque milites mille circiter sexcentos, qui prope ad villas vicosque consederant, cum praefecto Francisco Sarmento per speciem praesidii supplendi in urbem evocant, adjunctisque ex praesidio Italici generis quadringentis, cum ea manu

Vi-

Vitellus Sarmentusque, ut communi consilio placuerat, nullo spatio interjecto proficiscuntur, et in montem Murlum castellum, ubi Philippus cum antegressis militibus consederat, albente coelo pervenerunt, hostesque imparatos et nihil tale metuentes invadunt; ac ceteris fusis fugatisque, Philippus ipse Strozus et Bartholomaeus Valorcus cum filio, et quidam alii nobiles Florentini, qui sese in locum paulo munitiorem receperant, capti, Florentiamque deducti. Hujus adversi praelii ac suorum calamitatis accepto nuntio, qui subsequebantur, consistunt, orbatique duce dilabuntur. Florentiae in Bartholomaeum Valorcum et filium nonnullosque alios animadversum, Philippus custodiae intra arcem datus, qui sexto decimo post mense saluti suae diffisus, atque rebus desperatis, sibi mortem conscivit, juguli venis dissectis gladio, quem forte nactus est, a milite custode per incuriam in conclavi, quo custodiebatur, relictum.

XIV. Eadem tempestate Solymanus Turcarum Princeps, cum navibus transportato milite, Italiam invadere, atque ea parte mari terraque Christianos, praesertim qui Caroli Caesaris Imperio parebant, bello vexare cum statuisset, ad Senatum Venetorum hujusmodi legationem misit. „Intelligere sese Carolum Regem Hispaniae, qui sibi nomen Imperatoris arroganter sumeret, aliena passim invadentem, multas injurias in ceteros Principes Christianos ipsosque Venetos intulisse: „quamobrem sibi, qui humanitate duceretur, odioque „haberet omnes tyrannos, in animo esse, injustum et „importunum hominem, illato bello, ad aequitatem „re-

„ reducere, et quae per vim et contumeliam aliis eri-„ puisset, justis dominis ac Principibus restituere. Pro-„ inde Venetos pro vetere ipsorum amicitia rogare, ut „ cum Francisco Rege Gallorum, qui sibi esset loco „ fratris, foedus et societatem inirent, quo facilius i-„ pse posset, ipsorum armis adjutus, insolentiam Caroli „ reprimere, eumdemque ad justitiam et officium re-„ vocare. Ad hanc legationem Veneti responderunt. „ Hoc ferre suum institutum et consuetudinem, quam „ a majoribus accepissent, ut si foedus aut pacem cum „ Principe aliquo aut Republica fecissent, numquam a „ data fide et amicitia absque justa et legitima causa „ discederent; cujus rei testis esset locupletissimus ipse „ Solymanus, in quem ut arma ferrent, violato foede-„ re, nullius umquam precibus aut pollicitationibus ad-„ duci potuerint, ne illis quidem temporibus, cum i-„ pse Christianorum regiones bello infestaret; sibi cum „ Carolo pacem et amicitiam intercedere. Quod igitur „ in eum arma ferre non inducant animum, a quo „ nulla sint injuria lacessiti, ipsi quoque Solymano pro „ sua justitia et aequitate non molestum esse debere, „ cui fas esset ipsorum amicitiae ac fidei constantiam, „ ut in se, item in alios Principes probari. “

XV. Hoc accepto responso, Solymanus nihilo magis sententia desistens, in Aulonem navalem urbem cum magno pedestri exercitu pervenit, huc quoque classe trecentarum amplius navium convenire jussa. Harum triremes erant septuaginta, ceterae biremes, et speculatoria navigia ac item oneraria. Carolus cum de apparatu et consilio Solymani cognovisset, arces omnes mu-

munitioraque oppida ad Italiae et Siciliae maritimam oram praesidiis confirmari jubet, transmissis Neapolim ex Hispania mortalium septem millibus; et Andream Doriam per litteras nuntiumque jubet, ut coacta classe Siciliam Calabriamque versus contendere maturaret, ut ex opportunis locis, quatenus liceret, Turcarum conatibus obsisteret. Doria, decem et octo Genuae ad urbis praesidium relictis, cum triremibus viginti novem Messanam pervenit, quo itidem onerariae naves paucae convenerunt. Sed quia in tanta classium imparitate rem sibi non nisi per occasionem gerendam esse judicabat, naves onerarias ac duas triremes, quae parum ad velocitatem instructae et aptae videbantur, Messanae relinquens, viginti septem triremes sine extraordinario milite et impedimentis non necessariis sublevatas educit, et in Graeciam directo cursu, Cephaleniam Venetae ditionis, et Christianis habitatam insulam tenuit. Hic Luthphinum Bassam, et Charadinum cum classe navium circiter trecentarum, iter habentes in sinum Adriaticum, eamdem insulam paucis ante diebus praetervectos fuisse cognovit.

XVI. In hanc igitur partem nostris contendere, et hostibus ad rei bene gerendae captandas occasiones appropinquare cum placuisset, in Corcyrae promontorium, quod solem orientem spectat, provecti, in tres hostium onerarias naves, *Squirazos* ipsorum consuetudine dictas, inciderunt, quibus comprehensis, passuum quindecim millia progressi, septem praeterea ejusdem generis nacti, has quoque sine certamine cum nautis ad quadringentis, qui ad usum hostilis classis importabantur,

tur, capiunt; quibus nautis, ceterisque rebus, quae usui esse possent, in triremes transpositis, naves ipsas cum commeatibus igni corrumpunt. Tum tribus diebus circa Corcyram et proximas insulas latitando consumtis, noctuque Aulonem versus cum processissent, quarto die mane duas triremes conspexerunt, quibus Joannes Bejus unus ex Solymani praefectis, Methonae Christianis parentibus ortus, sed qui jam defecerat a Christiana Religione, vehebatur, ex Corcyra rediens, quo missus a Solymano fuerat de injuriis depressae navis cum Venetis expostulatum. Haec enim erat Venetorum consuetudo, ut quoties Turcarum Princeps exercitum aut classem coëgisset, ipsi quoque classem instruerent, et militum praesidia per opportuna loca disponerent, non ut Turcis nocerent, cum quibus pacem habebant, ac diligenter tuebantur, sed ne ipsorum securitas et negligentia occasio fieret alienae perfidiae; et tunc duas classes confecerant triremium quinquagenarum, quarum alteri Joannem Victorium, alteri Hieronymum Pisaurum praefecerant, quorum Pisauro stationes ad Corcyram obtinente, casu navis oneraria, quae Solymani lautum instrumentum suppellectilemque vehebat, duas Venetorum triremes ab aliis speculandi gratia digressas, contemtim praeterlapsa, non salutavit, neglecto more nautico gentium approbatione recepto, ut cum inter se navigantes occurrunt, qui sunt numero aut magnitudine navium inferiores, hi priores alteros tormentorum bombis aut etiam nautarum vocibus clamoribusque salutent. Indignati ergo se contemni, qui triremibus praeerant, pugnam tormentis,

ut

ut fieri solet, intentarunt. Cumque Turcae nihilo secius taciti cum magna contemtione pergerent, Veneti animis ira succensis, nec ferentes indignitatem, serio agunt, et navim oppugnare instituunt; nec diu fuit elaborandum, quippe ad primum ictum inferiore parte tormenti telo concussa et perforata navis mare coepit admittere, nec valente huic malo nautarum diligentia mederi, deprimitur, simulque regium instrumentum et multi mortales desiderati.

XVII. De his igitur injuriis Joannes Bejus conquerendi et rationem reposcendi causa legatus missus in Corcyram cum duabus, quas dixi, navibus contendebat; et jam appropinquabat, cum Veneti, qui speculandi gratia cum paucis triremibus a classe discesserant, Beji naves conspicati, veluti furore perciti tormentis eas quatere coeperunt, nihil signo pacis, quod Turcae consistentes ostentabant, retardati. Hoc periculum Bejus dum fuga vitare contendit, in classem nostram incidit, rebusque desperatis, non procul naves in littus adigi jubet, captaque terra, cum suis omnibus sese fugae mandavit. Sed eos nostri terra quoque consectati, plerosque aut ceperunt, aut occiderunt, paucis in proximos montes evadentibus, qui tamen Epirensium Christianorum manus effugere non potuerunt, a quibus Joannes quoque Bejus captus est, sed mox Solymano sine pretio restitutus. Doria vero, duabus triremibus, itemque biremi, quae Bejum ex intervallo sequebatur, captis, insequenti nocte ad Merlaram insulam reversus, captivas triremes, tormentis in suas translatis, incendit. Hic de triremibus quibusdam ho-

stilibus, quae tardius profectae, aut in itinere remoratae ad classem iter habebant, cognovit, has comprehendendi gratia Corcyram versus revertitur. Sed prima luce septem rostratae naves in alto conspiciuntur, triremes quatuor militaris Religionis Sancti Joannis, tres biremes Genuenses, quae serius Messanam appulsae, atque inde progressae, ut cum Doria se conjungerent, properabant. Has nostri hostiles esse rati, tormentorum telis eminus oppugnare et fugientes insequi coeperunt; donec certis significationibus factis, et speculatorio navigio a fugientibus misso, inter se cogniti sunt.

XVIII. Navibus in unum compulsis, ad Leucocymam Corcyrae promontorium contendunt; factique a Corcyrensibus certiores duodecim Turcarum triremes ad Pargam continentis Epiri maritimum oppidum appulsas esse, ad has excipiendas se noctu ad promontorium, quod abest a Parga quinque millia passuum, qua illis iter erat, occultant: quarta vigilia clarissima luna cum hostes adesse ab speculatoribus nuntiati essent, Doria, non explicata classe, quod magno usui tum ad circumveniendum hostes, tum ad eosdem navium multitudine deterrendos foret, sed praetoriam et sex alias naves pariter praevectas, cetera classe longo ordine subsequente, contemtim in occursum movet, et oppugnare aggreditur: hostes, in quibus erant mille Genizari, nostrarum navium numerum initio quidem ignorantes, magno animo certamen capessunt, tam pertinaciterque duas horas repugnarunt, ut nisi propugnatoribus fere omnibus concisis aut vulneratis, ipsorum nul-

nulla navis in nostrorum potestatem veniret; omnes tamen ad extremum captae, hostium mille circiter quingenti caesi; nostrorum mille amplius quingenti vel occiderunt, vel plagam acceperunt; in quibus Antonius Doria, dum strenui ducis ac militis fortissimi munere fungitur, arcu emissa sagitta, quo genere teli Turcae multum in praeliis utuntur, secundum genu transfixo crure vulneratur. Hac edita strage, cunctisque hostium triremibus expugnatis, cum his omnibus praeter unam, quae depressa fuerat, Andreas Messanam, unde profectus fuerat, revertit; navibusque refectis, et nova manu desideratis sauciisque militibus suffecta, ad oram Epiri regreditur. Sed cum ad Corcyram navim unam hostilem onerariam cepisset, cognito de Charadini, qui cum classe aderat, adventu, Cephaleniam versus procedit, atque inde Messanam redit.

XIX. His detrimentis Aulonem nuntiatis, Solymanus vehementer est commotus, non solum propter acceptum detrimentum amissarum navium, et militum egregiae virtutis caedem; sed multo etiam magis, quoniam Venetorum potissimum, a quibus pro amicitia nihil metuendum aut cavendum putaverat, fraude ac perfidia id sibi malum accidisse credebat, clamante Charadino Barbaroxa classis praefecto, atque negante, tam feliciter Doriae cuncta potuisse cadere, nisi Venetorum et amicitia fretus, et indicio fuisset adjutus. Ergo classe bipartita, Solymanus Charadinum ad deportandum milites, qui tardius ad oram maritimam convenerant, cum sexaginta triremibus mittit, qui simul adversus nostrae classis conatus praesidio sit navi-

giis onerariis, quae nuntio captarum navium deterrita, in proximos portus sese receperant. Cum reliquis autem navibus et octo peditum millibus equitibusque sexcentis Luthphinum Bassam in Apuliam trajicere jubet, ac oppidum aliquod atque portum occupandum muniendumque curare, quo ceteris copiis transportandis expeditus esset atque tutus in terram Italiam accessus. Luthphinus, brevi trajectu in oram Italiae compulsa classe, non procul ab Hydrunto copias exponit, et Castrum, oppidum parvum illud quidem, sed operibus bene munitum, oppugnare aggressus, oppidanos repentino metu perculsos, et vitam modo cum libertate pactos, in deditionem venire compulit; quos tamen oppido digressos, ac Hydruntum contendentes, interposita causa, quod tardius, quam oporteret, discessissent, omnes numero circiter centum quinquaginta, violata fide, Turcae peremerunt, praeter feminas et pueros, quos magis placuit in servitutem abstrahere.

XX. Hic nuntius in universam Italiam celeriter perlatus, magnum ubique terrorem injecit, cunctis metuentibus, ne multo majoribus copiis, quas ad Aulonem convenisse constabat, a Solymano transmissis, summa Reipublicae Christianae, praesertim Italiae, in discrimen difficillimo tempore, dissidentibus Christianis Principibus, adduceretur. Nam Caroli copiae, in quo Italiae ac omnino Christianorum salus nitebatur, et in quem fere omnes intuebantur, Gallico bello tum ad Taurinos, tum etiam in Belgis distinebantur. Ceterum Petrus Toletus, qui rem Neapolitanam pro Rege, ut supra dictum est, administrabat, diligenter omnia,

quae

quae ad bellum defendendum, Regnumque tutandum usui essent, jussu Caroli comparaverat, et exercitum confecerat peditum Hispanorum et Italicorum quindecim millium, equitum vero cataphractorum quadringentorum, mille autem et quingentorum levioris armaturae, praeter proceres Regni Neapolitani, qui nominatim evocati, cum suo quisque comitatu celeriter affuerunt. Quas copias Toletus ad nuntium appulsae classis in hostem inducere coepit.

XXI. Interea Hieronymus Pisaurus, factus certior de Charadini ex Aulone discessu, metuensque ne ab irati Solymani classe circumveniretur, naves Corcyra prima vigilia deducit, Apuliamque versus contendit; et nactus in itinere unam Turcarum triremem, hanc mortalibus omnibus ad unum concisis depressit; deinde ventis dejectus, cum circa Hydrunti regionem quarta vigilia processisset, in classem, quae Turcas et Luthphinum transportaverat, incidit, non ante conspectam, quam ventum esset intra teli jactum. Tunc vero ingenti tormentorum fragore Turcis invadentibus, Veneti eorum impetum ferre nequeuntes, fugam capessunt, et magno remigum studio atque labore periculum, non tamen sine jactura quatuor navium, evaserunt. Luthphinus autem, partim nuntio deterritus convenientium Christianorum, partim metuens ne Veneti, conjunctis duabus classibus, se suasque naves opprimerent, triduum modo ad Castrum commoratus, hoc oppido et omnibus circum aedificiis incensis, suos ad naves reducit, ac pridie Kalendarum Augusti discedit, Aulonemque revertit, cujus factum consiliumque Solymanus proba-

bavit, qui multis praeterea difficultatibus afficiebatur, anguste jam suppetentibus cibariis, quae partim intercepta fuerant ab Andrea Doria, partim ejus timore tardata, et Turcarum ob eam rem necessario distentis navibus. Itaque affecta jam aestate, simulque metuens, ne, Venetis navibus cum nostra classe conjunctis et consentientibus, exercitus in hostili terra commeatibus prohiberetur, statuit, omisso in praesens Italico bello, arma in Venetos Corcyramque convertere, quam ex itinere parvo negotio expugnari posse existimabat.

XXII. Reversis igitur navibus omnibus rostratis, Aulonemque compulsis, imponi militum manum Solymanus jubet, et ad Corcyram, cujus agrum Charadinus vastare coeperat, occupandam deportari; ipse pedestri itinere cum ceteris copiis eodem contendit, atque ex insulae regione consedit: sed convectis in Corcyram expositisque militibus, dum oppidum duces oppugnare moliuntur, naturam loci considerantes, tam munitum id esse operibus, et tam firmo militum praesidio, et oppidanorum armata manu custodiri repererunt, ut periculum esset, ne res frustra susciperetur. Quo nuntiato, Solymanus, cui ab initio rem in expedito fore persuasum erat, omittendam in praesens oppugnationem ratus, copias, vastatis agris, et incensis aedificiis, deduci jubet; sed ita ut videri vellet, quod assequi desperabat, id Jacobi Canalis, qui res Venetorum apud ipsum procurabat, amicitiae condonare. Itaque instante hyeme, Solymanus cum suis domum discedit; Andreas Doria Venetique suas classes in hyberna deducunt.

XXIII. Per id tempus Turcae, quos piraticis mare

Gal-

Gallicum, ipsis Gallis faventibus, infestare demonstravimus, Nicaenum agrum incursione nocturna depraedari parant, et consilium per unum ex suis praefectis cum arcis Antipolitanae praefecto communicant, ut res, quam Gallis non ingratam fore putabant, commodius tutiusque gereretur, docentque sibi esse in animo, cum alios mortales vinearum causa rusticantes, captivos ad naves abducere, tum in primis Monachos Franciscanos, qui coenobium in Nicaeae suburbano tenebant. Probat consilium praefectus arcis, aut probare simulat, Turcasque collaudat, et, si quid opus sit, suam operam pollicetur, certumque tempus ad eam rem constituitur. Sed haec omnia, quae inter coenandum acta fuerant, ad Vargam, militum a Carolo Nicaeae praesidio relictorum tribunum, postridie circa noctis rei gerendae destinatae crepusculum indicio delata. Vargas, secreto duobus centurionibus evocatis, Bocanegra Machinoque Mongia, hos de Turcarum consilio certiores facit, et quid fieri velit, ostendit. Illi ducentos scloppetarios deligunt, et prima vigilia in vinetum mari proximum silentio deducunt, opportunoque loco ad maceriam disponunt; peractaque secunda vigilia, strepitu navium accedentium exaudito, prostrati milites omnes, igniculis contectis, sese inter vites suis foliis (erat enim September mensis) vestitas occultant.

XXIV. Turcae cum ad eum locum, qui militibus exponendis idoneus erat, pervenissent, scapha speculatores duos, ne quid insidiarum lateret, exponunt. Hi diversas in littoris partes cum discurrissent, et fallentibus insidiis omnia tuta renuntiassent, centum delecti ho-

homines ad rem gerendam exponuntur, non solum telis ad pugnandum, sed etiam parvis securibus ad fores infringendas armati. Sed his paululum a littore digressis, a quodam nostrorum milite, ut interdum accidit, nolente, scloppeti telum emittitur: quo strepitu detectis insidiis, celeriter et Turcae ad naves redeunt, et nostri excitati redeuntibus occurrunt, illorumque bona parte concisa, quosdam comprehendunt, ceteri ad mare celeri cursu regressi, sese aquis committentes ad suas naves evaserunt. Nostri, uno tantum milite signifero, qui tormenti telo ex navibus emisso percussus interiit, desiderato, alteroque saucio, Nicaeam laeti reverterunt.



JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

I. EODEM anno Florentius Egmundus, Burensis Comes, in Gallia Belgica, quae Caroli ditionis est, exercitu gentis ejus Germanorumque coacto, hunc voluntate jussuque Caroli in fines regios inducit, Sanctumque Paulum (oppido id nomen est) quod praesidio quatuor millium propugnatorum tenebatur, oppugnare aggressus, parteque muri tormentis prostrata, copias immittit; hostibus autem magna vi resistentibus, pugnatum est acriter utrinque, donec cohors Germanorum, qui ante oppidum in acie substiterant, Caesarianis auxilio venit. Tum vero hostes fusi, et fere omnes ad internecionem caesi, in quibus sexcenti amplius honesto loco nati viri desiderati, pauci sese in arcem receperunt; qui tamen ejus infirmitati diffidentes, atque rebus desperatis, oppugnatione non exspectata, deditionem fecere, seque in victorum potestatem sine conditione permiserunt; oppidum autem direptum, et consequenti nocte incensum, igni, incertum a quibusdam Gallicis militibus, qui ad fossas diffugerant, dum incendio occupatis hostibus facilius sese effugere posse pu-

tarent, an a Germanis injecto. Monsteriolo deinde, quod oppidum trium millium Gallorum praesidio tenebatur, copias admovet, et cum paulisper murum tormentis concussisset, usque adeo metum hostibus auxit, ut ante confectam oppugnationis unam horam legatum de pace mitterent; quam his conditionibus impetrarunt: ut milites omnes, oppido relicto, cum armis et suis quisque rebus discederent, silentio tamen atque signis complicatis; oppidum autem et oppidani essent in victoris potestate.

II. Militibus digressis, et oppido in Caesarianorum potestatem redacto, postero die cum Germanis obsisti non posset, quin oppidum invaderent atque diriperent, ne ipsorum licentia et maleficium in homines etiam grassaretur, oppidani omnes discedere jubentur; quibus digressis Germani succedunt, oppidumque diripiunt, et igni corrumpunt. Tum Terovenam munitissimum interioris Galliae oppidum nostris obsidione prementibus, Rex supplendi praesidii gratia, pedites mille et equites quingentos summittit: quibus in oppidum receptis, equites mille quingenti, qui illis alteris, donec oppido reciperentur, praesidio venerant, contemtim redeuntes, se feroces in castrorum conspectum, velut praelium intentantes, dederunt. Sed nostris ingruentibus, consertaque pugna, perpauci illorum desiderati sunt, quin aut caderent, aut vivi caperentur. Hic nuntius Regi hoc etiam gravior evenit, quod deleti equitatus bona pars ex viris nobilibus erat. Ad compescendum igitur hostem, quem victoria ferociorem factum esse non dubitabat, Henricum filium cum exerci-

tu

tu paucis illis diebus confecto, properare jubet, et quid fieri velit, ostendit. Henricus, copiis inductis, a Terovena passuum viginti quinque circiter millibus hoc consilio consedit, non ut praelio cum Caesarianis, quibus numero et genere militum inferior erat, dimicaret, sed ut eos ab injuria et maleficio prohiberet, nec libere vagari, nec rursus arcte oppidum obsidere pateretur. Sed cum utrique se in hostium malum omni ope compararent, Abbas quidam, vir probus et religiosus, dolens Christianos mutuis inter se vulneribus ac caedibus concidi, ad utrosque ventitando, prudentibus piisque verbis ad concordiam tam prudenter est adhortatus, ut hoc auctore atque agente, et aliis gravibus causis Burensem Comitem adhortantibus, novem mensium induciae fierent, ac bellum dissolveretur.

III. Harum rerum in Gallia Belgica gestarum ordinem atque rationem ut Carolus cognosceret, ac inducias et conditiones confirmaret, ad ipsum Montisone Conventus habentem missus est Cornelius Sceperus ex Caroli Consiliariis in Belgio, qui per Galliam iter habens, ad Regem Franciscum et Reginam Caroli sororem salutandi gratia deflexit; et cum his de incommodis utrinque bello acceptis collocutus, Regis animum, quem Regina mollire et ad concordiam adhortari non desistebat, ad pacem esse proclivem cognoscit; acceptisque ab eo mandatis, ut Carolum de sua voluntate et animo certiorem faceret, ire pergit. Cumque ad Carolum pervenisset, et mandata exposuisset, redeuntem Carolus Regi renuntiare jubet, sibi vero pace nihil antiquius esse, nihil optatius, nec se recusaturum,

 quin

quin de compositione inter ipsos ageretur. Ille hoc accepto responso, Velium, cujus viri fidem prudentiamque perspexerat, legatum de pace ad Carolum mittit. Regis autem mandatis expositis, Carolo Velioque collocutis consilium placuit, ut auctoritate graves et rerum usu praestantes viri utrinque ad Regnorum confinia, qui de compositione transigerent, bini mitterentur, et ipsi Principes, quo facilius a suis quisque consuli possent, colloquii loco appropinquarent, et Carolus Barcinonem progrederetur, Gallus Agatham (sic enim vetere Latinoque nomine vocatum existimant oppidum, quod *Mompullerium* nunc vulgo nuncupatur.) Id cum Regi quoque probatum esset, ipse Joannem Lorenam Cardinalem, et Annam Montimorensiacum Comestabilem, Carolus Nicolaum Perenotum Granvellam, ac Franciscum Covum misit, magni consilii viros, et quibus suarum quisque rerum maximam habebat fidem, et communicare de rebus maximis solebat.

IV. Hi quatuor viri prope Salsulas Hispaniae ditionis oppidum, sed in Galliae finibus, ad Caulas Phitonis appellatas, non multo ante Kalendas Januarias convenerunt. Ceterum his saepe congressis, deque pacis conditionibus multa collocutis, cum Carolus jam et Franciscus, quemadmodum erat constitutum, appropinquassent, nihil tamen convenire potuit propter conditionum, quas Galli petebant, iniquitatem, quamquam initio tam liberaliter de sui Regis animo pollicebantur, atque eam spem dabant constituendae pacis, ut Carolus nihil de concordia dubitans, se ad Regis colloquium compararet, Petro Fernando Velasco Comestabi-

bi-

bili, Manrico Lara Najarae, Inecho Lupo Mendoza Infantati, et Jacobo Lupo Pacheco Scalonae Ducibus, ut se ad colloquium comitarentur, evocatis, et Barcinonem convenire jussis, quo Carolus ex oppido Valdolito properabat. Carolus enim cum parvo comitatu, mutatis ad celeritatem equis, uxorem, et Joannem nuper natum filium, qui insequenti anno mortuus est, visendi gratia, ex Montisone, dum legati ad colloquium missi convenirent, Valdolitum venerat; sed Barcinonem reversus, cognitis Gallorum iniquis postulatis, et spe pacis refrigerata, quos dixi Proceres, jam iter ingressos domum redire jussit.

V. Ceterum legatis ex colloquio re infecta reversis, Carolus, qui pacem constitui magni videbat publicae Christianorum salutis interesse, non statim ab incepto sibi desistendum putavit, sed omni ope conandum, siqua ratione posset Regem ad aequitatem reducere, ut controversiis compositis, in publica Christianorum concordia commodius posset Turcarum injuriis et conatibus obsistere, in idque bellum, quod animo agitabat, incumbere. Ad spem hujus rei conficiendae cum maxime probaret opera et auctoritate uti Pauli Pontifici Maximi, qui sua quoque sponte pacis auctor semper fuerat, per litteras et legatum Joannem Manricum Aguilaris Marchionem cum ipso agit, uti rem suscipiat, et suam auctoritatem interponat; cui si visum fuerit, ut ipsi tres, quo res commodius agatur, Galliae finibus appropinquent, se nec itineris molestiam, nec laborem recusaturum ostendit in Allobrogas, aut Taurinos, quocumque convenerit, trajiciendi.

Pau-

VI. Paulus, animo Caroli probato et collaudato, duos Cardinales Legatos mittit, Christophorum Jacobatium ad Carolum, Rodulphum Pium ad Franciscum, rogatum, ut locum aliquem medium ad Alpes colloquio ipsorum trium constituerent, velle sese cum eis de compositione et summis ipsorum rebus, et Christianae reipublicae maxime salutaribus agere. Qua conditione ab utroque accepta, locus convenit ad Allobrogum Nicaeam, dies autem, cum primum per tempus anni liceret; ad haec induciae tamdiu prorogatae, donec colloquii tempus, et praeterea mensis effluxisset; nec modo per terram, ut prius, depactae, sed etiam per mare dumtaxat internum; de Oceano renuente Rege propter Gallicas naves, quae insidiantes nostris, ut ex Orbe novo cum auro et argento redeuntes interciperent, Atlanticum obsidebant. Itaque Pontifex post Idus Martias Roma proficiscitur; eoque nuntiato, Carolus viginti octo longarum navium classe coacta, profectionem parat, omnibus fere suis, sed in primis Andrea Doria reclamantibus: nam plerisque Galli fides suspecta erat, metuentibus, ne Rex per dolum et colloquii simulationem tempus trahi vellet, et naves distineri, cum quibus Andreas in Graeciense mare mittendus erat, ut cum reliqua classe Venetisque se ad Corcyram conjungeret, ad Turcis, quorum rebus Rex Franciscus favebat, bellum inferendum, aut illatum propulsandum.

VII. Carolus igitur praeter omnium fere suorum sententiam octavo Kalendas Aprilis ejus anni, qui fuit
AN.M.D.XXXVIII. a Christo nato millesimus quingentesimus trigesimus octavus, quadriremi conscensa, Barcinone proficiscitur, vi-

viginti septem triremibus sequentibus, quibus tres dumtaxat sacrorum Antistites vehebantur, Petrus Sarmentus Compostellanus, Joannes Reina Pompelonensis, et Joannes Borgia Sogorbiensis Pontifex; praeterea complures ex Hispana nobilitate, quorum primores fuerunt Fernandus Toletus Albae, Beltranus Cueva Alburquerquii, Manricus Lara Najarae Duces, Antonius Pimentelus Beneventi Comes, Fernandus Cardona Neapolis Almirantus, Franciscus Cueva Cuellaris, Antonius Peralta Falcium Marchiones, Ludovicus Federicus Henricus Modicae Comes, Ludovicus Cueva praefectus cohortis praetoriae, Petrus Cueva Equitum Calatravae Praefectus. Nam Franciscus Covus Religiosorum equitum et ipse praefectus, et Nicolaus Granvela, quos saepe nominavimus, numquam nec domi nec militiae a Carolo discedebant.

VIII. Profectus est autem Carolus non exspectato secundo flatu, sed contra leviter reflantem euronotum magno remigum labore nitendo. Ac cum aegre classis in portum Cadaquesum postridie pervenisset, necessario constitit in anchoris; atque ibi et in portu, quem *Ligatum* dicunt, usque ad Kalendas Majas exspectavit. Tum vero cum mare resedisse, et zephyrus subinvitare videretur, naves solvit, seque in altum per sinum Narbonensem dedit. Sed triginta circiter millibus confectis, euronoto reflante, cujus est per eas regiones maxime assiduus flatus, ac tumore maris deterrente, viginti amplius millia passuum retro classis reducitur. Sed cum interim quievisset ventus, et tumor maris resedisset, rursus navibus conversis Massiliam versus Caro-

ro-

rolus ire pergit; et continenti diurna nocturnaque navigatione provectus, in statione quadam citra Massiliam viginti circiter millium intervallo jactis anchoris tantisper exspectavit, dum naves omnes convenirent. Nam quaedam earum, ut duabus triremibus subvenirent, quarum alterius antenna vi venti confracta, alterius velum fuerat rescissum, retardatae, ex intervallo sequebantur.

IX. His appulsis, insequenti nocte in insulas, quae sunt ante Massiliam, vulgo *Pomegas* dictas, progreditur, et necessario propter adversam tempestatem consistit, atque ibi ad diem Nonarum Maji in anchoris moratus est; quo die nactus commodiorem tempestatem, quatuordecim navibus aquatum missis, ac se subsequi jussis, cum reliqua classe ire pergit; parumque provectus, incidit in decem Gallicas triremes ex Aegaeo mari Turcarumque finibus redeuntes, quo eas Rex Franciscus cum praefecto Samblancardo armis ac milite Gallo instructas miserat, ut cum classe Turcarum se conjungerent, propter societatem, quam cum ipsorum Principe Solymano coierat. Sed Galli naves Caroli conspicati, et hostiles rati, in fugam vertuntur. Hoc animadvertens Carolus, eosque primum Turcas praedones esse ratus, insequi fugientes instituit. Verum paulo post cum Gallicas esse naves certis indiciis cognovisset, eos imperat, tormentorum editis sine telo bombis et aliis pacificis significationibus revocari; quibus cum illi nihil moverentur, nec fuga desisterent, incitari suas naves Carolus, et ab eis fugientes retrahi jubet; atque ipse in primis cum quadriremi invectus,

unam

unam triremem, quae prima capta est, in deditionem venire coëgit. Tum cognito ex comprehensis Gallis, eam classem ex Turcarum regionibus, ubi diu versata esset, redire, hoc etiam diligentius suis imperat, ut ceteras naves persequantur, et comprehendere conentur, revocatis etiam iis, qui aquatum discesserant, a quibus duae triremes, quae digressae ab aliis se in altum dederant, captae, et ad Carolum deductae. Nam ex septem, quae in proximos portus terrae Galliae confugerant, una tantum est comprehensa.

X. Captis igitur quatuor Gallicis triremibus, paulumque progressus Carolus constitit in anchoris proxima nocte in statione, quae est prope oppidum, cui nomen est *Civitas*, quo major pars confugerat Gallicarum navium. Hic Carolus ex captivis Gallis perquirendo reperit, quindecim Gallorum triremes cum praefecto Samblancardo ante novem menses a Rege ad Solymanum missas fuisse; quarum duabus paulo post cum nuntio videlicet et litteris Solymani ad Franciscum remissis, praefectus Gallus tamdiu cum reliquis gratum officium praestitisset Solymano, donec falso nuntiatum esset, Regem Franciscum in gratiam cum Carolo Caesare rediisse, et amicitiam ac societatem inivisse; tunc vero iratum Solymanum Samblancardum ex Chio insula, ad quam cum navibus stationem habebat, ad se Byzantium evocasse, ut comprehensis Gallicis triremibus, ipsum quoque custodiae traderet. Ceterum Samblancardum de Solymani indignatione litteris Christianorum mercatorum jam factum certiorem, et rem ita fore suspicantem, cum tribus dumtaxat triremibus ad

Solymanum ivisse, ceteris se ad certum tempus operiri, et hoc exacto, nisi ante vel ipse rediisset, vel aliud quidquam per chirographum imperasset, domum properare jussis: quorum cum neutrum factum esset, ac plus etiam ipsi Galli, quam jussi fuerant, exspectassent, cum decem illis triremibus digressos se fugae mandasse, atque aegre, et magno labore ac remigum et nautarum singulari studio usos, vim classis Turcicae, quae ipsos retrahendi gratia triduum insecuta fuisset, effugisse.

XI. Haec et alia cum Carolus ex Gallis accepisset, postridie mane liberari eos jubet, et cum suis navibus dimitti, eisdemque res omnes ablatas restitui. Ipse, sublatis anchoris, eodem die vesperi Stoechadas insulas tenuit, et proximo die digressus, quarta vigilia duarum circiter horarum quiete remigibus data, e Nicaeae regione factus est, et cum magna gratulatione et plausu a diffusis per littora popularibus et militibus in portum Herculis, qui nunc *Villaefrancae* nuncupatur, pervenit, quindecim dies in itinere moratus, ac eorum ne unum quidem usus idonea tempestate; quod quidam in omen (ut est nonnullorum superstitiosa vanitas) vertentes, infaustum exitum consilio, quod Carolus praeter suorum sententiam iniisset, augurabantur.

XII. Carolus sequente die, cum esset nuntiatum, Paulum Pontificem Maximum jam Savonam pervenisse, quindecim triremes eodem mittit ad ipsum et comitatum, in quo plerique Cardinales erant, tollendum, ac post dies septem venienti Fernandus Toletus, Albanorum Dux, cum ceteris omnibus triremibus missus, obviam

pro-

procedit, et ipsum Nicaeam usque deducit. Sic enim inter ipsos, volente Carolo Sabaudiae Duce, constitutum erat, ut Caesar cum suis ad Villamfrancam et Portum Herculis, Paulus Nicaeae duorum circiter millium intervallo consideret, et in arce diversaretur. Sed Carolus Dux a Rege, ut creditum est, mutata in ipsum voluntate, et omnia cavere volente subornatus, quominus arce Pontificem reciperet, tergiversari coepit causis quibusdam, et iis nec gravibus nec probabilibus, illatis. Nam cum filium haberet puerum, in eam quoque causam descendit, ut se a suis, qui cum filio arcem occupassent, impediri diceret, nec ab ea sententia ullis aut precibus, aut acerbis denuntiationibus et verbis Caroli Caesaris deduci potuit, rem molestissime ferentis, et suam fidem, quam Pontifici de arce dedisset, Ducis inconstantia non liberari indignantis et expostulantis.

XIII. Hoc Pontifex animadvertens, Ducique iratus, ne oppidum quidem Nicaeam, ubi domus ipsi erat magnifice ad diversandum apparata et instructa, subire voluit; sed ipse ad Franciscanorum coenobium suburbanum, Cardinales reliquusque comitatus necessario intra moenia diverterunt. Postero die Alexander Caesarinus, et Jacobus Sadoletus Alexanderque Farnesius Cardinales officii salutandique gratia ad Carolum a Pontifice missi; eodemque die in postmeridianum inclinante Carolus conscensis navibus (nam pedibus difficilis est et aspera via) ad Pontificem venit. Pontifex, praemissis obviam, qui aderant, Cardinalibus, ipse intra coenobium parum progressus exspectavit. Tum uterque post adorationem et salutationem consuetam, a turba, quae

maxima confluxerat, secessere, et colloquium in horas circiter quatuor produxerunt. Itaque, occidente sole, Carolus ad naves revertit. Post diem tertium in hortos, qui sunt inter Nicaeam et Villamfrancam, in medio ferme spatio, itidem colloquii gratia rursus convenerunt, militibus Hispanis, quorum ad duo millia ex Insubribus custodiae suae causa Carolus evocaverat, in statione et conspectu ipsorum consistentibus. Nullam enim armatam manum ex Hispania praeter admodum paucos praetorianos milites Carolus advexerat. Nam Pontifex summam securitatem praeferens, paene incomitatus semper ad colloquium Caroli veniebat.

XIV. Rex Gallus diu moratus, et parvis itineribus progressus (quod occulti animi dolique suspicionem augebat) tandem pridie Kalendarum Junii Antipolim maritimum oppidum, quod abest a Nicaea passuum millibus circiter novem, cum uxore atque liberis pervenit, magno comitatu armatorumque praesidio stipatus. Eodem die legatus quidam ad Carolum ex Russia missus pervenit, qui cum naviculam Savonae compendii gratia conscendisset, his paucis diebus ante Arbengam oppidum a Turcis praedonibus captus fuerat, Massiliamque invectus, ubi Laudus Sedantus provinciae Narbonensis Massiliaeque praefectus jussu Regis precibus eum vel parvo pretio ab eisdem praedonibus, ut Carolo morem gereret, redemerat. Kalendis Junii Rex idem Joannem Lorenam Cardinalem et Annam Montimorensiacum Galliae Comestabilem ad Carolum, hic vicissim Beltranum Cuevam Alburquerquii Ducem, et Franciscum Covum Nicolaumque Granvelam ad Regem et Reginam salu-

tan-

tandi gratia mittit, multis praeterea viris nobilibus utrosque nuntios assectantantibus.

XV. Postridie Paulus Pontifex et Rex Franciscus in villam Nicaeni agri, quae abest ab urbe mille circiter passuum intervallo, consultandi et colloquendi gratia processerunt. Sed Paulus prior adest, plerisque Cardinalibus comitantibus, atque Italicis militibus quingentis et equitibus centum stipantibus. Rex, qui ex Antipoli discedens, ad Villamnovam castellum consederat, paulo post cum utroque filio et praeterea plerisque Gallorum principibus advenit, equitibus cataphractis et levioris armaturae plus mille tripartito consectantibus, peditum vero armatorum quinque millibus praecedentibus: nam ceteri comitatus, et eorum, qui undique spectandi gratia convenerant, tanta erat turba, ut agro atque viis repletis, progressum Regis impedirent, quem Cardinales ex more obviam progressi ad Pontificem deduxerunt. Illi vero, cum alter alterum adorasset et consalutasset, ad solis paene occasum colloquium produxerunt; nec deinde intercedebat dies, quin Pontifex cum alterutro, Carolo, vel Francisco colloqueretur, aut nuntii vel legati ultro citroque mitterentur. Nec multo post Regina, magno comitatu principum virorum et nobilium illustriumque feminarum stipata, pedibus ad Pontificem venit adorandi salutandique gratia, exceptaque ab eo est, praemissis obviam Cardinalibus, ut est in Reges et Reginas consuetudo.

XVI. Paucis diebus interjectis, Regina eadem, ut Carolum fratrem longo post tempore viseret et salutaret, navim magnifice ac regaliter ornatam conscendit,

re-

remigibus etiam sericos sagos pallido , coccineo , atque hyacinthino coloribus distinctos indutis, quam Reginam in navibus quindecim multo etiam major , quam nuper, principum virorum et feminarum comitatus sequebatur , in quo erant Margarita Regis filia et Catherina *Delphini* uxor : (sic enim appellant Galli Regis filium natu maximum , cujus est Regni jus hereditarium.) Venienti Carolus obviam cum omni sua classe multos viros nobiles atque proceres mittit , quorum fuere Petrus Sarmentus Compostellanus Archiepiscopus, Joannes Toletus Episcopus Burgensis , et Petrus Manricus Praesul Cordubensis , qui non multo post, Paulo Pontifice ad Genuam exorato , facti sunt in Caroli gratiam Cardinales. Praeterea Manricus Lara Najarae Dux , et Antonius Pimentelus Comes Beneventanus.

XVII. Ut autem Regina femineusque comitatus commodius exponeretur , parvus pons erat in portu factus, quo classe accedente Carolus progressus , matronas et virgines, quae omnes fere ante Reginam sunt egressae , singulas more Gallico amplectens et exosculans , comiter excepit. Reginam vero , quae ex triremi excepta scapha vehebatur , porrecta manu in pontem ad se recepit. Sed dum se arcte complectentem , et fusis prae gaudio lacrymis exosculantem in terram deducit , ponticulus , quem nobilium atque procerum turba repleverat , pondere pressus ex parte corruit , multosque sua ruina traxit , ipsumque in primis Carolum , qui cum sorore complexa in pedes nonnihil allisa tibia concidit; et nisi qui proxime aderant , jam inclinatum , et uno pede destitutum sustinuissent , periculose cum Regina con-

conciderat. Sed erectus et confirmatus, cum cymbarum beneficio et aquae brevitate neminem periisse, sed quosdam aqua madidos videret, casum risu prosequens atque laetus ad terram cum sorore devehitur. Hinc in hospitium Imperatorium progressi, bonam diei partem jucunde cum omnium laetitia transegere. Vesperi discedentem sororem Carolus in refectum ponticulum se subinde complectentem, et cum lacrymis ad aurem multa loquentem deducit. Sed lacrymantem, cum jam sine lacrymis aspicere ipse non posset, ad navem relinquens, in suum hospitium, quod erat in propinquo, revertitur; et ex fenestra impositam et abeuntem nec obtutum ab eo deflectentem ipse quoque oculis, quoad licuit, est prosecutus, missis plerisque proceribus et nobilibus viris, qui cum tota sua classe ipsam ad medium usque itineris prosequerentur.

XVIII. Interea Paulus Pontifex nullum diem, ut dictum est, intermittebat, quin aut colloquendo, aut missitandis internuntiis Carolum Franciscumque ad pacem et conditionum aequitatem reducere niteretur. Sed cum perpetuam pacem aequis utrique conditionibus impetrare non posset, satis habuit, ut decem annorum induciae mari terraque fierent, quae certis conditionibus pactae sunt. Quarum illa fuit caput, ut ablatarum bello superiore rerum, et occupatorum oppidorum nulla fieret ab alterutro restitutio vel dimissio. Quam conditionem soli Duci Sabaudiae, in cujus finibus bellum fuerat gestum, gravem atque damnosam, cum diu Carolus Caesar ejus causa repudiasset, tamen publicam Christianorum commoditatem atque quietem sibi tandem

dem privatis amici commodis posthabendam non putavit, ejus praesertim, cujus in se fidem et constantiam his paucis diebus non parum, nec sine magna et justa indignatione desiderasset, arce Nicaena, quam sibi ac Pontifici saepe promiserat, pertinaciter negata; quae indignitas et inofficiose factum, quamquam jure potuit Carolum a Ducis amicitia penitus avertere, ipse tamen pro sua constantia et humanitate rebus illius, quoad licuit, per commodum Reipublicae favit, nec beneficium revocavit quadraginta millium ducatorum, quae jusserat ei constitueratque ab initio belli ex Mediolanensibus vectigalibus ad inopiam cum dignitate tolerandam in annos singulos suppeditari.

XIX. Rebus ad hunc modum praeter opinionem fere omnium compositis; nam Regem nemo fere putaverat, nisi filio Henrico quibusvis conditionibus Mediolanensi Duce facto, ab armis discessurum; Paulus Carolusque profectionem parant. Regina vero, quo fratrem reviseret, ac discedentem salutaret, rursus ad Carolum cum eodem fere, quo nuper, comitatu venit, ac simili apparatu excepta est, majore tamen Gallorum juxta et Hispanorum propter factas inducias laetitia, et apud eumdem usque ad insequentem diem commorata est; quo die, antequam vesperi digrederetur, Carolus eidem ac primariis feminis ex ejus comitatu torques aureos annulosque et pretiosissimas gemmas per Ludovicum Avilam Cubicularium suum dono misit; itemque Joanni Lorenae Cardinali, et Annae Montimorensiaco Comestabili, qui et ipsi fuerant in Reginae comitatu, pocula singula ex auro gemmis fulgentibus di-

stin-

stincta, quae munera plus septuaginta ducatorum millibus a gemmarum peritis aestimabantur.

XX. Paulus Pontifex, triremibus sex a Rege, ac totidem acceptis a Carolo, naves Nicaea solvit eodem die, qui fuit ad tertium decimum Kalendas Julii circa solis occasum, quem Carolus in portu navique, ut ipsum Savonam usque prosequeretur, exspectabat. Itaque noctis crepusculo praetervectum celeriter consequitur, et commoda tempestate usi, postridie mane in Onellam oppidum appulsi, rei divinae gratia in terram descenderunt. Vesperi digressi, Genuam (huc enim Carolo, mutato consilio, procedere placuit) praeterita Savona, proximo die perveniunt, et magnifica solemnique pompa excipiuntur; praesertim Pontifex, de cujus adventu civitas praecognoverat. Carolus enim praeter omnium opinionem et inexspectatus advenit, qui dum Pontifex ex mole, quae portum efficit, a Clero et frequentissimo populo intra moenia in templumque deducitur, ipse ad Praetorium Andreae Doriae suburbanum sibi solitum hospitium divertit, quo mox salutandi officiique gratia pleraque nobilitas et Senatus, Pontifice in domo Joannis Aloisii Flisci Comitis, ubi diversatus est, relicto, contenderunt. Sexto post die Pontifex salutandi et colloquendi gratia ad Carolum ex pedibus laborantem venit; et Carolus vicissim, brevi recepta valetudine, Paulum proficisci parantem adivit; quo pridie Kalendas Julias Romam versus profecto, Carolus quinto post die, navibus suis, quae Pontificem et Clerum Romanum ad Veneris Portum deportaverant, reversis, in Hispaniam proficiscitur.

XXI. Ad Lerinam insulam ubi ventum est, obvios habuit legatos, quos ad Regem locum utriusque colloquio constituendi gratia miserat. Rex enim, qui Caroli conspectum colloquiumque vitaverat, post ipsius ac Pontificis discessum, cum Gallorum quorumdam procerum hortatu, tum maxime uxoris precibus adductus, Caroli colloquium et amicitiam expetivit, atque ea de re Cornelio Scepero Genuam ad Carolum proficiscenti primum, deinde ex suis Vellio ad eum mandata dederat, pergratum sibi fore, ut rediens ille ad insulam, quae est ante Massiliam, quo ipse contenderet, vel ad alium orae Galliae aequum idoneumque locum diverteret, ut utriusque congressu atque colloquio amicitia et pax confirmaretur. Quam conditionem Carolus, etsi suorum quibusdam suspectam esse videbat, sibi tamen gravissimis ex causis non repudiandam statuit, protinusque Vellium, et triduo post Cornelium Sceperum, de quibus supra scripsimus, ad Regem redire, et cum eo locum colloquio deligere et constituere jussit.

XXII. Rex autem, cum initio huic rei locum circa Massiliam destinasset, postea tamen consilium mutavit, sive ut suspicionem minueret insidiarum, quae poterat ex oppidi munitissimi, atque portus occasione nasci, sive, quod ipse causatus est, quoniam Massiliae, cum eo venisset, aëris salubritatem suspectam offendit. Consentientibus igitur approbantibusque, quos dixi, legatis, locum ad Fossam Marianam castellum in littore Provinciae Narbonensis constituit (*Aquas mortuas* vulgo dicunt) a maris, ut opinor, quiete, quo per os angustum primum, deinde littoribus jam paulo latius re-

recedentibus, jam propemodum coëuntibus, tria circiter millia passuum in terram immisso, bonam partem castellum ambitur, stagnum quoque augente Rhodano, quem olim Marius per fossam, unde nomen loco, derivavit. Prope Massiliam progresso Carolo, Laudus Sedantus, quem supra nominavi, et Massilienses magistratus ac primarii cives obviam procedunt cum triremibus navibus viginti tribus, quae nullo milite, sed remigibus dumtaxat et nautis erant instructae. Ad promontorium *Cruzetam* vulgo dictum, ab urbe tria millia passuum congressi Galli, urbis atque arcis clavibus oblatis, Carolum, ut Massiliam diverteret, invitarunt. Quibus ille pro benevolentia et praestito officio gratias agens, ad Regem se properare dixit, et ante portum Massiliensem mane progressus, constitit in anchoris, et reliquum diei consumsit, multis Hispanis Gallisque ad urbem et naves ultro et citro commeantibus cum magna utrorumque benevolentia et laetitia ac Massiliensium singulari comitate; qui Massilienses Carolo naviculam recentibus cibariis onustam, gratum munusculum et tempori accomodatum, miserunt.

XXIIII. Prima vigilia, Carolus sublatis anchoris digreditur. Euntem Galli cum eadem classe, ut jussi erant, usque ad portum, qui est ante Fossam Marianam, officii gratia prosequuntur. Sed non longe progressa classe, tanta nebula tantaque caligo est subito consecuta, ut omni erepta luce, ne a proximis quidem navibus lumina cernerentur, quae in puppi navis Imperatoriae proposita, spectare ceterae noctu atque sequi consueverant. Ita licet ventus flaret non adversus, tamen

 men

men tota nocte cum magna omnium solicitudine et multiplici periculo navigatum est, vario timore cunctorum animos exagitante, ne caeco mutuoque concursu naves allidерentur, neve temere scopulis impactae frangerentur, denique ne in brevia et vadosa loca compulsas et haerentes fluctus dirumperent atque complerent: quibus malis proxima omnium fuit Imperatoria; nam vadis carinam fixit, et in eamdem adhaerescentem triremis, qua Modicae Comes vehebatur, rostro impacta, bona parte puppis avulsa, ipsam vehementer concussit; ad quam eruendam, remis detractis, et in mare dejectis, sed ita ut colligati pendente fune retinerentur; impedimenta, quae navem gravabant, scaphis in duas, quae aderant, triremes transposita fuerunt; tormenta ab haerente prora in puppim natantem relata; remigesque, ut humeris incumbentes navem compellerent, in aquam descendere jussi. Ad hunc modum onere sublevatam quadriremem duae triremes puppibus religatam, arenis avulsam, remulco in altum abstraxerunt. Nec vero haec sola, sed quaedam aliae diversis vadis inhaeserant, quarum periculum et vectorum clamor aliis nonnullis navibus, quae caeco cursu in easdem arenas ferebantur, saluti fuit. Nam qui proxime sequebantur, vocibus atque ululatu laborantium admoniti, incitatas suas naves inhibentes, discrimen vitaverunt, vicissimque periclitantibus subvenerunt. Sed et illa solicitudo animos quorumdam, quibus Galli fides erat suspecta, non mediocriter augebat, ne, nostris navibus dissipatis, in tanto errore et caecitate Galli eorum locorum peritissimi in Carolum et Imperatoriam navim aliquid

per

per occasionem molirentur.

XXIV. Ceterum cum illuxisset, paulatim sole caliginem discutiente, naves, quae plurimae se in altum dederant, ac dispersae ferebantur, ad Imperatoriam, quae parum a littore digressa ceteras opperiendi gratia placide procedebat, convenire coeperunt. Itaque omni fere classe coacta, portum Carolus intravit, Gallis ex castello tormentorum, ut moris est, ingenti fragore salutantibus, et laetitiam significantibus. Rex enim nondum venerat in castellum, sed jam appropinquabat, pervenitque post paucas horas, praemisso Anna Comestabili, qui Carolum ipsius verbis salutaret, ac ejus animum cognosceret, acceptaque ab ipso fide tuto Regem ad naves venturum, ejusdem adventum praenuntiaret; ita tamen ut Rex de animo Caroli non videretur dubitare, sic enim Comestabilis egit cum eo: *Est*, inquit, *in animo Regi huc ad te, Carole, venire. An non tuto id facere poterit?* Ad haec Carolus: et Regem et Gallos omnes tutissimo ad se suasque naves venire posse, respondit. Quibus verbis contentus laetusque Comestabilis discedit. Carolus autem metuens, id quod evenit, ne Rex incauto suo adventu mutui officii cum majore periculo et solicitudine reddendi sibi necessitatem imponeret, Albanorum Ducem et Franciscum Covum Nicolaumque Granvellam ad Regem properare jubet, ac primum quidem suis eum verbis resalutare, deinde non tamquam ex mandato, sed veluti sponte sua e re nato consilio cum ipso agere, ut ad Carolum venturus unam ex suis triremibus conscenderet, ceterisque stipantibus, ad Imperatoriam accederet, ut cum ipse

Ca-

Carolum in sua navi salutasset, Carolus vicissim in Regiam transiret, mutuoque officio fungeretur, ut ea ratione parvo aut nullo discrimine, loco et praesidiis aequatis, abesset non modo periculum, sed omnis etiam suspicio et solicitudo. Sed hi portu cum navicula vix digressi, obviam Regi in scapha venienti fiunt, quam scapham naviculae quinque aliae, procerum ac nobilium virorum plenae, sequebantur.

XXV. Rex paucis verbis a Duce Caroli nomine salutatus, ad ea se Carolo mox coram responsurum esse dicit, simulque progreditur. Accedenti Carolus ad suae navis scalas procedit obviam, et cum perpaucis suorum conscendentem porrecta manu sublevat; qui cum inter se complexi et exosculati amicissime consalutassent: *Veni*, inquit Franciscus, *ad te, Carole, ut pristinis simultatibus abolitis, pro decem annorum induciis pacem sempiternam et sanctissimum foedus ineamus*. Cui Carolus: „ Sibi „ vero nihil optatius esse, respondit, et eam solam sibi „ fuisse causam nuper ex Hispania proficiscendi: itaque „ gratissima fuisse mandata nuntiosque ipsius et Reginae, „ quibus fuisset cum ejusmodi animi significatione ad col„ loquium invitatus. " Haec, multis audientibus, praefati ad extremam puppim secesserunt, et diu sine arbitris sunt collocuti. Tum proceribus accedentibus, Galli Carolum, nostri Franciscum sponte sua salutarunt, praeter Andream Doriam. Hic enim ad Regis ingressum e puppi discesserat, ad malumque constiterat, donec a Carolo vocatus, et Regem salutare jussus est; quem silentio se, ut dextram ipsius ex more oscularetur, inclinantem, complexus Rex sublevavit; ac dextera hume-

mero ejus imposita: *Carolus*, inquit, *Andrea Doria, mihi confirmavit, sibi tuam operam et fidem probari, et esse pergratam; quod ipsum mihi quoque gratum est, et ob eam rem mihi posthac eris amicus*. Quae verba sic ille interpretatus, quasi Rex sua in ipsum commissa Caroli precibus condonaret; cum ipse nihil a se in Regem profectum esse, quod non posset jure ac optima ratione defendi, praedicaret; paulo vehementius est commotus. Quod cum Carolus ex vultu ejus deprehendisset, respondere parantem, nequid Regi molestum responderet, nutu dehortatus est. Itaque demisso capite Doria, ac ne verbum quidem effatus, discedit. Deinde Comestabilis ad Reges accedens, his verbis Carolum alloquitur: „An non tibi, Carole, quod pollicitus eram, abunde „praestiti? En ad te Regem perduxi, tuaeque volun„tati ac arbitrio tradidi; nec ipse dubitavit se tuae fi„dei ac potestati permittere: tuae igitur humanitatis et „officii erit, parem animum Regi benevolentiamque „referre: quod ita demum fiet, si ipse ad eum vicis„sim in oppidum Fossam Marianam colloquendi, epu„landi, et cum omnium gratulatione mutua consuetu„dine fruendi gratia venire non gravaberis; quod te „tam tuto facere posse, quam si esses in media Hi„spania, tibi confirmo, meamque fidem interpono."

XXVI. Ad hanc orationem Carolus, cum ipsi tam aperta et urgens invitatio praeter opinionem accidisset, nec quid responderet, nec quid consilii caperet, satis sciebat; quod animadvertens Franciscus, ut eum praesenti solicitudine liberaret: „Reges, inquit, Comesta„bilis, non suam voluntatem, sed suorum sententias

„in

„ in gravioribus consiliis ineundis plerumque sequi con„ sueverunt." Et ad Carolum conversus : „ Tu igi„ tur , Carole , tuorum fidissimis adhibitis , quod opti„ mum factu sit , deliberabis ; qui si ad nos venire „ constitueris , quod tibi perquam tuto facere licebit , „ erit nobis tuus adventus pergratus perque jucundus ; „ sin aliter visum fuerit , id quoque in bonam partem „ accipiemus , nec ulla propterea fiet amicitiae nostrae „ decessio ." Tunc Carolus : *Rex*, inquit , *pro me tibi*, *Comestabilis* , *respondit* : *cras igitur mane*, *quid consilii ceperimus* , *cognosces* . Digresso Rege , Carolus , non coacto concilio, sed cum singulis proceribus separatim adhibitis deliberare coepit , num se ad Regem et Reginam in Fossam Marianam postridie venire officii esse atque prudentiae videretur , ut Rex ipse haud obscure postularet ; nam licet in littore circa portum et naves aedificium ex ligno esset aequo loco ad congrediendum colloquendumque jussu Regis excitatum , hoc tamen Rex idem suo in Caroli navem adventu fecerat inutile ; itaque vel officii et amicitiae gratia Carolo erat sine praesidio ad Regem in castellum veniendum , vel cogitatio de colloquio prorsus abjicienda . Sed procerum , ut Carolus ipse mihi roganti , et de colloquio percontanti respondit , uno dumtaxat adhortante , quibusdam ambigentibus , ceteri , sed maxime Doria , ne se temere tanto periculo committeret , neve in Regis potestatem permitteret , censuerunt ; idque ipsum orare atque obtestari coeperunt , meminisse debere , quo Rex audaciae dolore acceptarum in bello a Carolo calamitatum impulsus processisset : nam qui Turcarum ac So-

Solymani communis Christianorum et capitalis hostis amicitiam et societatem odio Caroli, et in ipsius malum expetivisset, nec dissimulanter inivisset, hic jure metuendum esse, ne furiis eisdem exagitatus non dubitaret insidiis etiam agere, ut quacumque ratione posset, male de se meritum ulcisceretur; qui ob eam fortasse causam ejus conspectum et congressum ad Nicaeam aequo loco vitasset, ut nunc per colloquii simulationem eum in suis finibus dolo ac fraude circumveniret. Nam quod Rex prior officio lacessisset, nihil veritus ad Carolum in navem amicorum more sine ullo praesidio venire, non protinus Carolo itidem esse faciendum, ut se in Regis potestatem traderet, cujus longe alia causa esset insidias metuendi atque cavendi. Nam Regem multis a Carolo detrimentis et contumeliis affectum, cum in aliorum causis, tum maxime in suis adversis rebus fidem ipsius atque constantiam cognitam et perspectam habere. Carolum contra Regis mobilitatem multis in locis expertum esse, et fidem ab eo laesam, ac rupta foedera non semel fuisse conquestum.

XXVII. His et talibus monitis Carolum sui, ne ad Regem in castellum veniret, dehortari ac deterrere conabantur. Ille vero, quamquam non sine probabili causa et amanti animo ea dici videbat, horumque consilium tutius esse et minus habere discriminis intelligebat; sibi tamen, qui studio publici boni Christianorum majora saepe ac certiora pericula subierat, ad Regem vel cum suo periculo eundum esse decrevit, ne si aliter statuisset, fidem Regis damnare videretur, atque ea diffidentia et contumelia illius in se odium in-

cenderet, et eumdem ab amicitia sua penitus averteret, renovatis atque etiam auctis pristinis simultatibus, quae ut fuissent, sic iterum esse possent publicorum malorum causae; simul sperans, ut per colloquium firmius inter ipsos reconciliata gratia, et sanctius stabilita pace, publicae Christianorum quieti et saluti plurimum consuleretur. Atque his quidem rationibus adductus Carolus praeter communem suorum sententiam ad Regem in castellum venire decrevit.

XXVIII. Postridie mane Rex a Carolo de suo instituto certior factus, utrumque filium cum procerum comitatu, qui sex scaphis vehebantur, ad Carolum deducendum misit. Carolus in scapham, quae ornatu plane regio decora simul a Gallo missa fuerat, descendit, principibus Hispanis cum paucis nobilibus se sequi jussis; nam ceteros omnes constituta poena capitali a navibus discedere vetuit, ut tanto minus de fide Regis dubitare videretur, si nulla ipsum manus aut multitudo suorum, cujus praesidio fidere posset, sequeretur. Cum ad castellum ventum est, egredienti navicula Carolo, et ligneum ponticulum in littore factum subeunti Rex, qui jam de adventu ejus praecognoverat, et huc cum Regina processerat, manum porrexit, et adductum arcte complexus est et exosculatus: idem mox Regina fecit, et quae proxime aderant, Catherina Henrici uxor, et itidem Margarita Regis filia. Deinde Galli proceres jussu Regis dextram Caroli osculatum processerunt, et Hispani vicissim Regis, ut mos est principes primo aditu, aut longo post tempore salutandi; utroque tamen supplex officium perhumaniter repudiante.

te. Nam quemadmodum moris est ac urbanitatis in salutationibus, ut ceteri dextram Principis exosculandam supplices deposcant; sic hujus humanitatis, ne manum praebeat alienis, sed sublevet potius obvolutos, si personae dignitas adhortetur. Tum inter se Galli et Hispani cum maxima omnium laetitia et gratulatione per mutuos amplexus amicissime consalutant.

XXIX. Ubi jam tempus prandii venerat, quod plane regaliter erat apparatum, uni mensae, quae sola erat instructa, in regio conclavi accubuere ad caput Regina, ad ejus dextram Carolus Caesar, ad sinistram Rex Franciscus; praeterea Margarita Regis filia, Catherina Henrici uxor, et aliae paucae summo loco natae feminae: nam ex viris, praeter Carolum et Franciscum, unus dumtaxat accubuit Joannes Lorena Cardinalis. Post epulas Hispani Gallique proceres, qui eodem tempore in proxima domo a Regiis adolescentibus fuerant laute ac hilariter accepti, in conclave Regium convenerunt: affuerunt etiam multae nobiles feminae ex Reginae familia, cum quibus illi aulico more diu confabulati, in tripudium et saltatum hortatu Regis processerunt; atque ita totus ille dies cum magna omnium laetitia ad coenam usque traductus, quae coena pari jucunditate peracta est, mensae Regiae accumbentibus non solum utroque Regis filio, sed quibusdam etiam proceribus, praeter nostrorum Regum morem, apud quos coenare nemini subjectorum permittitur: nam Regibus Galliae minus severa est et hilarior cum suis vivendi ratio. Accubuerunt igitur ex nostris Albae, Najarae, et Alburquerquii Duces, Beneventi, et Mo-

dicae Comites, Cuellarisque Marchio. Coenatis porro sermo in multam noctem producitur, donec irrepente et admonente somno cubitum discessere. Erant Hispanis lecti magnifice per domos privatas instructi. Carolo intra Regiam tragulis et peristromatis personae convenientibus apparatus.

XXX. Posterus dies simili ratione ac laetitia consumtus est, et iis quoque, qui ad naves manserant, cibaria missa singulis triremibus bini boves, arietes deni, cupae vino plenae binae. Carolus vicissim ex Regis domesticis viros feminasque magnificis donis muneravit. Ceterum Carolo ac Regi solis prandentibus Galli juxta et Hispani principes cum Regis filiis astiterunt, quin etiam Henricus major natu mantile ad assiccandas lotas manus Carolo Caesari subministravit; quod officium perhumaniter repudianti Carolo, et ad mappas potius manus assicanti, Rex: *Noli*, inquit, *Imperator, tibi debitum officium rejicere; nam dignus es, cui ego quoque, non solum mei liberi, ministremus*. Deinde Carolo ad naves regredi paranti Rex multa de optimo suo in ipsum animo ac voluntate praefatus, sibi filiisque suis perpetuam cum eodem amicitiam atque pacem fore palam omnibus ultro pollicetur, filios exsecratus, si suam in eo fidem non liberassent; simulque, ut promissio cum majore auctoritate et quasi caerimonia fieret, aureum annulum cum magni pretii adamante in speciem oculi formato, Carolo tradidit, in cujus annuli intima parte hoc elogium sculptum erat: DILECTIONIS TESTIS ET EXEMPLUM. Et hunc se pro sanctissimo pignore dare dixit constantis fidei et a-

mi-

micitiae sempiternae. Praeterea quoties publica Christianorum causa officiumve posceret, se contra impios hostes auxilium Carolo laturum; et ad pium bellum, si a Carolo vocatus fuerit, ipsum secuturum promittit, et repudiata Turcarum amicitia, numquam amplius nec ipsos, nec ipsorum naves post foederis tempus sibi cum eis pactum et constitutum, cujus terminus jam appeteret, suis finibus aut portubus recepturum, prolixe pollicetur. Ad haec Carolus, accepta fide et conditione, pauca respondit, Regique pro tali animo in se publicumque bonum gratias agit, et sibi parem voluntatem et benevolentiam erga Regem et liberos, et cum eisdem omnibus, quantum quidem in se fuerit, concordiam et amicitiam semper fore promittit. Haec cum inter se fuissent collocuti, Carolus vesperi, dicta redditaque amicissima salute, ad naves regreditur.

XXXI. Postridie Carolus subidoneam tempestatem nactus, sublatis anchoris, de prima vigilia proficiscitur; sed ad extremam quartam euronoto, cujus utebantur obliquo flatu, increbescente, mare coepit vehementer intumescere: ita cum nullus propior esset portus, eodem, unde fuerant profecti, multo jam die necessario reverterunt. Hoc animadverso, Regina (nam Rex et liberi paulo ante discesserant) ut fratrem reviseret, cujus colloquio et conspectu expleri non poterat, cum parvo feminarum comitatu conscensis naviculis, ad Carolum venit, et cum ipso duas amplius horas commorata et collocuta est. Ad Reginae adventum jam laetus et omni solicitudine explicitus Andreas Doria, vexilla jubet ac signa militaria pulchriora et majore numero, quam

quam prius, explicari, et per naves, ut in magna laetitia et gratulatione fieri solet, accuratius disponi; quod facere in superiore et communi gratulatione numquam animum induxerat, nisi parce, atque ita, ut invitus facere videretur; nec ante Caroli ex Fossa Mariana ad naves reditum ullum laeti et a timore et suspicione vacui animi signum dederat manifestum. Sequente die, sedato mari, rursus naves solvit, quae, eodem euronoto nunc remissius flante, alias flare intermittente, tertio post die, qui fuit ad tertium decimum Kalendas Augusti, omnes incolumes Barcinonem sunt appulsae.

XXXII. Reversus in Hispaniam Carolus, Andream Doriam cum triremibus suis in Italiam et Siciliam properare, bellumque in Turcas, prout erat communi foederatorum consilio constitutum, administrare jubet. Nam hyeme superiore Paulus Pontifex Maximus, et Carolus Caesar, ac Dux Senatusque Venetus majorem Solymani motum exspectantes, quippe quem constabat ampliorem in dies classem comparare, foedus et amicitiam conspirantibus animis inierant ad bellum Turcicum vel propulsandum, vel, prout ratio rerum posceret, inferendum. His potissimum pactis, ut exercitus peditum quinquaginta millium conficeretur, quorum essent Germani viginti millia, ceteri Hispani et Italici generis, equitum vero quatuor millium quingentorum, qui more cataphractorum essent, sed paulo levius armati. Praeterea in classem triremes ducentae cogerentur, onerariae naves centum; Praefectis Joanne Maria Urbinatum Duce, qui summam imperii in pedestres copias obtineret; et Andrea Doria, qui toti officio mari-

ritimo praeesset. Porro impensarum omnium medietatem Carolus; alterius medietatis tertiam partem Pontifex Paulus; reliquum Veneti suppeditarent; simulque Carolus pro fratre Fernando Romanorum et Pannoniae Rege fidem dederat, eum per Pannoniam affuturum, et bellum summis suis opibus adjuturum. Sed cum ea aestate nihil per terram Solymanus in Christianos moturus esse videretur, et omnium animi in Principum colloquium et publicam Christianorum pacem constituendam essent intenti, placuit, Andream Doriam, et Fernandum Gonzagam in demortui Ducis Urbinatis locum suffectum cum classe et Hispanorum ac Italorum militum mediocri manu in oram Graeciae ad rem gerendam, et classem hostilem, quam Charadinus Barbaroxa ductabat, oppugnandam mitti.

XXXIII. Cum ex Hispania Genuam Doria revertisset, parumper ibi moratus, cum viginti suis triremibus progreditur; et in itinere duabus Pontificis ad Civitatem Veterem assumtis, in Messanae portum pervenit, quo praeterea viginti novem triremes compulsae fuerant. Harum quinque Neapolitanis Garcias Toletus praeerat; sex suis Antonius Doria; quatuor Gentilis Virginius Anguillariae Comes; decem Siculis Berenguelus Requesensius; quatuor erant religionis equestris Sancti Joannis. Huc quoque convenerant onerariae naves quinquaginta octo. Aderant militum Hispani generis quinque millia, Italicorum duo, cum Praefecto Augustino Spinola, utrisque in naves onerarias impositis, et harum viginti Apuliam versus ad altera quinque Hispanorum millia, qui maritimam oram custodiebant, tollendum missis. Doria

ria et Gonzaga Kalendis Septembris ex Messanae portu naves educunt ; quorum illum toti classi, ut demonstratum est, hunc expositis copiis praeesse, Carolo Foederatisque placuerat, ut imperii summa penes Doriam esset in mari, penes Gonzagam in terra.

XXXIV. Callipolim cum navigiis actuariis progressis (nam cetera necessario vi tempestatis discesserant) nuntiatum est a Corcyra, Charadinum Barbaroxam hostilis classis praefectum cum triremibus centum octo et biremibus quadraginta in Cephaleniam insulam pervenisse; quo magis Andreas sibi Corcyram properandum statuit ; huc enim naves onerarias, quibus Franciscum Doriam praefecerat, cursum dirigere jam inde a profectione jusserat. Postridie ad Corcyram suas naves cum Venetorum classe conjunxit, quae triremium octoginta duarum et vectoriarum decem erat ; huic praeerat Vincentius Capellus cum Marco Grimano Patriarcha Alexandrino, Pauli Pontificis Legato ; sic enim convenerat in foedere, ut suum quisque Praefectum mitteret, qui rebus gerendis interesset, partimque praeesset; ita tamen, ut summam imperii Andreas Doria et Fernandus Gonzaga, quemadmodum docuimus, tenerent. Sed cum accedenti Doriae obviam Veneti processissent, nulla tamen in eo congressu salutatio et congratulatio tormentorum, ut solet, bombis facta est, ne strepitus ingens et fragor exauditus hostibus proderet tantae classis magnitudinem, et timore injecto, ne pugnandi copiam facerent, deterreret.

XXXV. Jam naves onerariae, quae Hispanos milites cum ipsorum tribuno Sanctio Alarcone ab Apulia de-

deportaverant, appulsae fuerant Corcyrae. Ex his, ut sexageni milites in singulas triremes imponerentur, Doriae, consilio cum primoribus communicato, placebat. Sed Vincentio sibi per Ducem et Senatum Venetum licere negavit, ut alios milites, quam quos ab illis acceperat, in naves reciperet; suasque naves milite satis instructas esse confirmavit. Tum Doria quadraginta quinque dumtaxat triremes, quae auspiciis Caroli militabant, sexagenis Hispanis militibus instruxit; et cum his explorandi gratia profectus ad Pargam Christianorum ac Venetae ditionis oppidum maritimum non longe ab Ambracio sinu processit. Hic ex Christianis cognoscit, Charadinum cum tota classe in eum sinum se recepisse; in Corcyramque revertitur; et cunctis, quae aderant, navibus in Gumenizam, qui portus est ad oram Epiri passuum a Corcyra decem millibus, compulsis, hic reliquas onerarias naves, quas tempestas in diversum egerat, opperitur; quibus omnibus appulsis, hoc consilio cum universa classe in hostes progreditur, ut copiis et tormentis aliquot expositis, arces sinus angustis faucibus, qua vix triremes quaternae simul commearent, utrinque impositas, oppugnaret; et, si res, ut sperabatur, processisset, captas arces novis operibus firmoque praesidio muniret, quo Charadinum intercluderet, inutilemque redderet hostilem classem.

XXXVI. Huc ubi fuit eodem die perventum, jactis anchoris, posterus dies exspectatur, qui cum illuxisset, paucae quaedam hostium triremes sinu egressae sese ostenderunt, ut nostros lacessitos sub arcem, ac reliquas a se prohibendi gratia in littore factas munitio-

nes elicerent. In eas naves ex nostris Garcias Toletus et Antonius Doria, qui proximam stationem tenebant, celeriter movent, et refugientes insequuntur. Sed ubi studio elati in locum iniquum processerant, et inconsultius intra teli jactum hostiles munitiones successerant, tormentorum telis tum a terra, tum ex triremibus appetiti, et sese convertere coacti, ac hostibus insequentibus fugiendi finis non ante factus, quam ad frequentem classem quiescentem, nec auxilium ferentem, pervenerant. Hoc animadverso, majoribusque spiritibus sumtis, Charadinus omnes suas naves educit explicatque; sed ita ut se circa littus contineret, quo ex triremibus quidem pugnandi copiam faceret, sed impetum vitaret onerariarum navium, caveretque, ne suae actuariae naves ab his in alto magno impetu incitatis deprimerentur.

XXXVII. Cognito Charadini consilio, Doria aut non putavit e re fore eo loco, aut noluit ob alias causas, nec ausus est armis cum ipso dimicare; sed sublatis ancoris, classem ad Scopulum insulam Turcarum ditionis, quae nunc *Sanctae Maurae* cognominatur, reducere; et copiis expositis, vastare agros, et arcem oppugnare constituit. Triremibus igitur onerarias naves remulco propter remissum flatum deducentibus, postridie prima luce duodecim fere millibus citra Scopulum processerant: sed cum ventus paulo vehementior reflare coepisset, rostratae naves, onerariis relictis, ad ejus insulae promontorium Leucatem, quod ab eo vento tegebat, remis impelluntur. Charadinus ex nostrorum cunctatione classisque discessu tantos spiritus sumsit, et usque adeo con-

tem-

temsit Doriam, ut insequi constitueret, haud sibi cunctandum ratus, quin adversus triremes centum triginta tres et onerarias naves sexaginta octo, affatim milite et tormentis instructas, triremes centum octo, et minus quadraginta biremes induceret, et Doriam cum tota sua classe ad pugnam aequo loco provocaret. Egressus igitur Ambracio sinu, triplicem aciem instruxit, et in prima biremibus ob velocitatem collocatis, sic in nostros recta procedebat, ut tamen in terram, quo vitaret impetum onerariarum navium, paulum declinaret.

XXXVIII. Itaque vix Doria stationem, de qua diximus, ceperat, cum ecce tibi classis hostilis sese ostendere coepit: quam praeter suam opinionem infestis signis accedentem conspicatus Doria, naves onerarias in hostilem classem (nam ventus flabat ad rem gerendam accomodatus) invehi jubet; in his enim potissimum spem victoriae collocaverat, nec nisi eis juvantibus rem praelio committere decreverat, parum scilicet fidens Venetis triremibus, postquam militem Hispanum accipere recusaverant: ipse dato signo, sed nec acie triremium instructa, nec ordine servato, in hostem movet, perpaucis triremibus praetoriam stipantibus, ceteris longa serie per intervalla, prout quaeque juxta, proculve constiterat, sequentibus. Eodem tempore naves onerariae in hostem conversae, cum magna militum alacritate ferebantur; sed cum ventus subito remisisset, necessario constiterunt: quae res, ut hostium auxit, sic minuit nostrorum animos. Itaque harum ope destitutus Doria, intra teli jactum provectus, hoste praelium frequentibus tormentorum telis ineunte, nullo prorsus emisso

telo, classem in laevam flectit, seque ad onerarias naves, et partem ab hostibus aversam recipere pergit, triremibus, qua demonstratum est perturbatione, subsequentibus.

XXXIX. Sed quo id factum non tam a timore profectum, quam consilio administratum fuisse videretur, circumitis navibus onerariis, in dextrum ipsarum cornu, quod orientem solem spectabat, progreditur, veluti commodius ab ea parte hostem flatu, quamvis remisso, secundo tamen invasurus. Sed cum in conspectum rediisset, et Charadinus aciem ab onerariarum oppugnatione in triremes convertisset, substitit, et, se spectante, duas Venetorum triremes, quae ab initio fuerant longe a tergo propter ipsarum tarditatem relictae, expugnari passus est, nullo auxilio nec his, nec laborantibus quibusdam onerariis, quas malacia paulo longius a frequentia ceterarum oppresserat, submisso. Itaque non solum annotinae naves quatuor, aut quinque amissae captaeque; sed oneraria etiam expugnata, qua Villegas Figueroa cum suis manipularibus vehebatur, et altera, quae Machinum Monguiam centurionem cum suis sustulerat, vehementer oppugnata. Ad summam Doria, cunctis rebus trepidanter nullaque ratione administratis, ne primum quidem impetum hostis sustinere, aut exspectare animum induxit. Ergo ne tum quidem inito certamine, nullo denique telo emisso, cum jam esset serum diei, navis proram ab hostibus avertit. Quod animadvertens Vincentius Capellus, timensque suarum triremium nonnullis, ne propter tarditatem in fuga, quam parari judicabat, ab insequentibus hosti-

stibus opprimeretur, explicare vela primus jubet, et fugam capessit; nec secus ceteri, cum jam omnia sine imperio et ordine gererentur, suae quisque salutis rationem habendam existimarunt, et desertis navibus onerariis, Corcyram versus cursum omnes direxerunt.

XL. Postridie mane Vincentius Venetas naves in portum sub arcem deduxit; Doria ceterique dispersi et palantes circa ipsam insulam ferebantur. Sed paulo post, coactis ad Promontorium album navibus, hi quoque cum Doria in eumdem locum sese receperunt, atque Venetis conjunxerunt. Charadinus fugientes parumper insecutus, ad onerariarum oppugnationem redit, quae sese non deseruerunt, quin gnaviter pro se quaeque tormentorum telis repugnarent, et cum egregia opera paucarum ex eo genere, quos *galeones* appellant, uterentur (sunt enim *galeones* tum forma, tum copia et genere tormentorum ad pugnam aptissimi et munitissimi) tamen summum periculum a tanta tamque instructa rostratarum classe circumventae adiissent, nisi paulo post circa solis occasum accidisset peropportuno tempore, ut subito nimbus exoriretur, cujus et commodioris consecuti venti beneficio e manibus conspectuque hostium ereptae sunt, et in Corcyram delatae, sola restitit Machini Monguiae navis, de qua supra memoravimus. Haec diu et acerrime oppugnata, praefecti tamen ac militum singulari constantia et virtute, quominus perveniret in hostium potestatem, servata fuerat; ceterum amissis armamentis, malo ac temone confractis, fortunae ventique aspirantis favore uti non poterat, donec proxima nocte Charadinus metu gravioris

ris tempestatis suam classem in Ambracium sinum cum reduxisset, resarcito velo, eoque minore malo, qui et ipse fuerat ex parte confractus, aptato, impelli vento coepta est, paulatimque progressa, tandem praeter omnium spem ad classem Corcyramque pervenit.

XLI. Classe rursus ad Corcyram compulsa, coactoque concilio, placuit communi sententia frequentiores milites in omnes triremes imponi, et ex onerariis quadraginta naves commodiores et tormentis instructiores legi, cumque his in hostem reverti, ac praelio, si fieret potestas, dimicare. Sed aliquot diebus in rerum necessariarum apparatu consumtis, consilium mutatur in longe diversum: usque adeo classis hostilis metus, et odium pugnae navalis quorumdam animos occupaverat. Itaque tutius atque commodius visum est in ora Macedoniae Dyrrhachium oppugnare; quod oppidum, si fuisset in potestatem redactum, magnas commoditates ad bellum Turcis inferendum habere videbatur. Sed vento secundo paulo vehementius flante, noctu Dyrrhachium classis praetervecta cum fuisset, castellum aggredi constituunt, cui *Novo* cognomen est, in ora Dalmatiae cum portu capacissimo ad sinum Risicum, qui nunc ab oppido Venetae ditionis, quod in ejus flexu munitissimum habetur, *Catari* cognominatur.

XLII. Expositis copiis, dum castelli situm et naturam loci considerandi gratia propius et incautius accederent, Antonius Doria periculosam secundum genu, Ferrera et Bocanegra centuriones letales plagas scloppetorum glandibus e muro jactis acceperunt. Tormentis loco idoneo collocatis, cum a terra simul et mari murus

rus quati coeptus esset, castellani omnes cum feminis et pueris in duas arces parum munitas sese cum rebus suis receperunt. Sed harum altera, quo sexcenti circiter mortales confugerant, eodem die se in potestatem permisit; altera, qua mille ducenti amplius continebantur, cum bidui oppugnationem sustinuisset, ipsa quoque deditionem fecit. Recepto Castello *novo* circa finem mensis Octobris, placuit ibi tria millia et quingentos Hispani generis veteranos milites cum praefecto Francisco Sarmento praesidio relinquere; nec bono nec felici consilio. Nam insequenti aestate maxima hominum multitudo terrestris exercitus jussu Solymani undique convenit. Affuit etiam cum instructissima classe Charadinus; rebusque comparatis, castellum, quod parum erat natura munitum, undique terra marique oppugnari coeptum tanto impetu, ut brevi murus tormentorum telis solo quibusdam partibus aequaretur, qua hostibus irrumpentibus, nostri pares esse non potuerunt. Itaque omnes egregie quidem sese ulti et fortissime dimicantes, tamen ab ingenti multitudine undique pertinaciter urgente oppressi confectique sunt, paucis exceptis, qui saucii in infirmam arcem sese receperant, qui et ipsi facta deditione in Charadini potestatem pervenerunt. Praefectus ipse Franciscus Sarmentus civis et Senator Burgensis, dum necessaria imperaret, suosque cohortaretur, et interdum manu pugnaret, ducis simul ac militis officio egregie fungebatur; qui cum jam hostibus ingruentibus ad turrim, quo saucii confugerant, cum quatuor aut quinque militibus constitisset, hortante Machino Monguia, qui erat ex vulneratis, ut suae sa-

saluti consuleret, et per funem a se demissum turrim conscenderet: sibi vero respondit tantae calamitati et suorum stragi superesse, turpe fore; et cum paucis illis in confertissimos hostes progressus, fortissime pugnans occiditur.

XLIII. Hac igitur Hispanorum manu ad Castellum novum relicta, Doria Messanam cum triremibus, quas inde abduxerat, revertitur, huc quoque onerariis navibus, quae milites sustulerant, cursum dirigere jussis. Veneti in suos portus discesserunt. Charadinus enim, cognito Christianorum classis a Corcyra discessu, dum ipsos insequi conaretur, vehementi tempestate non longe ab Aulone jactatus, plus viginti navibus amissis, in sinum Ambracium necessario sese receperat.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

I. CAROLUS, pace facta cum Francisco Gallorum Rege, atque amicitia, ut supra demonstratum est, reconciliata, Valdolitum cum revertisset, cunctarum Hispaniae gentium, quae Regno Castellae continentur, Concilium habere constituit, litterisque ad omnes civitates dimissis, ad quem diem singularum binos ex more legatos Toleti praesto sibi esse velit, edicit; simulque Pontifices et Regni principes optimatesque nominatim evocatos eodem convenire jubet. Atque ipse cum uxore et liberis ante Idus Octobris, qui dies conveniendi dictus fuerat, affuit. Convenerunt autem

PONTIFICES:

Joannes Tavera, Archiepiscopus Toletanus: Garcias Loaisa, Episcopus Saguntinus, qui paulo post factus est Hispalensis Archiepiscopus: Joannes Toletus, Burgensis: Petrus Manricus, Cordubensis, Episcopi, omnes quatuor Romanae item Ecclesiae Cardinales: Gaspar Avalus, Archiepiscopus Granatensis.

ET EPISCOPI:

Ludovicus Cabeza de Baca, Palantinus: Petrus Manuel, Zamoranus: Gutierrus Carbajalis, Placentinus: Hieronymus Xuarez, Pacensis: Franciscus Bovadilla, Cauriensis: Alfonsus Castella, Calagurritanus: Petrus Pachecus, Civitatensis: Jacobus Rivera, Sagoviensis: Joannes Reina, Pompelonensis: jam enim Navarra Castellae contributa erat: Rodericus Mendoza, Salmanticensis: Tristanus Calvetus, Lucensis: Antonius Guevara, Mindoniensis: Jacobus Villalar, Almeriensis: Antonius Aguila, Guadixensis: Antonius Ramirez, Auriensis: nam Hispalensis Ecclesia Metropolis vacabat, defuncto Alfonso Manrico ejus Antistite, et Ecclesiae Romanae Cardinali: Petrus Sarmentus, Compostellanus Archiepiscopus, et Ecclesiae Romanae Cardinalis, Romae aberat: Franciscus quoque Mendoza, Gienensis, et Rodericus Mercadus Avelensis, Episcopi, necessariis rebus impediti, adesse nequiverunt. Conchensem Episcopatum Alexander Caesarianus, Romanus et Civis et Cardinalis; Malacensem vero Alexandrinus, Romae absentes obtinebant; Carthaginensem Matthaeus Satzeburgensis, Ecclesiae Romanae Cardinalis, qui ad Germaniam aberat. In has enim Ecclesias Castella tunc erat divisa.

II. Proceres multo majore numero confluxerunt, quos nominatim, ut evocati fuerunt, recensere non me pigebit, quo notius sit posteris, quae potissimum familiae ea memoria per Castellam excellebant, et qui viri tunc temporis principes earum habebantur. Convenerunt igitur

DU-

DUCES:

Petrus Fernandus Velascus, Castellae Comestabilis, idemque Friarum Dux : Joannes Alfonsus Guzmanus, Methymnae Sidoniae Dux : Franciscus Zugniga Sotomajor, Bejaranus Dux, Ajamontis et Gibraleonis bis scilicet Marchio, ac Belcazaris Comes : Manricus Lara, Najarae Dux, et Valentiae ac Trevigni Comes : Gonsalus Fernandus Corduba, Suessae Dux et Cabrensis Comes: Fernandus Alvarus Toletus, Albae Dux, et itidem Cauriensis Marchio : Jacobus Lupus Pachecus, Scalonae Dux, et idem Marchio Mojae : Beltranus Cueva, Alburquerquii Dux : Inechus Lupus Mendoza, Infantati Dux, et idem Santillanae Marchio : Jacobus Cardenas, Dux Maquedae, novo titulo donatus a Carolo.

MARCHIONES:

Petrus Fajardus, Veleziorum : et Ludovicus, maximus natu filius, Molinae : Federicus Henricus Rivera, Tarifae ; et cum eo Petrus fratris filius, qui paulo post ei sine liberis demortuo successit : Ludovicus Fernandus Corduba, Comarium. Praeterea, qui hoc titulo ab eodem Carolo donati fuerant : Franciscus Cueva, Cuellaris : Petrus Avila, Navarum : Bernardinus Cardenas, Elchii : Joannes Tovar, Berlangae : Rodericus Mendoza, Montium Clarorum : Joannes Silva Rivera, Montismajoris : Pachecus, Cerralvi.

COMITES:

Antonius Alfonsus Pimentelus, Beneventi, qui cum pro-

procerum primis et opibus et auctoritate par esset, in magna tamen quorumdam ambitione hoc hereditario et avito titulo contentus erat: Joannes Giron, Uregnae: Claudius Quignonius, Lunae: Fernandus Silva, Centumfontium: Jacobus Lupus Zugniga, Nievae: Garçias Fernandus Manricus, Osorni: Jacobus Mendoza, Meliti: Ludovicus Henricus Cabrera, Modicae: Alfonsus Xuarez Mendoza, Cluniae: Franciscus Toletus, Oropesae: Petrus Arellanus, Aguilaris: Antonius Mendoza, Montisacuti: Franciscus Velascus Cueva, Siruelae: Federicus Acugna, Bondiae: Petrus Ajala, Fonsalidae: Ludovicus Portucarrerus, Palmae: Andreas Bovadilla, Chinchonis: Martinus Alfonsus Corduba, Alcaudetis: Alvarus Guzmanus, Orgazii: Jacobus Guzmanus, Thebae: Arias Gonzalus, Pugnenrostri: Joannes Portucarrerus, Metellinae: Jacobus Furtadus Mendoza, Saldagnae: Jacobus Poncius Leo, Baileni: Franciscus Monrojus, Belvisi: Petrus Guzmanus, Olivarium.

OPTIMATES SINE TITULO:

Rodericus Messia, qui Guardiae et Sanctofimiae imperitabat; et cum ceteros omnes, et ex Comitibus ac Marchionibus ultos mopibus antecederet, se tamen sine hujusmodi titulo intra paternam modestiam continebat. Alfonsus Tellus, qui Pueblae Montalvani: Ludovicus Sotomajor Farus, qui Carpio: Joannes Fonseca, qui Caucae: Ludovicus Carrillus Albornotius, qui Betetae ac Torralvae: Ludovicus Guzmanus, qui Algarvae: Franciscus Rivera, qui Malpicae: Egas Venegas, qui Luco vivacissima familia: Joannes Furtadus Mendoza, qui Moroni:

ni : Petrus Zugniga, qui Aquilafonti : Petrus Pimentelus, qui Allarizio et Milandae : Joannes Benavides, qui Javalquinto : Joannes Ajala, qui Cebollae : Gonzalus Chacon, qui Casarubio : Joannes Vega, qui Grajali : Praeterea Hieronymus Avila Quignonius, qui Villatoro : Joannes Saavedra, qui paulo post factus est Comes Castellaris : Fernandus Castrus : Martinus Ruisius Avendagnus : Joannes Moxica Buitronus : Joannes Ulloa : Antonius Fonseca : Sanctius Castilla.

III. Quos enim infra scripsi proceres, necessariis rebus impediti, ad imperatum non venerunt. Joannes Cerda, Methymnae Salonis Dux : Fernandus Henricus, Almirantus Castellae, et novo titulo Methymnae Rivisicci Dux : Ludovicus Poncius Leo Dux Arcuum.

EX MARCHIONIBUS:

Alvarus Osorius, Asturicae : Petrus Fernandus Corduba, Priegi, et idem Feriae Comes : Joannes Manricus, Aguilaris, qui Romae legatione Caroli ad Paulum Pontificem fungebatur. Praeterea quatuor novo titulo Marchiones : Joannes Portucarrerus, Villaenovae : Joannes Roxas, Pozae : Jacobus Furtadus, Cagneti, qui cum Navarram pro Rege administraret, pro se misit Fernandum Mendozam filium natu maximum : Franciscus Henricus, Alcagnizii.

EX COMITIBUS:

Franciscus Avellaneda, Mirandae : Franciscus Mendoza, Castri : Alvarus Osorius, Lemi : Jacobus Henricus Guzmanus, Albae Listae : Jacobus Sarmentus Villandrandus,

Sa-

Salinarum : Petrus Velez Guevara, Ognati : Alfonsus Cardenas, Pueblae : Fernandus Andrada, Villalvae : Fernandus Carrillus, Priegui : Alfonsus Azevedus, Montis regii : Petrus Manricus, Paredum : Item Jacobus Toletus, Praefectus equitum Sancti Joannis.

IV. Civitates vero legatos miserunt. Burgenses Joannem Manricum Lunam et Petrum Ruizium Torrem : Toletani Joannem Torrem, et . . . . Leonem : Legionenses Fernandum Villafagnam, et Joannem Barbam : Granatenses, Alfonsum Messiam et Petrum Bovadillam : Hispalenses Ariam Pardum et Joannem Briviescam : Cordubenses Jacobum Farum et Petrum Mugnizium Godojum : Murciani Jacobum Cascalem et Rodericum Pusmarinum : Gienenses Petrum Poncium Messiam, et Ludovicum Hurtadum. Quae civitates, ut erant capita parvorum Regnorum, quae Castellae accedentia Regis titulos auxerunt, ante alias, quo descriptae sunt ordine, in Conciliis sedent, sententiasque rogantur; nisi quod Burgenses et Toletani certant de primo loco. Sed haec controversia sic dirimi solet in Conciliis, ut Rex Burgenses primos jubeat sententiam dicere, et se pro Toletanis dicturum affirmet, iidemque Toletani extra ordine sedeant. Nam inter ceteras, quae dicentur, civitates, nullus nec sedendi ordo, nec dicendi sententiam servatur. Zamorani Jacobum Ocampum et Joannem Valentiam miserunt : Salmanticenses, Jacobum et Alfonsum Texedam : Taurenses Joannem Acugnam et Petrum Fonsecam : Avelenses Joannem Avilam et Nugnium Gonzalum Aguilam : Sagovienses . . . . . Ferreram et Joannem Sagoviam : Soriani Joan-

Joannem Moralem et Bernardinum Mirandam : Conchenses Petrum Bovadillam et Joannem Ajalam : Valdolitenses Jacobum Carrillum et Joannem Fernandum Paredem : Guadalajarenses Jacobum Guzmanum et Antonium Barrionuevum : Madritienses Franciscum Luzonem et Salmeronem.

V. Ad quintum Kalendarum Novembris ejusdem AN.M.D.XXXVIII. anni, qui fuit a Christo nato millesimus quingentesimus trigesimus octavus, convocatis civitatum, quos nominavimus, legatis, praesente Carolo atque jubente, Joannes Vazquez Scriba Regius (*Secretarium* vulgo dicunt) ad eos de scripto verba facit. „Rerum a Carolo „Caesare gestarum rationem summatim reddit; bella, „quae nulli nec labori nec periculo parcens gesserit, „invitum eum necessarioque suscepisse confirmat; nec „enim aliter potuisse vel suorum Regnorum saluti et „bono publico Christianorum consulere, vel suae di„gnitati atque officio satisfacere; quatuor ejusdem ab „Hispania digressus sigillatim commemorat, omnesque „docet honestissimas habuisse causas, et propter ma„gnas reipublicae commoditates fuisse susceptos. Nam „primo, cum fuisset Maximiliano Caesari demortuo suf„fectus, delectusque Romanorum Imperator, imperium „in Germania ipsius praesentia, ut oportebat, fuisse „confirmatum, ipsumque Aquisgrani coronam accepisse. „Secundo, non modo coronam alteram Imperatoriam „ab eodem acceptam, sed etiam bellum Gallicum diu„turnum sublatum, et in Italia pacem cum Principibus „et Nationibus, quae in ipsum conspiraverant, amici„tiamque factam, et de Solymano Turcarum Principe

„in-

„ infinitoque exercitu, qui cum ignominia et detrimen-
„ to ex Pannonia superiore fugere coactus esset, victo-
„ riam consecutum, quo tempore Lutherana haeresis,
„ quae Germaniam invaserat, ne latius serperet, dili-
„ genter idem, quoad fieri potuit, providisset. Tertio
„ bellum Africum fuisse confectum, Tunete recepta, ac
„ debellato Charadino Barbaroxa, itum esse obviam e-
„ jusdem Solymani conatibus, qui quaerens occasiones
„ occiduum Christianorum orbem invadendi, Regnum
„ Tunetense per eum ducem occupasset. Itaque Chara-
„ dino cum magnis Turcarum Afrorumque copiis fu-
„ so, Hispaniam et Italiam magno timore et periculo
„ fuisse liberatas; ad quem, inquit, Solymanum hostem
„ potentissimum et Christianis infensissimum validius re-
„ primendum, ne, quod studet et jam ex parte confe-
„ cit, occupata post Graeciam et Macedoniam parte quo-
„ que Hungariae, latius serpat, liberiusque Christiano-
„ rum terras invadat, foedus et societatem Carolus cum
„ Paulo Pontifice Maximo, et cum Duce populoque Ve-
„ neto ineundam curavit. Ergo communibus impensis
„ coacta et missa classe cum Praefecto Andrea Doria
„ Melphorum Principe, perniciosis Solymani conatibus
„ itum est obviam aestate superiore; et nunc, quae in
„ posterum huic bello sint usui necessariaque, comparan-
„ tur. Sed nec proximae discessionis ad Nicaenum col-
„ loquium multas et maximas cunctis notas commodita-
„ tes commemorare attinet, quae tam optatae Christia-
„ nis omnibus evenerunt, ut nihil potuerit neque gra-
„ tius eis nec utilius accidere. Dissolutum est enim diu-
„ turnum bellum alterum Gallicum, et primum induciae
„ fa-

„ factae annorum decem; deinde perpetua pax et amicitia reconciliata inter ipsum et Franciscum Gallorum Regem, duos maximos Principes, quibus dissidentibus, Christianos fere omnes dissidere necesse est, et magnis calamitatibus agitari, eosdemque confractis viribus, et opibus exhaustis, infirmiores reddi ad injurias et bella communis hostis propulsandum. Quibus malis ut mederetur Carolus Caesar, et bono reipublicae consuleret, quid non curae, quid non laboris suscepit? Quam non viam, honestam modo, nec abhorrentem a sua dignitate, tentavit? Multum etiam de suo jure remittens, et postulatis adversariorum, quatenus sua dignitas et boni publici ratio pateretur, concedens. His autem rebus necessario et in publicam cum aliorum Christianorum, tum maxime eorum, qui sub ejus Regno sunt, commoditatem a Carolo susceptis atque gestis, qui sumtus facti sint, quanta pecuniarum vis impensa, difficile est existimare, ut assidua et necessaria impendia taceantur ad Regias ipsius Caroli uxorisque et liberorum familias, item Magistratus Regnorum supremos, et praesidia, quae arces et confinia Regnorum tuentur, alendum. Praeterea classes, quae mare internum orasque maritimas ab hostilibus incursionibus defendant, quae non solum ea magnitudine sunt necessaria, sed majores etiam desiderantur ad vim tam potentis tamque pertinacis hostis sustinendam. His rebus accesserunt seditiones populares in prima ipsius absentia, quae ut totum Regnum afflixerunt, sic Regia vectigalia fecerunt deteriora. Quo tempore, cum posset bona plurimorum

„ jure optimo publicare, fiscoque addicere, tamen sciunt „ omnes, quanta clementia et liberalitate mitissimus „ Princeps usus fuerit in omnes populares; quibus se- „ ditionibus sedandis, et oppido Fonterabia in confinio „ Galliae, quod tunc amissum fuerat, recipiendo, in- „ gens quoque pecunia consumta est. Ad omnium igi- „ tur commemoratarum rerum maximos et prope dixe- „ rim infinitos sumtus, eosdemque necessarios, cum nec „ solita Regnorum et Provinciarum vectigalia, nec si- „ qua alia fuerunt extra ordinem contributa, sufficerent, „ magna pars Regii patrimonii distracta est, superque „ gravissimum aes alienum cum foenore quotidie magis „ ingravescente contractum. Itaque Regia vectigalia us- „ que adeo sunt imminuta, ut non solum ad extraor- „ dinarias impensas, quas magnas quotidie ad Regna „ tuenda et vim hostilem repellendam suscipere necesse „ est, non sufficiant, sed ne ad sumtus quidem quo- „ tidianos, et Regias familias, Magistratus, et praesi- „ dia Regnorum, de quibus diximus, sustinendum sit „ satis. Quibus de rebus, ut ad vos, qui jussu et no- „ mine Castellae civitatum et populorum convenistis, „ referret, Concilium indixit atque coëgit. Hoc enim „ Regnum, cujus ipsi personam sustinetis, propter ejus „ magnitudinem, antiquitatem, nobilitatem, et fidem „ egregiam, Carolus habet, semperque habuit velut fun- „ damentum et caput omnium suorum Regnorum et „ Provinciarum; quod Regnum, ut magno semper sub- „ sidio et adjumento ipsi in cunctis difficultatibus fuit, „ sic non dubitat, quin nunc quoque et in posterum „ pro ejus in se perspecta voluntate sit futurum. Vos

„ igi-

„ igitur hortatur et monet, ut quibus in angustiis ac dif-
„ ficultatibus publicum patrimonium et Regia vectigalia
„ versentur, etiam atque etiam consideretis; et com-
„ municatis consiliis, rationem ineatis, qua inopiae prae-
„ senti et in dies augescentibus difficultatibus consuli
„ queat, ut vestro consilio, decreto atque concessu Re-
„ gni nomine aes alienum persolvatur, et sit unde fiant
„ sumtus, tum ad solitas et quotidianas necessitates to-
„ lerandas, tum ad vim et injurias hostiles propulsan-
„ dum, et Regna in pace et tranquillitate tuendum.
„ Haec autem ut commodius et cum majore auctorita-
„ te fiant, et maximis atque ad omnes pertinentibus dif-
„ ficultatibus communi omnium ordinum sententia et
„ subsidio prospiciatur; Antistites etiam Ecclesiarum et
„ Regni optimates huc quoque convenire ab eodem jus-
„ si sunt, nominatim evocati. Vos igitur haec, ut ex-
„ plicatum est, diligenter curabitis; ipse vero qua solet
„ et debet voluntate ac benignitate postulatis vestris,
„ quae ad bonum publicum pertinere videbuntur, liben-
„ ter acquiescet. "

VI. Haec cum dicta essent, Carolus ipse pauca verba in eamdem sententiam summatim adjecit, sumtus, de quibus esset memoratum, fuisse necessarios, eisque Regia vectigalia tantopere decrevisse, ut nec sibi in praesentia sufficerent, nec post ipsum suffectura essent Principi filio, qui simul aderat, ad Regna tuenda et vitam cum dignitate tolerandam. Quod si ea detrimenta et jacturae voluntate ac errore quodam accidissent, tamen tantis difficultatibus oportere omnes ordines, si Regnum remque publicam salvam vellent, providere; quanto igi-

tur incunctantius et diligentius iis incommodis mederi, quae necessitas attulisset: hortari rogareque eos pro ipsorum et civitatum, a quibus missi essent, perspecta voluntate et studio in Regni bonum publicum atque Regiam majestatem, ut qua maxime ratione hoc fieri ac provideri posset, communicatis consiliis, etiam atque etiam considerarent et constituerent.

VII. Postridie cum Episcopis, dieque tertio cum proceribus eodem fere modo actum est, atque eadem oratio, paucis mutatis, habita. Pro Episcopis Toletanus, ut primum locum tenebat, concessu omnium respondit, et pro magnitudine meritorum Caroli in illum ordinem perquam liberaliter est pollicitus. Proceres autem, quamquam inter eos more majorum nullus nec considendi nec rogandi sententias legitimus ordo servabatur, nisi prout quisque locum occupasset, quidam tamen eo die primum locum et auctoritatem sibi quisque vindicare ambitiose contenderunt. Nam cum Carolus finem dicendi fecisset, ordiente Comestabili sua sponte respondere pro cunctis, ac liberaliter polliceri; Albae, Infantati, et Scalonae Duces, itemque Beneventi Comes, sermonem ejus interpellantes, idem efficere pro se quisque nitebantur: quo animadverso Carolus, tacere omnes jubet, nec enim se responsum ab eis aut exspectare, aut sibi dari velle, nisi re, de qua fuisset relatum, deliberata. Locis ad consultandum in fano Joannis, quod *Regum* cognominatur, separatim destinatis, cum civitatum legati in suam curiam convenissent, variae sententiae dictae sunt, qua potissimum ratione tantis rerum angustiis et difficultatibus consuli posse vide-

re-

retur : quae cum ad Carolum quotidie perferrentur, nec earum ullam probaret ; consultare eos jubet, quemadmodum ab initio quorumdam hortatu constituerat, num sibi commoda ratio videretur, quam ipse maxime probaret, legem ferre in aliquot annos de *Sisa* universali ; sic enim more nostro vocatur tributum, cum ad commune rerum venalium pretium quota pars adjicitur, quae a venditoribus reposita, in usum aliquem publicum fiscumve cedat.

VIII. Erat autem haec ratio expeditissima, et quae minime omnium singulos gravatura videretur ; quippe omnibus cujusque ordinis aliquid quotidie propter rerum necessariarum emtionem conferentibus, quotam illam partem communi pretio adjectam, infinite, sed latenter crescere necesse erat ; ut hoc vectigal non solum ad eas, quae proponebantur, difficultates expediendas suffecturum esset ; sed ad bellum etiam gerendum, quod animo Carolus agitabat, atque ultro etiam Turcis inferre constituerat, si haec facultas, quemadmodum sperabat, contigisset, multis jam navibus ad equitatum transportandum idoneis hujus rei gratia ex mari Britannico ad oram Hispaniae internumque mare deductis. Sed hoc genus vectigalis omnium legatorum sententiis post longam disceptationem, ut gravissimum reipublicae, repudiatum est, tum quod opes Regni bellis superioribus exinaniti, sic penitus exhaustum iri non dubitabatur, tum quoniam aequatis omnibus ordinibus hujus tributi collatione, nobilium et Sacerdotum immunitas atque libertas contra morem institutaque majorum labefactari atque tolli videbatur. De hac igitur communi senten-

tia

tia et consensu Carolum faciunt certiorem, simulque alias leviores rationes proponunt, quibus accepta incommoda sanari, ac in futurum provideri posse videretur, modo ipse ne gravaretur diuturnis bellis modum, quoad fieri posset, imponere, seque intra Hispaniae fines continere.

IX. Carolus autem, cui cetera omnia tenuia, longa, et impedita esse videbantur, non sibi putavit ab incepto desistendum, sed exspectandum quid proceres, de quorum voluntate plus sibi pollicebatur, constituissent; his enim sibi morem gerentibus et suffragantibus, in eamdem sententiam ipsorum auctoritate civitatum legatos deduci posse confidebat. Legatos igitur quiescere, nec amplius injussu suo consultandi gratia convenire jubet. Ad proceres autem quotidiana fere consuetudine coactos decretum Episcoporum mittit, exspectans horum exemplo et auctoritate posse dubitantes impelli. Antistites enim, ut erant omnes Caroli beneficio illis honoribus et Pontificatibus aucti, multifariamque devincti, haud aegre admodum ejus voluntati de *Sisa* tribuenda sunt obsecuti, dum ea tamen intra modum, et ad tempus, certisque in rebus imponeretur. Quamquam Episcopi de se dumtaxat, qui omnia Carolo deberent, ipsos polliceri et in tributum consentire dicebant, non de ceteris Sacerdotibus et Clericis, quos a se negabant vel jure vel more posse invitos compelli vel obligari. Ceterum eo quoque adducti sunt Episcopi, quod *Sisam* cunctis ordinibus conferentibus, Clericos fore cetera immunes Carolus pollicebatur: Clerici enim Ecclesiaeque in Hispania jam pridem in reipublicae difficultatibus et

Re-

Regum inopia concessu Romanorum Pontificum ad Saracenorum bella propulsanda identidem vectigales esse cogebantur, ut hac nova ratione Clericorum conditio melior atque liberior fore videretur.

X. Sed Carolus misso inter initia ad proceres Episcoporum decreto, rursus post dies aliquot Joannem Taveram Cardinalem et Regii Consilii Praefectum, de quo supra demonstravimus, procerum Concilium adire jubet; hoc enim internuntio semper in eo negotio est usus, qui licet principem locum ejus muneris obtineret, ut erat secundum Regem summae inter nostros auctoritatis, tamen cum ipso quatuor primores Caroli Consiliarii mittebantur, Franciscus Covus, Garcias Padilla, Fernandus Guevara, Fernandusque Giron. Per hos igitur cum proceribus agit, eosque rogat, ut deliberandi finem aliquando faciant, atque ea constituant, quae ipse ab eorum perspecta fide et studio in Regiam majestatem exspectaret; jam enim suum animum, et quid decerni vellet, his quoque declaraverat, et ipsi consultationibus multum temporis contriverant. Nam principio per multos dies de ratione deliberandi disputatum ab eis est, constitutumque primum, ut in ceteris staretur sententiae, quae majori parti placuisset, ultimum autem decretum non aliter ratum ac firmum haberetur, quam si omnium consensu probatum sancitumque foret: deinde, quo res occultius atque liberius ageretur, ut duodecim ex omnibus viri graves et rerum usu praestantes legerentur, qui rebus diligenter agitatis, quid optimum factu esset, et ad publicum Regni bonum majestatemque Regiam maxime conducere vide-

deretur, considerarent, et quae censuissent, ad ceteros referrent, ut tandem res communi consilio deliberata constitueretur. Datoque ab omnibus jurejurando de iis deligendis, qui huic muneri aptissimi viderentur, delecti sunt Petrus Velascus Comestabilis, Dux Alburquerquii, Veleziorum et Elchii Marchiones, Comes Oropesae, Dux Najarae, Comarium Marchio, Scalonae Dux, Beneventi Comes, Castellae Adelantatus, Dux Albae, Joannes Vega.

XI. Hi duodecim viri sancte jurati se diligenter ac bona fide, quae sibi e Regno Regiaque dignitate visa essent, deliberaturos, nec acta vel consilia cuiquam extra proceres enuntiaturos, cum saepius de officio convenissent, petendum a Carolo censuerunt, uti civitatum legatos juberet consilia cum ipsis communicare, idque, quoties opus esse videretur, fieri liceret ipsius voluntate, ut ab eis edocti proceres quo in statu res esset, eorum denique consiliis adjuti, commodius et expeditius possent, quid optimum factu videretur, constituere. Hoc ad Carolum, Bejaris, Methymnae Sidoniae, Infantati, et Maquedae Duces, et Comes Uregnae a Concilio missi pertulerunt, simulque procerum omnium studium, et quae ad bonum Regni et ipsius Caroli dignitatem maxime pertinerent, inveniendi et constituendi voluntatem proposuerunt. Carolus, sumto, ut fere solebat, ad deliberandum spatio, per Joannem Taveram Cardinalem procerum Concilio respondit: „Gratam sibi fuisse illo-„rum in se et publicum Regni bonum testatam volun-„tatem et studium, nec se umquam de hoc ipsorum „animo dubitasse, eoque confidentius se negotium eis „com-

„ commisisse , quod tamen miraretur adhuc in exordiis „ versari, cum jam ad finem perductum oporteret. Quod „ autem de rerum deliberatarum statu scire, et ob id „ consilia cum civitatum legatis communicare vellent, „ ne illos quidem certi quidquam decrevisse, quamvis „ nonnullas rationes attulissent, quae parum facerent ad „ praesentem et impendentem inopiam sublevandam, et „ ad quas ineundas nihil opus fuisset Concilio. Itaque „ nihil esse quod consilia cum legatis conferant; nec „ aliam se videre rationem, qua tantis rerum angu- „ stiis provideri possit, quam quae de *Sisa* fuisset pro- „ posita, quippe id universale tributum esse, et quod „ omnium maxime latenter conferretur, et minime so- „ leret gravare singulos. Neque vero id se perpetuum „ esse velle, sed ad breve tempus, nec ad alios usus, „ quam ad eas, de quibus initio dictum esset, diffi- „ cultates expediendas. Quocirca placere sibi, ut abun- „ de caveatur, ne id exemplum, quasi praejudicium „ obesse possit nobilium ac immunium hominum li- „ bertati, cui semper ipse favisset, et tunc nihilo se- „ cius consultum in posterum esse vellet? Rogare ita- „ que et hortari pro ipsorum in se perspecta fide et „ voluntate, uti ea quam primum (nam moram non „ sine damno fieri) decernant, quibus indigentiae prae- „ senti ac impendentibus difficultatibus provideatur, quae- „ que scirent se ab ipsis exspectare; quod siqua ratio „ alia universalis commodior illa inventa fuerit, cuncta „ se libenter auditurum, et quod visum fuerit commo- „ dissimum, comprobaturum. "

XII. His acceptis, proceres, et animo Caroli per-

specto, in diversas cogitationes distrahuntur; omnes enim Carolo morem gerere cupiebant, non solum quia propter justitiae ac virtutis opinionem carus erat omnibus ordinibus, sed quia committendum non putabant, ne, si quid ille frustra a suis magnopere contendisset, auctoritas Regia, quam nemo non integram atque etiam auctam vellet, imminuta videretur. Rursus legem, quam de tributo illo Carolus ferre nitebatur, ceteris odiosam et gravissimam fore intelligebant, nobilitati vero etiam intolerabilem, cunctis metuentibus, ne id tributum, quod ad tempus petebatur, semel admissum, in perpetuum, ut quaedam alia, quae simili ratione inducta fuissent, exigeretur. Ergo cum saepe ac multum in utramque partem in Concilio disputatum fuisset, placuit, ut pridie natalis Christi res suffragiis permitteretur, quae in maxima omnium erat exspectatione. Nam licet omnes fere proceres idem sentirent, nemo tamen palam et aperte refragari Carolo, aut ejusmodi sententiae auctor fuisse videri volebat. Quod animadvertens Petrus Velascus Comestabilis, vir Regiae majestatis juxta et boni publici studiosus, faciendum sibi statuit, ut ipse primus omnium sententiam diceret eo die, in cujus discrimine summam causae magnopere verti intelligebat; qui coacto ex more Concilio, hujusmodi orationem habuit.

XIII. „Cogitanti mihi, viri principes, cunctaque „animo collustranti, dum cupio (id quod vos omnes „studere animadverti) uti ea mihi in mentem veniant „in hac publica deliberatione, quae maxime sint ex bo„no publico et Caroli Caesaris Regis nostri commodis „ac dignitate, nihil fore visum est vel ad Regni quie„tem

„ tem et firmitudinem, vel ad ipsius Regis animi tran-
„ quillitatem dignitatemque et duraturas opes minus ac-
„ commodatum hac lege, de qua ferenda, et imperan-
„ da *Sisa*, novo et inusitato tributo, tot jam dies de-
„ liberamus. Quamvis enim ad publicam inopiam, qua
„ nunc urgemur, sublevandam magnum in ea praesens-
„ que remedium fore videatur, tamen periculum est,
„ ne hac accepta lege, unde remedium petimus uni me-
„ diocri malo, inde multae et ingentes calamitates o-
„ riantur. Nam quo certior est et uberior haec ratio
„ congerendi pecuniam, qua pecunia reipublicae Regni-
„ que quasi nervi, ut recte viri prudentissimi tradide-
„ runt, continentur, hoc Regno est atque Regi perni-
„ ciosior. Nulla est enim tanta pecuniae vis, quae non
„ celeriter possit bellicis sumtibus absumi. Quibus jam
„ pridem continenter suggerendis publica inopia contra-
„ cta est, et Hispania magna ex parte opibus exhau-
„ sta, quae si penitus, ut brevi hoc imposito tributo
„ fieri necesse est, exhauriantur, qui fieri possit, ut
„ Regni robur quasi succisis nervis non dissolvatur? Ita
„ fiet, ut Rex ad extremam inopiam redactus, ex ma-
„ ximo et praepotente exiguus fiat et imbecillus, con-
„ temtuique suis hostibus habeatur, ipsaque Hispania ce-
„ teris nationibus adhuc formidolosa, jam externis bel-
„ lis, quae alia ex aliis seruntur, supra modum exte-
„ nuata, opportuna reddatur injuriae, nec bello neces-
„ sario, siquis hostis invitatus occasione intulerit, pro-
„ pulsando sufficiat, praedaque opulentiori et potentiori
„ fiat. Quae mala si nobis pro nostra in patriam Re-
„ gemque fide et studio cavenda sunt, ut in primis

 sunt,

„sunt, praescindenda causa est, nec via praeceps in „tantas calamitates aperienda. Quamquam si verum „quaerimus, nec nostri juris est decreto nostro cete- „ros ordines totumque Regnum obligare, nec, siquid „tale quacumque ratione decernatur, video, quomodo „possit Castellana nobilitas ac immunes homines aequo „animo legem accipere libertati ac immunitati, quam „a majoribus multo ipsorum sanguine partam accepi- „mus, et qua potissimum gloriamur, inimicam et ad „omnium ordinum aequationem pertinentem; quae vi- „rorum multitudo cum sit ingens et magnae auctorita- „tis, verendum esset, ne tot hominum taliumque a „Rege alienata voluntate, tumultus aliquis exsisteret, „qualis inter initia Regni Caroli ex leviore causa a po- „pularibus excitatus et a nobis exstinctus fuit: qui hoc „Regi durior atque molestior accideret, quo major es- „set omnium ordinum in communi causa consensus, „nemine omnium prope dixerim, legem omnibus in- „commodam non iniquo animo laturo. Quibus tot „tantisque malis si, quemadmodum fides nos et offi- „cium adhortatur, obviam ibimus, legem perniciosam „deprecantes, rem faciemus, ut equidem existimo, „Regi fortassis ad praesens breveque non admodum „jucundam, tamen in posterum semperque salutarem, „ac ejusdem Regnique rationibus tum ad dignitatem „et famam, tum ad opes et potentiam accomodatissi- „mam. Sic igitur censeo, desistendum jam nobis esse „ab hac periculosa deliberatione, et de aliis tutioribus „incommodorum remediis cogitandum, et a Rege cun- „ctis precibus contendendum, primum, ut de hac lege,

„tum

„ tum cunctis quidem ordinibus, sed nobilitati potissi-„ mum odiosa, tum ab ipsius dignitate et commodis „ publicoque bono plurimum abhorrente, ferenda am-„ plius disputari ne permittat: deinde, ut nobis liceat „ ipsius voluntate consilia cum civitatum legatis et Pon-„ tificibus communicare, deque aliis publicae inopiae „ consulendi rationibus, siqua tutior et commodior „ iniri possit, deliberare.“

XIV. Haec cum dixisset Comestabilis, et ei quidam ex primoribus clara voce fuissent assensi, ipsorum auctoritate et libertate infirmiores confirmantur, qui aliena priorum et potentiorum invidia suam declinari intelligebant. Itaque omnes ad unum in eamdem sententiam ierunt. Hanc sententiam Comestabilis idem, et Najarae atque Alburquerquii Duces a Concilio missi ad Carolum his fere verbis pertulerunt: „ Visum esse „ procerum Concilio, et magno consensu placuisse, ut „ omissa *Sisae* mentione, de remediis aliis cogitaretur „ ac deliberaretur; sed eorumdem omnium unum esse „ animum et voluntatem ipsi morem gerendi atque ob-„ sequendi; verum ad hoc praestandum magni interes-„ se, ipsos consilia cum civitatum legatis communicare, „ ut communi consilio commodiores aliae rationes faci-„ lius ineantur; et ipso Carolo approbante atque juben-„ te, cum majore auctoritate, quae Deo in primis gra-„ ta sint, et ejusdem Caroli dignitati Regnique bono „ publico maxime omnium accomodata, sanciantur.“

XV. Quarto post die, eisdem convenire jussis, Carolus per Joannem Taveram, saepe a nobis memoratum Pontificem, ad ea in hanc sententiam respondit:

„ Et

„ Etsi multis in rebus procerum in se animum cognitum et perspectum haberet, tamen ejusdem animi declarationem per internuntios proxime factam sibi pergratam fuisse, seque eorum voluntatis atque officii memorem fore; nec dubitare, quin proceres, quoties officii ratio poscat, rebus sint abunde, quae verbis liberaliter recepissent, praestituri: qua fiducia hoc difficillimo tempore ipsos in primis ad Concilium convocasset, ut eis potissimum suffragantibus atque juvantibus magnas rerum necessariarum angustias et difficultates expediret; quorum incommodorum quia praesentissimum maximeque opportunum remedium in *Sisa* positum esse judicaret, idcirco de hac potissimum imponenda ad eos retulisset, hortatus simul, ut alia quoque remedia, siquod visum esset, commodius considerarent. Haec igitur ut denuo faciant, hortari iterum atque iterum et rogare; sed diligentius et festinantius, prout inopiae multifariam urgentis ratio postularet: haec cum peregissent, et quae ad levandam publicam indigentiam commodissima viderentur, constituissent, tunc ut res communi omnium consilio et consensu sanciatur, ceteros, quos oportuerit, cum ipsis conventuros. Ceterum, utcumque res cadat, sibi publicum Regni bonum, et suae fidei commissorum mortalium salutem et commoditates semper fore magnae curae. “

XVI. Tunc placuit decem viros pristina ratione deligi, qui separatim ut duodecim superiores, eademque potestate et auctoritate pro cunctis in Caroli postulata deliberarent. Delecti sunt Dux Najarae, Comestabilis, El-

Elchii Marchio , Bejaris, Scalonae , Alburquerquii Duces , Uregnae , ac Beneventi Comites , Marchio Veleziorum , et Joannes Vega ; quibus initio multa collocutis , visum est , quod ceteris quoque probatum fuit, uti rursus a Carolo peteretur , ut ejus voluntate liceret proceres simul civitatumque legatos convenire , et in commune consultare, quo res tum gravius , tum etiam consideratius ageretur. Quo renuntiato , Carolus , qui in proposito susceptoque consilio perstabat : Illud non esse remedia quaerere, cum stomacho dixit, sed ambitiose velle tempus terere congressibus inanibus agitandis.

XVII. Postremo post longam multorum dierum disputationem , proceres haec a decem viris deliberata, et reliquorum omnium consensu probata , quatuor ipsorum, Comestabili, Bejaris, et Najarae Ducibus, et Navarum Marchioni ad Carolum perferenda renuntiandaque mandarunt : „Se consulendi gratia saepe congres„sos , multa diu magnaque cura et studio agitavisse , „dum jussu ejus viam inquirerent , qua maxime pos„set publicae inopiae consuli , et impendentibus malis „ac difficultatibus obviam iri ; nullum tamen tam op„portunum remedium , nullam provisionem tam ido„neam in mentem venire potuisse, quam id (quod ab „ipso supplices peterent , et cunctis precibus orarent) „ut bellis modum, quoad fieri posset, imponat, seque „intra Hispaniae fines contineat ; sic enim factum iri, „ut simul suis suorumque laboribus et periculis par„cat, simul det requiem maximis et paene infinitis sum„tibus, tum publicis Regiisque , tum multorum nobi-
„lium

„lium virorum, qui pro sua fide et studio ipsum et
„secuti essent, et discedentem secuturi. Nam difficul-
„tatum et angustiarum, quae nunc urgeant, caput et
„originem haud dubie fuisse bella, quae jam decimum
„annum terra marique continenter gerat. His namque
„publicas et multorum privatas fortunas sic esse affli-
„ctas, ut Regni opes sint non solum in praeteritum,
„sed etiam in futurum exhaustae, infinita pecuniarum
„vi extra Hispaniae fines exportata, Regiisque vectiga-
„libus magna ex parte venditis, atque distractis, et
„gravissimo aere alieno cum foenore conflato: horum
„malorum medicinam in rebus contrariis sitam esse,
„ut ipse a bellis non maxime necessariis prorsus absti-
„neat; et, siquid extra Hispaniam fuerit illatum, id,
„quo fiat cum minore jactura et periculo, per duces
„propulset, nec se, in cujus vita salus publica tot Re-
„gnorum et quies sita sit, laboribus multifariam peri-
„culosis objectet, sed sua praesentia et aspectu Hispa-
„niae Regna, et in his subjectos sibi mortales laetos
„in pace et justitia officioque contineat, et Regia gra-
„vitate tueatur, sublatis injuriarum occasionibus, qui-
„bus absentia Regum locum facere consueverit: quae
„si facere animum induxerit, et ceteros sumtus non
„necessarios, quantum res patiatur, temperaverit, i-
„psum et ejus fidei commissos mortales a diuturno gra-
„vissimoque onere et solicitudine respiraturos, et Re-
„gna exhausta vires receptura, ut consentientibus tri-
„bus ordinibus, facultas sit cum multo minore jactura
„et molestia aes alienum dissolvendi, et ad usus non
„solum necessarios, sed etiam liberales ipsi ac liberis

„sum-

„sumtus suggerendi. Illud quoque ad levandam publi-„cam inopiam usui fore visum esse, ut constituantur „ad tempus nova vectigalia de iis rebus, quae ex Hi-„spaniae regionibus exportantur, ac item ut creentur „munera publica, quae ad vitam iis, qui pecuniam „contulerint, mandentur. Quod si parum ei hujusmo-„di remedia probata fuerint, aut levia tenuiaque vi-„sa, sic eos censere, non esse procerum separatim, „sed ad omnes ordines communiter pertinere, commu-„nicatis consiliis, rationem tot difficultates expediendi, „quae commodissima videatur, inire; quae causa fuis-„set, ut supplices ab ipso iterum atque iterum con-„tenderent, ut ejus voluntate liceret sibi una cum cae-„teris ordinibus de re ad omnes pertinente consultare. „Nec enim alios sine aliis recte posse de re communi „eademque gravissima decernere, praesertim cum de „rebus inusitatis et sine exemplo majorum ageretur. „Esse autem ipsius sapientiae ac humanitatis considera-„re ac meminisse maxima damna et detrimenta Regio-„rum vectigalium, quae multis annis contracta sint, „non posse brevi tempore, salvis ceteris reipublicae „Regnique necessariis adminiculis, sarciri.“

XVIII. Pergravis perque molesta fuit Carolo haec procerum sententia, nec audita potuit a verbis paulo asperioribus temperare, iniquo animo ferens, proceribus quoque praeter suam opinionem refragantibus, suos pios conatus, et ad communem Christianorum salutem pertinentes impediri. Nam etsi suis postulatis magnitudinem potissimum aeris alieni bellis superioribus contracti et publicam inopiam palam praetendebat, ipse ta-

men animo nihil tantopere, quam bellum Turcis inferendum agitabat, non desistens quae huic bello, quod ipse per se administrare cogitabat, usui essent, comparare, dum statueret publicae quieti atque saluti Christianorum adversus Turcarum Solymanique odium et superbiam, qui numquam cessarent bello Christianos terra marique lacessere, non aliter consulì posse, quam si, translato in Graeciam Turcarumque fines, et ultro illato bello, suis ipsi rebus timere cogerentur, cujus rei occasionem, quiescentibus Gallis, Paulo Pontifice Maximo et Venetis secum conspirantibus, non praetermittendam, sed cunctis rationibus praeferendam putabat. Hac se igitur spe dejici, illa pecuniarum exigendarum ratione, quae omnium commodissima videbatur, pernegata, aequo animo ferre non poterat. Ceterum nec diu nec intemperanter dolorem aluit, aut indulsit irae, sed mox utrumque ratione sapientissime temperavit, dum reputaret exploratumque haberet, procerum legatorumque consilium atque consensum a suis postulatis abhorrentem, non a superbia odiove sui, sed a necessitate quadam angustiisque rerum et justo libertatis amore fuisse profectum. Constabat enim cunctos id maxime dolere et angi, quod non simul Regni multorum annorum bellis externis continenter vexati et multifariam exhausti rationibus ac necessitatibus immuniumque hominum ac nobilium libertati consulere possent, simul Caroli voluntati morem gerere. Ceterum hanc repulsam Carolum alta mente reposuisse, ipse Madritii mihi de rebus aliis percunctanti post aliquot annos indicavit. Nam cum ego forte Concilii hujus mentionem

nem fecissem, in hanc ille vocem prorupit: „*In isto,* „inquit, *Concilio, quam parum possim, ipse sensi.*" Hanc enim de rebus per ipsum gestis, ceteris parum exploratis, percunctandi ex eo facultatem, si negotii gravitas postularet, ipse mihi pro sua humanitate et veritatis studio non denegabat.

XIX. Tali ergo responso de sententia procerum accepto, Carolus non amplius sibi eorum vel Consilio, vel suffragio utendum esse existimavit: sed his dimissis, et domum redeundi potestate facta, ad civitatum legatos redit, et cum eis negotium, quam commodissime pro tempore posset, nulla nova ratione inita conficere decrevit. Inter hujus publicae deliberationis initia facta fuerat a legatis mentio de monopolio salis instituendo, coëmtis omnibus Hispaniae salinis, et in Regium vectigal redactis. Et item de auro, ex quo purissimo feriebatur Hispana moneta, et quidquid ejus percussi penes quemque foret, proferendo, et mixta quadam argenti parte Gallorum et Italorum more temperando, et in monetam percutiendo citra ullam vel ponderis, vel valoris mutationem, ea lege, ut reliquo lucro in fiscum cedente, quinta dumtaxat pars dominis accresceret, quippe utroque modo magna pecunia cogi posse videbatur.

XX. Sed his et ceteris inusitatis rationibus, de quibus fuerat agitatum, omissis, id solum a legatis postremo Carolus postulavit, ut praeter consuetum tributum, quod tertio quoque anno, Concilio coacto, et consentientibus civitatibus, in triennium aequis pensionibus solvendum imperabatur, quadringenta ducatorum

millia proximo anno contribuenda imperarentur. Negantibus autem legatis sui officii, aut potestatis esse, civitatibus suis inconsultis, de tributo extra ordinem imponendo quidquam statuere, placuit, ut singuli legati hujus rei gratia ad suas civitates remitterentur. Sed cum ceteri etiam in tántis rerum angustiis et inopia pecuniam, quae extra ordinem poscebatur, conferendam censerent, Burgenses tamen et Salmanticenses, qui magna id temporis annonae caritate et inopia premebantur, numquam in eam sententiam adduci potuerunt; nec tamen obstitit horum pertinacia, quominus ea pecunia imperaretur. Quod decretum factum est, Conciliumque dimissum mense Martio, sexto quam fuerat coactum, et exacta pecunia non solum a ceteris, sed ab ipsis etiam Burgensibus, quibus ordinaria quoque tributa remitti solebant Regia liberalitate iis quidem, qui urbem ipsam incolerent, ob ejus auctoritatem, quae prima totius Castellae et quasi caput habebatur. Itaque hoc anno praeter antiqua et stata vectigalia collata sunt a Castellanis millia circiter quingenta triginta tria nummorum aureorum, qui *ducati* dicti pondere drachmae minus tritici grano et semis feriebantur, permutabantque undenis argenteis nummis drachmalibus, quos *regales* vocabant, praetereaque binis *blancis*, aerea et minuta moneta, nam his sexagenis octonis regalis nummus valebat.

XXI. Dum ea Toleti geruntur, tam vehemens et inusitatum frigus Baeticae mediterraneas regiones invasit mense Decembri, ut arbores non solum in genere citrearum, et quae nisi tepentibus locis non proveniunt, et sunt algoris injuriae peropportunae, sed vites et-

etiam et oleae, quod raro accidit, et, quod multis saeculis inauditum erat, ilices etiam exaruerint, praesertim in agro Cordubensi citra Montes Marianos, qui *Petrochae* a frequentia petrarum nominatur, regio ad hiemis incommoda molestiasque vitandas omnium, quas ego viderim, opportunissima, ad quem commodissimum patriumque secessum libenter ipse soleo, cum licet, hibernandi studiorumque gratia confugere.

XXII. Neque vero silentio praetereundum videtur id, quod eadem hieme Toleti quoque gestum est: Gonsalum Fernandum Cordubam, Gonsali magni ex Elvira filia nepotem, Ducem Suessanum, Comitemque Cabrensem, despondisse sibi Francisci Covi filiam Mariam, idque in aedibus, ubi Carolus diversabatur, et ipso sua praesentia sponsalia decorante, quae deinde frequentissimi proceres magna cum gratulatione ludis equestribus celebraverunt. Tantum potest virtus, fortuna comitante, quae Franciscum Covum ex honesto quidem, sed humili loco tam sublimem evexerat, atque eo gradu familiaritatis favorisque Caroli propter fidei, consilii atque industriae singularem opinionem collocaverat, ut ab omnibus ordinibus diligenter ac paene certatim coleretur; eoque magis, quod nullum fere negotium erat extra tribunalia decernendum, in quo constituendo atque expediendo Carolus consilio, aut etiam opera ejus non uteretur. Erat item in Francisco Covo comitas egregia affabilitasque sermonis, quae ut mire solet animos hominum conciliare, valde ipsum multitudini commendabat, sublevabatque apud omnes invidiam, quam non parvam, nec sibi solum, sed Carolo et-

etiam ex eo maxime conflabat, quod se jam non facile adiri convenirique sinebat, quae res ut conficiendis expediendisque negotiis moram, sic ea gerentibus magnam molestiam et dispendium afferebat.

AN. M.D.XXXIX. XXIII. Ad diem undecimum Kalendas Majas, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus trigesimus nonus, Isabella Augusta, quae pertenuis erat valetudinis, et dysenteria jam pridem laborabat, abortum fecit, morboque invalescente, absumta est ipsis Kalendis Maji, magnum sui desiderium relinquens, cum ceteris omnibus, qui virtutes ejus perspexerant, tum maxime Carolo marito, mutua sibi et eximia caritate conjunctissimo. Erat enim Isabella iis lenioribus virtutibus, quibus feminae potissimum commendantur, ornatissima, modestia, pudore et temperantia, mitissimis humanissimisque moribus, sed cum gravitate regia temperatis; praeterea in maritum observantia singulari, cui jam graviter aegrotanti maxime omnium Carolus assidebat, interdumque medicamenta potionesque suis ipse manibus libenter ac sedulo ministrabat. Medicis porro de vita ejus desperantibus, ipse primus pro singulari sua in Deum pietate et religione periculum uxori dilectissimae renuntiavit, exhortans simul et obtestans, ut jam terrestris vitae atque mortalis oblita, de coelesti dumtaxat sempiternaque cogitaret. Ad summam nullum officium vel prudentis, vel religiosi, vel amantissimi mariti in uxorem aegrotantem, sed ne post mortem quidem praetermisit, qua laborante, supplicationes de impetranda ejus salute ab immortali Deo per omne Regnum indictae; ipsa vero accepto mortis instantis nuntio,

tio, nec conterrita est, nec animo defecit, sed Christianae religionis sacramenta sibi protinus ministrari poposcit, testamentumque fecit plenum officii ac pietatis.

XXIV. Elata est autem Granatam; sic enim moriens Carolo mandaverat, ut ubi se condi vita functum constituisset, ibi ipsam sepeliendam curaret. Cum autem mos esset Hispanorum Principum corpora, detractis intestinis, quo diutius incorrupta maneant, medicata sepulcris condere, tamen hoc quoque, dum extremum spiritum duceret, Isabella marito mandavit, supplexque fuit, ne suum defunctae corpus secari pateretur, cavens scilicet, ne vel mortua a quoquam alio, quam a viro suo attrectaretur. Ita cum extrinsecus dumtaxat cadaver fuisset medicatum, paucis diebus tetrum odorem emittebat, vixque inita ratio est, qua is ferri posset, odoribus additis, et feretro vehementer oblimato. Effertur autem domesticis ejus cum oppidanis Castellanisque Sacerdotibus, qui funus deinceps excipiebant, paene continentem funebrem pompam cum cantu ducentibus, prosequentibusque Joanne Toleto Episcopo Burgensi eodemque Romanae Ecclesiae Cardinali, Francisco Bovadilla Cauriensi, Petro Portu Legionensi, Episcopis; praeterea Jacobo Pacheco Scalonae Duce, et Francisco Borgia Lombajae Marchione, cumque hujus uxore Leonora ex Castrorum familia paucis quibusdam nobilissimis matronis. Sepulta est autem Granatae in Regio sacello, ubi conditi erant Fernandus et Isabella, horumque gener Philippus Caroli pater, ibique justa exsequiarum eidem amplissime soluta: sed et Toleti in fano Joannis cognomento Regum no-

no

no die, quam decesserat, funus ad coenotaphium cum pompa et laudatione ex more celebratum est plane regio apparatu, Philippo filio et Pontificibus principibusque viris, quicumque Toleti aderant, cohonestantibus. Nam Carolus ipse colloquia hominum devitans, indulgensque dolori, in coenobium suburbanum, quod *Sisla* dicitur, cum paucis domesticis secesserat, unde affecto mense Junio Madritium regium oppidum migravit.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER DECIMUS NONUS.

I. DUM haec in Hispania geruntur, Gandavenses, quae civitas est Flandriae summae auctoritatis et opulentissima, novis rebus studere, et imperia Mariae, quae pro Carolo fratre Flandriam procurabat, detrectare coeperunt, propterea quod tributis, ut ipsi jactabant, supra modum gravarentur, nec exacta pecunia in eos usus, quorum nomine imperata fuisset, impenderetur. Quod verita Maria ne initium esset majorum ad eas regiones motuum, si armis ipsa Gandavensium contumaciam persequeretur, per litteras et nuntios Carolum facit de rebus omnibus certiorem, hortaturque, ut in Belgium primo quoque tempore proficiscatur, magnopere se confidere Gandavenses ab ipso praesente facile posse ad sanitatem revocari. In eamdem sententiam cum litteras ab aliis, quorum in se fidem perspexerat, consiliumque probabat, accepisset, Belgium adire constituit, profectionemque parare coepit. Quo cognito, Rex Gallorum Franciscus demerendi Carolum occasionem, quae offerri videbatur, sibi tenendam ratus, ultro per nuntios et litteras suam ei voluntatem o-

omniaque defert, ac liberaliter pollicetur, ut, si vellet, navigandi casu ceterisque molestiis et sumtibus vitatis, per Galliam suosque fines recta brevissimaque via in Belgium contenderet. Nec vero solum a Rege invitatus est Carolus, sed idem Regina soror missa epistola multis ab eodem precibus contendit, piis simul atque sororiis monitis adhortata, videret etiam atque etiam, ne si Regis officium suis rationibus accommodatum, et liberaliter delatam voluntatem rejiceret, fidem ejus damnare videretur, et cujus amicitiam publicae quietis gratia cupidius expetivisset, ejus optimum in se animum, de quo incunctanter polliceretur, alienaret; ac eodem fere modo uterque Regis filius, et Anna Comestabilis, et Lorena Cardinalis cum Carolo per litteras egerunt.

II. Quae conditio deliberanti Carolo hoc minus respuenda visa est, quod nullam esse causam judicabat de Regis animo dubitandi; quippe cujus fidem atque constantiam anno superiore perspexisset, et magno documento fuisset expertus, cum ex colloquio Pontificio Liguriaque revertens, se in ejus potestatem, ut officium cumulate redderet, ad oppidum, cui Fossa Mariana nomen est, in ora Galliae Narbonensis, ut supra demonstratum est, permisisset. Etenim classem et milites praesidii gratia imponendos cogere, longum et magni sumtus esse videbatur, sive Oceanus Cantabricus Britanicusque, sive internum mare trasmittendum esset, et longiore quidem, sed tutiore circuitu per Italiam Transpadanam suosque fines in Belgium pergendum. Iterum igitur Gallorum fidei periculoso (ut quidem plerisque omnibus videbatur) consilio se commit-

te-

tere, et per ipsorum regiones in Belgium properare decrevit. Itaque Regi pro tanta liberalitate gratias agens, se conditionem accipere, eaque libenter propediem usurum esse respondit.

III. Ceterum Isabella Augusta immatura morte, ut supra demonstratum est, sublata, et Philippo filio nondum maturitatem ad gubernandun per aetatem adepto, Carolus, cui potissimum discedens Castellae procurationem mandaret, ambigebat. Nam in ceteris Hispaniae Regnis, quae per Praefectos, *Proreges* appellatos, administrari consueverunt, nullam sibi horum mutationem faciendam censuit. Praeerat per id tempus Aragoniae Petrus Luna Moratae Comes; Cataloniae Franciscus Borgia Marchio Lombajae; Valentiae Fernandus Aragonius, qui vulgo Dux Calabriae dicebatur; Navarrae Jacobus Furtadus Cagneti Marchio, omnes viri spectatae fidei, consilio et auctoritate praestantes. De Castella igitur dumtaxat consultabatur, quippe quam, ut est reliquorum Regnorum velut caput, Reges ipsi per se solent, quamdiu se intra Hispaniam continent, administrare. Nam cum ei maxima vir auctoritate praeficiendus esset, tamen procerum cuiquam id munus mandare, et ceteris invidiosum, et propter magnas cognationes et clientelas vicissimque veteres primorum simultates et factiones, non satis ad publicam quietem et in officio mortales aequo jure continendos tutum fore videbatur; quippe homines naturali suorum studio, et vicissim alienorum odio facile per occasionem ad injuriam impelluntur, unde dissidia et seditiones hoc facilius exsistunt, et cum majore Reipublicae Regnive pe-

riculo, quo sunt qui dissident, propinquitatibus et clientelis potentiores.

IV. Quae ut vitarentur incommoda, et res fieret cunctorum aequioribus animis, placuit tandem procurationem Joanni Taverae Archiepiscopo Toletano et Ecclesiae Romanae Cardinali mandare, tum propter personae dignitatem, quae non modo locum obtinet facile principem inter Praesules Hispanos, sed vincit etiam opulentia et vectigalibus ceteros omnes Christiani orbis Antistites praeter Pontificem Romanum, tum propter hominis in omni genere virtutum praestantiam. Hunc igitur Carolus Castellae procuratorem constituit, eidemque tres magnae prudentiae et auctoritatis viros, quorum consilio in summis rebus administrandis uteretur, extra ordinem attribuit, Garciam Fernandum Manricum Osorni Comitem, qui Consilio praeerat equestrium Religionum, et harum equitum Praefectos duos, Joannem Zugnigam, et saepe a nobis memoratum Franciscum Covum, quem propter perspectam fidem, quam ei summam rerum omnium habebat, separatim ad haec toti officio curandae rei nummariae praeposuerat; erat enim quaestorum Praefectus. Philippi verò filii curam cum his omnibus commendatam reliquit, tum maxime eidem Joanni Zugnigae nutricio. Hunc enim Carolus filii moribus ab ineunte aetate instituendis atque formandis praeposuerat, ut erat vir gravissimus, prudentissimus, pietate ac omni virtute praestans. Nam litterarum Latinarum et studiorum, simulque religionis magister datus ei erat Joannes Martinus Siliceus, qui beneficio item Caroli Caesaris auctus fuit Carthaginensi Epi-

Episcopatu, deinde ad Toletanum Pontificatum evectus, vir honestissimis sanctissimisque moribus et egregia doctrina, sed qui plus operae Theologiae ac Philosophiae rerumque cognitioni, quam linguarum scientiae, et ornamentis Latinae orationis impenderat.

V. Rebus, quae ad summam Regni administrationem pertinebant, constitutis, Carolus Perenotum Granvelam, cujus fidei prudentiaeque maxime fidebat, praemittit, qui per causam vitandi laboris per dispositos equos, aetate jam ingravescente, cum Carolo properandi per Galliam parvis itineribus antecedens, Regem Reginamque et amicos conveniret, et consilia Gallorum diligenter exploraret; a quo cum nihil infidum, nihil suspectum nuntiaretur, Carolus tertio Idus Novembris cum parvo comitatu Madritio profectus, Arevalum venit, ut filias Mariam Joannamque inviseret, quas huc e Toleto migrare jusserat, cumque his Fernandum Silvam Comitem Centifontanum, cui post matris obitum ipsarum curam delegaverat, propterea quod is locus nec injucundus, et illarum valetudini accommodatus fore visus erat. Est autem *Arevalum* oppidum ad ripam Adagiae situm, qui fluvius in Orospeda monte Avelensibusque finibus exortus, Avelam et Arevalum oppida, et Valdastillas vicum praeterlapsus, Durium tribus circiter passuum millibus infra Symancas influit, olim, ut quidam arbitrantur, *Areva* dictus, unde nomen *Arevacorum* genti, qua Saguntia, Uxama, itemque Clunia et Sagovia, oppida vetera nomina retinentia, continebantur. Alluit etiam Arevalum fluvius alter, sed multo minor, *Arevalellus* nomine, qui juxta ipsum op-

oppidum Adagiae exceptus, nomen amittit, ut non temere suspicari videantur, qui parvum flumen a majore, quo excipitur, et interceptum oppidum ab utroque nomen accepisse putant.

VI. Ex Arevalo Carolus Torsillas progressus, Regina matre, ut facere ex Hispania discessurus solebat, salutata, Valdolitum perrexit; et biduo ibi commoratus, se in viam per equos dispositos cum duodecim omnino comitibus dedit, quorum Hispani fuerunt quinque, Fernandus Toletus Dux Albanus, Petrus Cueva equitum Alcantarae Praefectus, Henricus Toletus ipsius Cubicularius, Alfonsus Idiaques a secretioribus libellis, Zavallus Medicus, ceteri Belgae, omnes domestici Caroli. Cum in Pyrenaeum saltum ac Fonterabiam extremum in suis finibus oppidum juxta Aeasonem promontorium pervenisset, obvios habuit Carolum Regis filium, et Annam Comestabilem. Postridie regios fines ingresso Henricus alter Regis filius major natu ex Bajona cum majore comitatu obviam venit, atque oppidum intranti Burdigalus Archiepiscopus, qui praeerat ei regioni, portarum claves, quasi permittens omnia in ipsius potestatem, tradidit: quod in omnibus castellis oppidisque Galliae, quacumque Carolus Caesar transiret, jussu Regis factum est, omnibus cum magna gratulatione, et pro captu cujusque populi maxima obviam prodeuntium frequentia et rerum omnium apparatu libenter excipientibus.

VII. Erant utriusque Principis insignia per cuncta non solum majora oppida, sed etiam castella in tabellis proposita, atque ita descripta, ut Caesarea dexte-

ram

ram partem obtinerent. Praeterea locis idoneis equi dispositi, quibus Carolus Caesar, Carolo et Henrico adolescentibus regiis eodem modo prosequentibus, utebatur; sed ita ut non amplius justo non properantium itinere conficeret. Nam cum totas noctes quieti daret, die quoque remissum cursum per longa intervalla repetebat, a quo ipso, cum Burdigalam ventum esset, omnino destitit, a regiis adolescentibus, ut itineris faciendi rationem mutaret, exoratus. Itaque commodiora jumenta singulis ad reliquum viae peragendum hic fuerunt attributa. Per Pictavium, Ambasiam, Blaesos, et Aureliam oppida nobilia progressus Carolus, jam ei, quod *Lorchas* dicunt, appropinquabat, cum ad ipsum Rex et Regina multorum dierum iter obviam progressi pervenerunt, et magna cum laetitia gratulationeque et amicissimis amplexibus exceperunt. Ab eo loco Lutetiam usque planities intercedit hieme viatoribus permolesta, luto et aquis impedita: ad hanc commodius transmittendam, paratum erat quoddam velut tabernaculum ex lignis supra duas trabes aedificatum, duobusque parvis cubiculis distinctum, quae per vitreas fenestras lumen admittebant: hoc equis quinquaginta trahentibus, Carolus Caesar Franciscusque Rex cum Regina duobusque filiis et filia et nuru convecti, in Fontenoblaeum diverterant, regaliter instructum et ornatum Praetorium, quo Reges Galliae otii venationisque gratia secedere solebant.

VIII. Hic cum dies quindecim jucundissimis colloquiis et splendide ac opipare apparatis epulis summa hilaritate consumsissent, Lutetiam Parisiorum progrediun-

diuntur, quae urbs Galliae totius amplissima et summae auctoritatis habetur, perveneruntque ipsis Kalendis
Ann .M. D.XL. Januarii, qui fuit annus a Christo nato millesimus quingentesimus quadragesimus; quo die, ne officium, ad quod omnia jam pridem accuratissime comparabantur, ipsi quoque Regi, sed soli Carolo praestari videretur, Rex idem mane cum suis proficiscitur, Carolum mille circiter passuum a Lutetia intervallo ad ligneum tabernaculum, hujus dumtaxat rei gratia et in eum diem ibidem aedificatum, relinquens. Itaque vesperi in urbem accedenti Carolo, omnis civitas obviam processit, utroque Regis filio, et, qui aderant, Ecclesiae Romanae Cardinalibus antecedentibus. Juxta hos Regii Consiliarii, qui Regiam Aulam assectabantur, procedebant. Tum ejus Consilii, quod Gallica consuetudo *Parlamentum* nominat, Senatores: reliquis deinceps Sacerdotum, Monachorum, doctorum, honoratorumque civium ordinibus cum suis insignibus consequentibus. Praeterea popularium innumera turba quoquoversus circumfusa; sed proximus Carolo urbem ingredienti Comestabilis manu districtum gladium ostentans antecedebat; tum librariorum, quos *Secretarios* vocant, Praefectus; juxtaque hunc sericis et conchyliatis peristromatis ornata mula, qua Regium sigillum ferebatur, latus ejus sex ambactis serico item concolore indutis claudentibus; quibus rebus, gladio, sigillo, et administris Rex videri volebat a se in suo Regno delatam esse ad Carolum, tum vitae ac necis, tum civiles controversias dirimendi potestatem, et jure Regio quidquid placuisset constituendi.

Ad

IX. Ad hunc modum per vias tapetibus et aulaeis ac ceteris id genus ornatibus fulgentes, perque temporarios arcus honorificis in Carolum inscriptionibus et aenigmaticis insignibus ornatos, in aedem sacrarum maximam processit; inde, cum Deum pro sua consuetudine et singulari pietate venerabundus salutasset, eadem pompa deductus, in aedes Regias divertit, quod *magnum Palatium* dicitur, unde postridie in Luvram commodiorem domum, et quam Rex idem frequentius habitabat, deducitur. Quotidie acceptus ibi est magnificentissimo apparatu, Rege simul cum liberis paucisque proceribus discumbentibus. Quod cum fieret quotidiana consuetudine, tamen hoc habuit ejus diei coena praecipui, quod lavanti manus Carolo mantile ad assiccandum, licet diu perhumaniter recusanti, tamen regulorum major natu subministrare honoris gratia, patre jubente ac instante, perseveravit.

X. Cum sex omnino dies Lutetiae Carolus, a Rege magnificentissime cunctis obsequiis, honore et officiis habitus, consumsisset, postridie Epiphaniae proficiscitur, Rege, ut ante, cum uxore et liberis usque ad sui Regni Flandriaeque confinium prosequente. Hic alter alterius comites amplissimis muneribus cum affecisset, inter se arcte complexi, lacrymis etiam, ut in amicissimorum discessu assolet, obortis, et amantissime consalutantes, digrediuntur; sed ita ut Rege uxoreque redeuntibus, uterque filius cum magno Principum nobiliumque virorum comitatu Carolum Caesarem Valentianas usque prosequerentur, ad quod oppidum Maria Caroli fratris adventum exspectabat; a qua magnificen-

tissime tractati, cum triduum ibi jucundissime consumsissent, Galli ad Regem revertuntur, Carolus cum sorore Bruxellas contendit.

XI. Hoc in itinere Carolus obvios habuit legatos a Gandavensibus sui purgandi causa missos, quos parum leniter acceptos, domum redire, atque ibi se exspectare jussit. Bruxellis tam diu commoratus est Carolus, donec Germanorum ad quatuor millia delecta manus convenissent, quibus antecedentibus, et mille equitibus cataphractis, qui Flandriae Burgundiaeque praesidio erant, subsequentibus, Gandavum pridie Iduum Februarii ingreditur, Gandavensibus ex more, sed cum supplicis animi non mediocri significatione obviam progressis, qui magnum egenorum puerorum numerum, quos publice alebant, ad portam disposuerant, ut hi miserabili clamore praetereuntis Caroli misericordiam implorarent.

XII. Gandavenses initio defectionis armis se urbemque suam, et, quam jactabant, libertatem adversus Mariae Carolique vires defendere cum statuissent, urbem alta fossa aggeribusque cinxerant, et cetera, quae usui forent, comparaverant, omniaque publico consilio et omnium fere conspirantibus animis administrabantur. Ceterum populares quidam, cupiditate et rei familiaris inopia stultos animos instigante, jactare coeperant ferendam esse legem quamdam ad bonorum aequationem pertinentem; in quam sententiam cum egenorum turbam ferri praecipitem locupletiores animadverterent, factum est, ut studia civitatis in duas partes scinderentur, divitibus legem sibi perniciosam detestantibus, et

ad sanitatem redeuntibus. Ita Principis ope et auctoritate contra egenae multitudinis injuriam sua se tueri posse confidentes, pristinum civitatis statum jam rebus novis anteferre, nec ab officio imperioque Caroli discedendum esse praedicare, ceterosque palam ab instituto armorumque consilio deterrere coeperunt.

XIII. Verum adventante Carolo, civitas omnis, non solum culpae, siqua esset, veniam sibi ex ejus clementia pollicebatur, sed defendi quoque posse suam causam jure privilegiorum quorumdam a superioribus Principibus latorum existimabat et praedicabat. Igitur ad causam cognoscendam Carolus, jussis pro se dicere Gandavensibus, ne quid ira impulsus in eos per injuriam statuisse videri posset, sibi Flandrense summum Consilium graves ac jure peritos viros in judicium adhibuit; ex quorum sententia judicioque primum novem cives principes fuisse defectionis, privatoque consilio partim Franciscum Galliae Regem, partim Clevensem Ducem sollicitasse, convicti fuerunt, et capite damnati, inque eos ad forum animadversum. Deinde causa publica diligenter cognita et perorata, judicatum est, privilegia, quibus nitebantur Gandavenses, injusta esse et vitiosa: quippe quae, facta ab eisdem rebellione, ab invitis Principibus fuissent extorta; praeterea Gandavensem civitatem publice majestatem Principis minuisse compertum est; quod crimen cum sit supremo supplicio bonorumque publicatione sancitum, Carolus tamen summo juri ac severitati aequitatem ac mansuetudinem praetulit, ac Judicum sententiam mitigavit, irrogata mulcta, et levioribus poenis, quae maxime ad

civitatem in officio continendam pertinere visae sunt, ut quinquaginta nummorum aureorum millia, quos *Florenos* nominat, Gandavenses contribuerent ad arcem construendam, quae brevi tempore in loco intra muros opportunissimo aedificata fuit, ut eo terrore et quasi freno popularium animi in officio continerentur. Item, ut possessiones coëmerent, quarum fructus sena eorumdem nummorum millia ad alendum arcis praesidium quotannis redderent. Ad haec sodalitatum, quas ipsi patria lingua *Guildas* vocant, domus quinquaginta duae publicatae, arma et tormenta, quibus erant munitissimae, praesidio arcis adjudicata. Hoc quoque adjectum Gandavensium mulctae, ut vectigalia senum millium florenorum a Carolo pridem oppignerata iidem alieno aere soluto liberarent, et fossas, quas initio defectionis ad obsistendum fecerant, implerent, et aggeres aequarent. Sed illud in primis, ut ratam partem tributi a Maria imperati, unde nata fuerat defectio, persolverent.

XIV. Qua sententia pronuntiata, centum quinquaginta sex cives, hoc est, ex singulis sodalitatibus terni prodierunt, unus aperto capite, pedibusque nudis, caliga et subucula dumtaxat indutus, laqueoque ad collum injecto, duo atrati: hi omnes, ut erat constitutum, ad Carolum in Aulae cavaedio pro tribunali sedentem processerunt; cumque genibus flexis ter omnes misericordiam inclamassent, unus atratorum de scripto pergit nomine civitatis clara voce culpas et errata publica confiteri, et Caroli clementiam supplicibus verbis implorare; qui cum finem dicendi fecisset, Maria, quae Ca-

Carolo in suggesto assidebat, surrexit, et ad pedes fratris genibus flexis obvoluta, clementiam ejus pro Gandavensibus implorare coepit. Sed assurgens Carolus sororem excitavit, nec verbum amplius facere, donec consedisset, passus est; cujus oratione et precibus auditis, se nihil posse respondit voluntati et rogatui carissimae sororis abnuere. Itaque debitas Gandavensium gravissimis culpis et criminibus capitis et bonorum publicationis poenas illi se condonare dixit, paucis quibusdam factiosis et turbulentis civibus nominatim exceptis, seque ea mulcta et mitioribus poenis, quae in sententia paucis ante diebus pronuntiata expositae fuissent, contentum fore confirmavit.

XV. His rebus ad Gandavum gestis, Carolus Antuerpiam circa Maji Kalendas proficiscitur, ubi conventum habuit Bravantiae Ducatus; hinc per Mecliniam, Lovanium, et Bruxellas Brugas pervenit, conventumque Flandrensis Comitatus habuit; tum familia comitatuque suo in Hollandiam per terram contendere, atque ibi se exspectare jusso, ipse cum paucis in portu, cui nomen est *Exclusa*, novem circiter passuum millibus a Brugis, navem conscendit, et Zelandiam atque hujus regionis caput Medelburgum urbem navigavit; et cum alia oppida maritima et Zelandiae insulas obiisset, quaeque opus esset, imperasset ac providisset, in Hollandiam regionem atque Dordrecum processit, unde per Roterodamum ac Delphum, Hagam comitis nobilem et justi oppidi magnitudine vicum, aedificiorumque magnificentia et opibus magnas urbes exaequantem, undecimo Kalendas Augusti pervenit. Hic podagra, quo morbo

bo subinde tentabatur, impeditus substitit, ac dies viginti moratus, Hollandiae et Zelandiae conventus habuit. Gandavum Carolus circa Novembris Kalendas revertitur: cumque ceteras circum regiones atque urbes obiisset, conventus peregisset, et omnibus vicies centum millia ducatorum sex proximis annis pendenda imperasset, Valentianas hac iter in Germaniam facturus progreditur, constititque diebus aliquot haemorrhoidibus impeditus.

XVI. Dum haec in Belgio apud Carolum geruntur, Azenaga eunuchus, qui pro Charadino Barbaroxa Regnum Argeliae ad oram Mauritaniae procurabat, classe triremium trium ac duodecim biremium coacta, rebusque omnibus necessariis bene instructa, huc mille delectos milites imposuit, Turcas fere et Hispanos perfugas Saraceni generis, sed qui religionem Christianam temporis causa parum scilicet libenter acceperant; a qua deficientes, ne poenas darent impietatis, frequentes in Africam transfugiebant (*Mundejares* Afrorum lingua nominantur.) Cui manui classique Alihamatum, et Caramaminum magnae virtutis homines, natione Turcas, partitis officiis, praefecit, ut Alihamatus toti rei maritimae praeesset; interea vero si milites exponerentur, Caramaminus imperii summam teneret; et hos mare Ibericum atque oram Hispaniae piraticis incursionibus infestare jubet, et Agibaxum imitari, qui cum classe missus tertio ante anno per occasionem absentium triremium praesidio Hispaniae destinatarum, quae Carolum Caesarem in Liguriam et Nicaenum, de quo memoravimus, colloquium secutae fuerant, nostris non

par-

parva detrimenta et calamitates intulerat. Nam quindecim navigia ex Illicitano portu, qui nunc *Alicante* nominatur, profecta ceperat, a nautis prae timore in hostium accessu deserta, et Valentiae *Graum* navalem vicum diripuerat, et ex aluminis fodinis ad Almazarronem vicum, oramque Carthaginis novae multos mortales captivos duxerat. Tum proxima aestate minus quidem libere propter nostrarum triremium discursus, tamen impune mare Balearicum, nonnullis navigiis interceptis, infestaverat.

XVII. Quibus successibus elatus Azenaga, et contemto Hispanico praesidio navali, novos duces, ut omnes rei bene gerendae occasiones diligenter captarent arriperentque, cohortatus dimittit, qui hoc animo proficiscuntur, ut non sint recusaturi, quin praelio decernant, sicubi nacti fuerint classem quatuordecim triremium, quae ad eam oram tutandam Bernardino Mendozae erant attributae. Has enim tam negligenter et parce (ut fit interdum praefectorum avaritia) instructas, et militibus munitas esse falso fuerat nuntiatum, ut facile sibi fore persuaderent conata perficere; qua de re percunctantibus, hoc quoque vocibus Christianorum mercatorum, qui fide publica interposita ultro citroque commeabant, et in Mauritania negotiabantur, nuntiatum fuerat, octo triremes ex ea, quam diximus, Hispanica classe reficiendi et zopissa reparandi gratia in Calpes portum esse compulsas, quarum non solum cetero apparatu, sed etiam paucitate despecta, has vel in portu oppugnare constituunt. Itaque passuum millibus circiter viginti a Calpe anchoris in alto jactis, noctem ex-

exspectantes constiterunt; ac prima vigilia duces classicos milites, ut forti animo essent ad oppugnandum ea nocte Christianorum classem, cohortati, praemiisque propositis iis, qui primi hostiles naves transcendissent, inde progrediuntur, Calpesque portum multa jam nocte subeunt: sed cum nullas in eo naves, praeter quinqueremem non instructam, et parva quaedam navigia reperissent, in oppidum imparatis ac nihil tale metuentibus oppidanis irrumpere, idemque, si res succederet, diripere constituunt.

XVIII. Est autem Calpe mons cum oppido cognomine (*Gibraltare* vulgo dicitur) in Hispaniae Baeticae littore, cui monti consimilis formae objectus est Avila in ora Mauritaniae. Hi vero sunt montes, quos veteres *Columnas Herculis* nominarunt: hic noster in exitu Herculei freti ad sinistram mare nostrum intrantibus parva peninsula fit; ab ortu solis latiore mari, ab occasu brevi angustoque sinu alluente, qui ex ipso freto faucibus millia circiter octo passuum patentibus acceptus, ac se modice laxans in septentrionem, qua relinquitur aditus a terra, recedit, ac portum efficit, quo penetrare navibus nisi per medium fere non licet, hinc vadis arenosis, ad Calpen vero semilatentibus rupibus prohibentibus. Mons idem, qua solis ortum spectat, excelsus est atque praeruptus, in averso latere fere medio molliore clivo; qua parte vergit in occasum, arx est opere et natura munitissima; oppidum ipsum a septentrione in meridiem per montis occiduas radices porrigitur, peninsulam tria circiter millia passuum in longitudinem patentem, undique murus praeterquam

ab

ab ortu ipsoque monte complectitur, cujus peninsulae, excepto monte, tertia fere pars ad septentrionem juxta ipsam arcem habitatur. Nam reliquum spatium vineta saxaque tenent, qua parte murus longa pace remissis oppidanorum animis neglectus nonnullis in locis corruerat, quod tum indicio transfugarum Christianorum, tum Caramamini testimonio, qui, dum captivus remigioque addictus Alvaro Bazano serviret, saepe ad Calpen fuerat, Turcis exploratum et cognitum erat.

XIX. Naves igitur ea parte ad terram media circiter nocte, contuentibus excubitoribus, appellunt; a quibus accedentes, quinam mortales essent, interrogati, classem esse Hispanicam, quam Bernardinus Mendoza ductaret, per Hispanicae linguae peritum responderunt, nec Divam Mariam Europae, quo nomine sacellum in proximo littore dicatum erat, ex more salutasse (nam et hoc rogati fuerant) ne Bernardinum non recte valentem, et cui caput doleret, fragor tormentorum offenderet; sed cum illuxisset, facta in sacello re divina, salutaturos. Parte igitur militum navium praesidio relicta, ne captivi Christiani remiges aliquid interea sinistri molirentur, reliqui numero ad sexcenti, duce Caramamino, in terram cum quinque signis militaribus albente coelo descenderunt; et praecurrentibus, jam fraude cognita, et inclamantibus excubitoribus advolant, perque interrupta murorum immissi feruntur.

XX. Interea oppidani, qui aderant, (nam magna pars aberat vindemiarum causa, erat enim dies quartus Iduum Septembris) excubitorum et aliorum confugientium clamoribus excitati, ad arma concurrunt, seque

Turcis jam interiora oppidi subeuntibus objiciunt, ac duabus viis obsessis, magnis animis occurrunt; utque in extrema desperatione solet, pro sua liberorumque vita et libertate fortissime dimicantes, non tam vi et armis (erant enim perpauci) quam injecto terrore, nam multo plures esse putabantur, hostes represserunt. Ceterum praedones iidem tertia via, quae ducit ad arcem, ingressi, eo confugienti multitudini magnum detrimentum invexerunt; quippe nostrorum pars caesi, alii capti, pueri ac mulieres triginta intercluso spiritu, premente turba, desiderati. Arcem ipsam parvo, atque adeo nullo negotio Turcae capere potuerunt, quippe cujus fores multitudine introire conantium distinente patebant, nec erat praesidium, quod invadentes prohiberet. Sed accidit sorte quadam, ac potius ope divina, ut qui signum praeferebat Turca, duabus sagittis ex arce, quam perpauci avaritia praefecti custodiebant, ictus concideret, et item alter, qui signum ex concidentis manibus exceperat. Quo animadverso, Caramaminus arcem firmo praesidio teneri ratus, suos inde celeriter reducit, et omnes paulatim ad naves cum praeda et captivis sese recipere jussit; hoc quoque timore inductus, ne forte vicinis populis in auxilium laborantium accurrentibus, opprimerentur multitudine, et impedito receptu, a suis navibus intercluderentur. Itaque imposita praeda, quae praeter vestis ac supellectilis non magnum numerum captivorum omnis sexus et aetatis ad octoginta fuit, quinqueremem Alvari Bazani arcis praefecti incenderunt, et ad ipsas sinus fauces, si forte oppidani suos redimere vellent, constiterunt. Sed facta

et

et constituta quinque millium aureorum ducatorum aestimatione, cum pacta pecunia, quae non facile congeri potuit, moraretur, tertio die jam appetente nocte discesserunt.

XXI. Hujus Calpes expugnationis fama celeriter per omnem Hispaniam dissipata, mirum est quantus timor ac moeror cunctorum animos invaserit, ipso quoque Regio Consilio, et Regni procuratore Cardinale vehementer commotis. Nam qui a Calpe diffugerant, pro certis credita, et pro parvis maxima vicinis renuntiaverant: hi rumoribus, quae consentanea videbantur, affingentes, graviora etiam longinquioribus per nuntios et litteras deinceps tradebant; quorum summa erat, teneri Calpen a Charadino Barbaroxa cum multis Turcarum millibus, quos ducentis amplius navibus advexisset, missus a Solymano Turcarum Principe, ut Hispaniam bello tentaret. Amissa igitur Calpe, quae velut arx habetur Hispaniae Baeticae, rediisse tempora videbantur, cum Arabes Maurique hoc oppido ac monte potiti, Baeticam primum incursionibus infestare coeperunt; deinde maxima Barbarorum multitudine per occasionem ejus loci sine contentione traducta, et Roderico Rege praelio superato, reliquam Hispaniam invaserunt, et maximis calamitatibus illatis occuparunt. Quae mala ne ab eodem jam facto principio et jacto fundamento rursus evenirent, timendum esse vulgo jactabatur. Itaque ad primum nuntium, non exspectato Cardinalis, aut Consilii Regii decreto, maximus peditum equitumque numerus per omnem Baeticam a Magistratibus imperatur, ut primo quoque tempore exer-

citu coacto, ad Calpen recipiendam contenderetur, idemque proceres fere inter suos sponte sua faciunt, cunctorum scilicet animis ob creditae rei communisque periculi magnitudinem mirabiliter consentientibus.

XXII. Bernardinus Mendoza Hispanicae classis praefectus, qui et ipse initio falsis nuntiis fuerat conturbatus, de rebus omnibus numeroque hostilium navium certiora non procul a nova Carthagine cum cognovisset, haud sibi cunctandum esse statuit, quin cum Turcis, sicubi eos aequo loco nactus esset, praelio decerneret; nullaque mora interjecta, in oram Mauritaniae trajecit, Oranumque venit, et milites nostros praefectumque, qui huic oppido praesidio erant, de classe Turcarum certiores facit, tormentarioque pulvere, cujus inopia laborabant, tradito, ad solis occasum versus oram legendo progreditur. Ubi ventum est e regione Melillae, Christianae ditionis oppidi juxta promontorium olim Magnum, nunc *Entrefolcum* cognominatum, huc unum ex suis inquirendi gratia ad praefectum mittit; a quo certior factus est, Turcas ad Velezium Gomerae in ora Mauritaniae constitisse, cujus oppidi Regulo captivorum praedam eodem pretio, quod fuerat cum Calpensibus constitutum, vendidissent; triduum ad Magnum promontorium Bernardinus, si forte huc delatis Turcis pugnandi facultas daretur, consumsit. Tum Arboranam parvam insulam procedit, quae inde a septentrione millibus circiter viginti quatuor abest; nec amplius nocte una moratus, quarta vigilia in eam partem, qua hostes esse nuntiabantur, cursu directo contendit; sed paulum progresso, sub ortum

tum solis Turcarum classis sese ostendere coepit. Qua prospecta, Bernardinus converti protinus suas naves, citraque insulam reverti jubet, ne his propius visis deterrerentur hostes, utque per timoris nostrorum fugaeque speciem injectam (id quod accidit) allicerentur.

XXIII. Ad insulam reversus Bernardinus, suos ad pugnam cohortatur, injurias a Turcis illis praedonibus nuper Calpensibus illatas proponit, eamque contumeliam ad omnes Hispanos pertinere ac redundare docet, qui omnem spem et eas injurias persequendi, et cunctam Hispaniae oram maritimam a simili periculo magnoque timore liberandi, in ea classe ipsorumque virtute potissimum collocassent: quibus rebus excitatus, ac ope divina fretus, ipse depugnandi occasionem cupidissime captasset, et nunc oblatam esse magnopere laetaretur. Nam licet hostes numero navium aliquanto superiores essent, tamen magnitudine et robore, itemque hominum virtute ac telorum genere vinci: proinde omnes sese ad pugnam compararent, optima spe concepta Christi Dei opem Christianis non defuturam, sceleratorum injurias, qui vitae et libertati piorum noctes et dies insidientur, persequentibus et propulsantibus, ut de victoria non sit dubitandum, si fortiter agant, et insitam Hispanis virtutem praestent, et majorum gloriam aemulentur. Quo in praelio siquid humanitus eorum cuipiam accidisset, manere tamen sempiternam felicitatem, quod praemium certissimum Christianis omnibus propositum sit, qui pro religione vel republica strenue pugnantes occubuerint.

XXIV. Talibus verbis excitati milites alacresque,

se

se non solum armis, sed etiam vestimentis pro se quisque instruunt et ornant, ad certamenque comparant. Turcae statim nostrorum prospecta classe, num sibi ad pugnam esset procedendum, deliberare coeperunt. Alihamatus cum majoribus firmioribusque navibus, licet numero inferioribus, pugnandum esse non censebat. Caramaminus pugnandi cupidus, non tam navium magnitudinem spectandam esse, quam nauticorum militum numerum, contendebat, quibus parce instructas illas esse, ut nuntiatum fuerat, pro certo haberet. His ita dissentientibus, placuit, ut sortibus suo more, num praelium committi ex usu esset, consulerent, quibus sortibus cum esset declaratum, fas esse Turcas victoria potiri, et animadversum Christianas triremes conversas retrocedere, quod timorem ac fugam esse interpretabantur, abjecta omni cunctatione, magna fiducia magnoque studio ad insectandum hostes praelioque lacessendum acie instructa feruntur.

XXV. Turcis accedentibus, Bernardinus non amplius exspectandum ratus, ex insula suas naves educit, atque obviam hosti contendit, sic acie instructa, ut ipse sinistram, Antonius Mendoza sororis filius partem dextram obtineret. Ceterum paulo post Bernardinus animadvertens Turcarum praetoriam triremem, quae ex insigni facile dignoscebatur, medium locum tenere, cum qua sibi potissimum confligendum esse statuebat, ipse quoque locum mutavit, et in acie media suam praetoriam quadriremem collocavit. Ubi ventum est intra teli jactum, Turcis eminus tormentis rem gerere incipientibus, nostri, ut erat imperatum, magna celerita-

te

te magnoque impetu invehuntur; nulloque accepto detrimento, nemine praeter unum remigem Turcam desiderato, proxime cum accessissent, eodem fere temporis vestigio tormentis omnibus frequentissima tela, quorum ob propinquitatem nullum fere frustra cecidit, jaculantur; itaque multi hostium caesi, biremis una depressa. Tum cominus praelio commisso, navibusque collatis, et remis cohaerentibus, utrinque acerrime pugnatur. Constituerant Turcae nostrorum praetoriam navem maxime omnium circumvenire et oppugnare, hac debellata facilem de ceteris victoriam sibi fore existimantes. Itaque eamdem duae munitissimae triremes, praetoria, et qua vehebatur Caramaminus, adoriuntur. Cum triremibus igitur duabus res erat Bernardino. Sed his simul ex diverso pugnantibus et utrinque urgentibus obsistere cum difficillimum esse videretur, inita solerti ratione Bernardinus milites omnes in sinistram partem transire jubet, ut inclinata quadriremi ab altera parte tecti, cum una dumtaxat Caramamini triremi uno tempore dimicarent. Ita militibus omnibus eodem incumbentibus, brevi spatio hostium magna pars concisa et plerique vulnerati; tum, relicta prora, ad malum, deinde ad puppim sese recipere coacti. Sed Caramaminus e puppi erumpens, gravioribus verbis castigatos in suum quemque locum, ut dispositi ab initio fuerant, redire compulit; et ad *tabernaculum* dictum consistens, ad pugnam cohortari non desistebat.

XXVI. Hunc Bernardinus conspicatus, tela in eum maxime suos jubet conjicere; quod cum frustra cecidisset, sumta ipse a proximo jaculatore catapulta, sagit-

gitta illum in pectore configit. Accepto vulnere, Caramaminus consedit, manuque telum educere frustra tentavit. Deinde erectus innixusque tabernaculo, suos iterum ad pugnam cohortatur. Ceterum a scloppetariis appetitus, duobusque praeterea telis confossus, occiditur. Ita cum jam ea triremis debellata esse videretur, in dextram converti suos Bernardinus jubet, et praetoriam totis viribus oppugnare, in qua brevi spatio multi conciduntur, complures vulnerantur, et in his Alihamatus ipse; qui dum suos ad malum consistens cohortatur, sagitta transfixo brachio, ac rebus desperatis, in puppim primum, deinde ex hac elapsus, nando in proximam biremem, quae cum una nostrarum triremium paene victrix depugnabat, sese recepit. Sed hanc Henricus Henriques, qui biremem alteram debellaverat, invadens, devictam cum Alihamato cepit.

XXVII. Interea Bernardinus, directa sua navi, transcendere milites jubet triremes ambas: illi celeriter jussa faciunt, nec jam magna contentione utramque recipiunt. Primus omnium praetoriam Matthias Madritiensis miles transcendit; illam alteram Caramamini navem Alfonsus Benites praefectus unius triremis, a qua fuerat adjutus Bernardinus. Nam proximae quaeque opitulabantur inter se. His triremibus debellatis, tres hostium biremes et una triremis speculatoriumque navigium se fugae mandarunt. Ita tres omnino triremes, biremesque septem captae, una dumtaxat initio depressa, ex nostris nulla desiderata. Ceterum duae ex iis, quae licet imperio Bernardini summam tenentis parerent, aliis tamen a Carolo Caesare privatim fuerant attributae, ut

erant

erant praefectorum avaritia remigibus atque militibus parum instructae, cursum aliarum aequare nequeuntes, tardius ad pugnam pervenere, nec magno usui fuerunt. Ex hostibus in eo praelio, ceteris aut occisis, aut fuga subtractis, capti sunt quadringenti viginti septem, horumque ducenti sexaginta vulnerati, et in his Alihamatus, quem summam imperii tenere memoravimus, de quo non parva fuit inter Henricum et Bernardinum controversia. Nam ille captivum, quem ipse cepisset, ad se jure belli pertinere contendebat. Bernardinus eam rationem secutus, quod ipse prior Alihamatum superasset, et sua praetoria navi eam, quae Alihamatum vehebat, devicisset; sed maxime omnium, quod dux in praelio, a quocumque captus fuerit, in praedam victoris ducis jure gentium privatim cedere videretur, Alihamatum in praetoriam suamque potestatem traducendum putavit; quae rationes etiam apud Carolum Caesarem postea valuerunt, qui causa cognita, captivum Bernardino, penes quem erat, adjudicavit.

XXVIII. Sed non tam captorum hostium praeda grata fuit nostris Bernardinoque, quam Christianorum captivorum libertas; quippe octingenti triginta septem in libertatem vindicati sunt. Ex nostris centum triginta desiderati, et in his fortissimus quisque, in primisque tres praefecti triremium, virtute praestantes, Sanctius Susunaga Cantaber, Alfonsus Armenta Cordubensis; qui, cum una bireme debellata alteram aggrederetur, scloppeti glande confossus occubuit, ac Petrus Benites Calpensis, cujus pater et avus duoque fratres superioribus bellis cum Mauris fortiter pugnando conci-

derant. Ex eisdem nostris nongenti sauciati, Bernardinus ipse, scloppeti glande perforata galea, vulnus unum in capite parte sinistra secundum frontem accepit, alterum in latere, perfracta costa. Hoc praelio facto, ad Arboranam insulam Bernardinus propter sepulturam occisorum reversus, ibi ex Christianis ob noxiam aliquam remigio damnatis, quos instante praelio vinculis solverat, decem et septem libertate, quam iis, qui fortiter dimicassent, proposuerat, donavit; et captivis navibus, quatenus angustia temporis passa est, refectis, eodem die, qui fuit Kalendae Octobris, sub solis occasum inde profectus, postridie Motrillum ad oram Hispaniae, tertio die Malacam pervenit. Sed jam ad Carolum et res Germanicas se referat oratio.

XXIX. Ex Valentianis Carolus Caesar, cum se morbus, quo fuerat implicitus, remisisset, in Germaniam ire pergit Conventus peragendi gratia, quem Fernandus frater, Rex Romanorum, ipsius voluntate et hortatu in urbe Haganoa de rebus potissimum religionem attingentibus propter errores Lutheranos habere coeperat. Carolus enim saepe, tum per se, tum per Legatos a Clemente Septimo primum, deinde a Paulo Tertio Pontificibus Maximis contenderat, ut universale Concilium Ecclesiasticum cogerent ad haereticos Germanos convincendos; quod cum impetrare ab eis non posset, qui opibus magis et imperiis studebant, quam religioni; hac ratione, quam optimam et gravissimam et ex more majorum esse non ignorabat, propemodum desperata, conandum sibi statuit, si gratia et auctoritate, perque doctorum hominum amica colloquia posset tantis

tis malis latius in dies serpentibus aliqua ex parte mederi. Quae res ut gavius et majore cum auctoritate gereretur, cum Paulo Pontifice per legatos egit, ut viros aliquot graves et doctos hujus rei gratia cum potestate in Germaniam ad se mittere ne gravaretur; qui dum exspectantur, Fernandus Rex voluntate et hortatu Caroli fratris, viris doctis, qui gratia ac eruditionis opinione inter Lutheranos pollebant, totidemque Catholicis Theologis nominatim evocatis, negotium religionis Haganoae tractare coeperat. Sed cum esset de Joannis Hungariae Regis obitu nuntiatum, coactus est, omisso Conventu, Pannoniam proficisci, ut nova consilia de rebus Hungaricis iniret.

XXX. Igitur Fernando Rege Haganoa digresso, placuit Carolo Germanorumque Principibus, ut Conventus in Vangionum Vormatiam, quam urbem Rhenus alluit, transferretur, ibique de religione inter Theologos, qui undeni erant ex utraque parte huic muneri destinati, disceptaretur, si quid inter eos convenire posset, dum Carolus, Conventibus ad Galliam Belgicam peractis, in Germaniam transiret. Cujus rei gratia Nicolaus Perenotus Granvella, qui amico colloquio (nam sic congressum illum appellari volebant) pro Carolo praeesset, Vormatiam mittitur, cumque eo Theologi quatuor egregia doctrina, Petrus Ortizius, Petrus Maluenda, hic Lutetia, ille Roma per eos dies nominatim evocatus, et Alvarus Moscosus, qui Caesaris Aulam sequebatur, hi tres Hispani; et Joannes Corrubles Belga, ut his Granvella quasi consiliariis in negotio religionis uteretur. Nam licet undecim docti homines ex

Catholicis, totidem ex Lutheranis essent initio ad disputandum, ut demonstratum est, delecti, omnes tamen erant natione Germani, et quidam etiam ex undecim nostris suspecti fideique ancipitis habebantur.

XXXI. Cum Granvella Vormatiam septimo Kalendas Decembris pervenisset, jam eodem Feltrensis et Mutinensis Episcopi Nuntiorum nomine a Paulo Pontifice legati, cumque his quatuor Italici Theologi, itemque Regis Fernandi Legatus cum tribus Theologis convenerant. Sed post longam multorum dierum de ratione disserendi contentionem ac deliberationem, non permittentibus Germanis, ut quisquam extra suam nationem in viginti duobus disceptandi gratia congressuris esset, tandem mense Januario insequentis anni, qui
Ann. M.D.XLI. fuit a Christo nato millesimus quingentesimus quadragesimus primus, duobus theologis Joanni Eckio Catholico, et Philippo Melanchthoni Lutherano disputatio permissa. Qua cum triduum consumsissent, nihil tamen propemodum inter eos convenire potuit.

XXXII. Hoc cognito, Carolus, qui jam Spiram urbem processerat, et impeditus podagra substiterat, intermitti negotium jubet, ac Ratisbonam rejici, qui conveniendi locus Germanis dictus erat, quo ipse, morbo remittente, tamdem ad septimum Kalendas Martias pervenit, eodemque Principes Germaniae convenerunt Cardinalis Moguntinus, et Marchio Brandeburgensis ex Imperatoris Delectoribus. Praeterea Philippus Lantgravius Hessiae, Georgius Brandeburgensis Marchio, duo fratres Bavariae Duces, Guilielmus et Ludovicus, item Bronzvicensis Dux, et Pomeriae Comes, qui paulo post

post ibidem Ducis titulo magna caerimonia auctus est a Carolo Caesare, Bandiensisque Marchio, et alii quidam proceres. Nam ceteri Delectores ac Principes, quibus ipsis per impedimenta adesse non licuit, omnes fere suum quisque Legatum ad Concilium miserunt. Aderat etiam Gaspar Contarenus Ecclesiae Romanae Cardinalis, singulari vir doctrina atque morum sanctitate, a Paulo Pontifice Maximo legatus.

XXXIII. Convocatis principibus, Concilioque coacto, et re divina solemni et catholico ritu facta, Carolus duo potissimum retulit, quorum alterum ad religionis controversias tollendas, alterum ad bellum Turcicum a Germania Pannoniisque propulsandum pertinebat; sed primum diligentissimeque omnium religionis causam tractari voluit. Placuit igitur ternos deligi theologos, qui quam minima fieri posset contentione et pertinacia, sententiis atque consiliis communicatis, darent operam, ut inter Catholicos et *Protestantes* (sic enim Lutherani se vocari volebant) de religionis controversis dogmatis conveniret. Delecti sunt ex Catholicis Joannes Eckius, Joannes Gropperus, Julius Flugus. Ex Lutheranis Philippus Melanchthon, Joannes Bucerus, atque Pistorius; dati praeterea, qui horum disputationibus praeessent, Federicus Comes Palatinus, et Nicolaus Granvella, et item alii tres, qui nomine Imperii pro testibus adessent.

XXXIV. Quibus omnibus quotidiana consuetudine congredientibus, ac sex Theologis disceptantibus, tanta fuit Lutheranorum pertinacia, ut nulla in parte potuerint ad sanitatem plane revocari; quod nec praeter mo-

morem haereticorum accidit, qui solent, ut ambitioni rebusque novis studere, sic contentionis esse quam veritatis cupidiores, nec praeter doctorum et antiquitatis peritorum hominum opinionem, qui desperata haereticorum sanitate, publicam religionis causam paucorum disputatione tractari, et haereticos ac turbulentos homines contra omnia vetustatis exempla de sententiis, veterum Sanctorum Patrum Conciliorumque judicio et auctoritate damnatis, velut re integra disserentes audiri dolebant: quam plagam ignominiae cum magno religionis detrimento accipere Paulus Pontifex, quam Ecclesiasticum Concilium generale serio convocare malebat; de quo in publica Christianorum pace magnum erat ejus silentium, cum bellum et necessaria impedimenta redierant, protinus dimissis quoquoversus litteris, edictum Concilii diligenter renovabat, dum oblitus officii sui, non tam religioni consuleret, quam imperio et opibus studeret, quibus ne per Concilium modus imponeretur metuebat; hoc quoque, ut opinor, timore deterrente, ne ratio severius ab ipso per Concilium reposceretur, cur pleraque sua facta et consilia non tam ad virtutem et religionem, quam ad Astrologorum monita dirigeret; quod longe abhorret a Christiana pietate, ne dum ab ejus officio, qui vice Christi interpretandae ac moderandae religioni praeesset.

XXXV. Talibus disputationibus ad mensem usque Julium protractis, cum nihil inter disceptantes conveniret, totum religionis negotium ad Concilium universale rejicitur, quod ut primo quoque tempore cogeretur, daturum sese operam, quam maxime posset, Caro-

rolus recepit. Ceterum de bello Turcico constitutum est, ut Rex Fernandus, qui, exercitu in Hungariam Budae recipiendae gratia misso, ad Ratisbonense Concilium reverterat, peditum decem, equitum duobus millibus ad bellum cum Hungaris, qui a conventis et fide data desciverant, et Turcis auxiliaribus gerendum a Germanis hoc anno juvaretur, duobus vero consequentibus, si opus esset, ad Turcas ex Germania et Pannoniis submovendos, copiarum numerus duplicaretur; atque his rebus constitutis, conventus dimittitur.

XXXVI. Accidit his temporibus in Germania res memoratu digna, ideoque nobis silentio non praetereunda. Joannes Diazius, natione Hispanus, patria Conchensis, cum diu Lutetiae Parisiorum ad Sorbonam Theologiae operam dedisset, commercio et lectione librorum haereticorum animique levitate abstractus, novis rebus studere et Lutheranos errores asserere coepit. Hoc ut liberius tutiusque, et cum hominum eodem morbo laborantium applausu faceret, in Germaniam proficiscitur, et Argentinam ad Bucerum impietatis Lutheranae notum et insignem magistrum pervenit, a quo magna cum laetitia exceptus est collaudatusque et in pretio habitus. Etenim Bucerus hominis Hispani et docti testimonium ad dubios in errore Germanos impellendos multum ponderis habiturum intelligebat. Itaque Diazium laudare et suis ostentare non desistebat: cumque Ratisbonam legatus a civitate colloquii, de quo supra mentionem fecimus, causa publice mitteretur, a Senatu, ut Diazius Hispanus injuncti muneris socius et administer sibi daretur, impetravit. Cum Ratisbonam ve-

venissent, ubi complures Hispani ex familia Caroli Caesaris morabantur, Diazius nec crimen occultans nec infamiam verens, inter ipsos versabatur. Quin etiam Hispanis miseram caecitatem tetramque perfidiam et toti nationi probrosam objicientibus, sibi vero, respondebat, miserabiliorem ipsorum Hispanorum conditionem, et eos magis caecos videri, qui ad lucem apertam caligarent.

XXXVII. Erat eodem tempore Romae Alfonsus Diazius, Joannis hujus frater germanus, juris peritus, vir probus et bonae famae cupidus. Is ubi de fratris impio furore, qui per ignominiosam perfidiam a Catholica fide et vera pietate defecisset, multorum voce et litteris factum detestantium cognovit, dolorem ex tanta fratris calamitate, et ignominiam ad se quoque et totam familiam pertinentem non ferebat. Itaque, ut tantis malis occurreret, et fraternae invidiae et communi infamiae, quacumque ratione posset, mederetur, in Germaniam ad fratrem proficiscitur, quem ad Nuburgum offendit, oppidum in ripa Danubii supra Ratisbonam; huc enim a Bucero missus venerat, ut excusionem cujusdam libri ejus dirigeret. Cum se fratres mutuo complexu salutavissent, Alfonsus, accusata fortunae iniquitate, quae Joannem fratrem post tot annos in litterarum Theologiaeque studio consumtos, eo caecitatis et calamitatis dejecisset, ipsum multis lacrymis et fraternis precibus orat, ne se foedissimo impioque flagitio perditum ire pergat, neve per summum dedecus properet ad immortale supplicium, sibique et toti familiae eam notam inurat, quae infamiam pariat et

ig-

ignominiam sempiternam. Sed Joannes Diazius, ut erat studio rerum novarum excaecatus, et frontem perfricuerat, qua protervitate et impudentia ceteros Hispanos, eadem fratrem refellebat. Alfonsus hoc animadverso, et fratris sanitate desperata, arte pugnare constituit, et repetita de religionis dogmatis disputatione simulat se victum, nec posse objectis rationibus resistere. Itaque dat manus, et novam doctrinam miris laudibus effert. „Sed quoniam, inquit, tuam mentem Deus „excussis tenebris mirabiliter illustravit, tuum erit dare „operam, auctore Paulo, ut gratia Dei in te vacua „non sit, non segniter agere, nec in Germania, quae „multos habet hujus disciplinae magistros, torpere, sed „ad alias regiones Italiamque migrare, ubi prudenter „latenterque piis dogmatis pro Christiana caritate se„rendis viam errantibus monstres, et homines ex ob„scura caligine te auctore puram lucem aspicere inci„piant in Christiana religione.“

XXXVIII. His talibusque verbis et monitis Alfonsus fratrem in suam sententiam perduxerat, utque se Romam redeuntem sequeretur, persuaserat. Ceterum amici Germani, de novo consilio facti a Joanne Diazio certiores, sed princeps Bucerus, accurrunt, et Joannem monent obtestanturque, caveat etiam atque etiam, ne fratris fallaci oratione capiatur; temerarium esse consilium plenumque periculi, siquis ex tuto portu in foedam tempestatem se volens conjiciat; Alfonsum fratrem hoc perspicue moliri, ut ipsum ex Germania, ubi tutissime purae religioni serviat, in Italiam Romamque deducat, ubi obmutescere et commentis Pontificiis con-

cedere necesse sit, aut mortem cum cruciatu subire. His dehortationibus Joannes deterritus, consilium mutat, fratremque vetat secum amplius de discessu ex Germania nequidquam agere. Tunc vero Alfonsus tantis malis occurrendi ceteras vias interclusas esse animadvertens, fratris occidendi consilium capit, ut uno crimine, quando aliter non posset, multis et majoribus sceleribus ad religionis damnum, et familiae suae atque adeo patriae et totius Hispaniae infamiam pertinentibus occurreret; ad summam, ut atrocem injuriam, cui honestam mortem praeferendam putabat, a se totaque familia ipsaque patria repelleret, tot malorum auctore, qui, ut hostis patriae ac religionis, divino et humano jure damnatus esset, de medio vel cum suo magno periculo sublato, ceteris omnibus rationibus frustra tentatis. Itaque dolorem dissimulans, blandis verbis fratrem discessurus alloquitur, quando consilium in Italiam secum contendendi minus probaret, faceret sane quod luberet; se nihil impedire, quominus ipse suo et prudentium amicorum judicio vitae rationem moderaretur; illud hortari, ut in suscepto consilio persistens, caveat ab Hispanis, ne quid incommodi ex ipsorum vel manibus, vel sermone capiat, deque suis rebus Romam frequentes ad se litteras mittat.


XXXIX. Haec effatus aureos nummos quatuordecim ad inopiam sublevandam tribuit; discedensque Augustam, quae inde unius diei itinere aberat, cum venisset, consilium cum ministro satellite communicavit, et quid fieri vellet, ostendit. Tum tribus conductis equis, Nuburgum itinere nocturno revertit, et paulo an-

ante lucem equis extra oppidum cum duce itineris relictis, ipse cum eodem ministro in fratris diversorium procedit. Minister ostium pulsat, seque litteras Joanni Diazio a fratre referre dicit. Reseratis foribus, scalas subit, Alfonso ad infimos gradus subsistente, rectaque in cubiculum contendens, occurrit in coenaculo properanti Joanni Diazio, qui sumta diploide cubitu surrexerat, litterasque tradit; quas ille acceptas cum legere coepisset, jam enim illucescebat, minister expedita securicula, quam veste occultaverat, ei plagam mortiferam infligit, disjectoque capite prosternit, seque ad Alfonsum rei eventum exspectantem recipit. Tum ambo sese celeriter proripiunt, plenoque gradu ad equos cum revertissent; iis conscensis, et paulo post ad celeritatem mutatis, Augustam veniunt, atque inde se in viam dant, quae recta per Oenspruchum in Italiam ducit.

XL. Ceterum de Joannis Diazii caede, quae celeriter per oppidum evulgata est, amici ejus cum cognovissent, quidam ex Ottonis Henrici Palatini Principis aula, in cujus ditione Nuburgum erat, injurias amici persequi constituunt, cujus testimonio se in suis erroribus et impietate jactabant. Igitur ipsi quoque per dispositos equos Oenspruchum contendunt, et magna usi diligentia et celeritate, Hispanos antevertunt; qui Hispani, eisdem Germanis deferentibus et accusantibus, ad Oenspruchum capti sunt, et custodiae dati. Nec tamen Alfonsus sibi in ea rerum iniquitate defuit, qui de fratris parricidio postulatus, crimen alienum in se, cui caedes fraterna, ut ferret natura, maximo dolori esset, falso conferri intrepidus respondit; dataque fa-

cultate, ad amicos, qui Caesaris aulam sequebantur, litteras mittit, utque suam insontis causam susciperent, comprecatur. Illi, ad quos jam de patrata nece nuntius nulli nostrorum ingratus pervenerat, Carolum Caesarem de rebus omnibus certiorem faciunt.

XLI. Carolus evestigio litteras Oenspruchum ad Magistratus mittit, ut nihil temere aut properanter agerent, sed lento judicio causam cognoscerent, eaque cognita, nihil statuerent, sed quod esset compertum, ad se et fratrem Regem, in cujus ditione res agebatur, referrent. Nec uni epistolae satis fidens, alteris litteris, idem ut fieret, diligenter mandavit, sic ut facile voluntas ejus appareret de Alfonso, cujus animum factumque probabat, servando. Ita factum est Aulicorum et Catholicorum diligentia et Caroli Caesaris humanitate, ut causae cognitio differretur primum, deinde cum de Alfonsi clericatu probatum fuisset, Tridentum ad Episcopum rejiceretur, et haec omnia studium et conatum Lutheranorum frustrarentur. A Tridento enim Alfonsus Diazius cum ministro Romam incolumis pervenit, unde in Hispaniam aliquot post annos reversus, exquirenti mihi rem gestam, gravate primum, deinde non invitus ordine plenius etiam quam ab aliis acceperam, Valdoliti memoravit.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER VIGESIMUS.

I. INTEREA Carolus, dum reditum parat in Hispaniam, Argeliam oppidum in ora Mauritaniae Caesariensis ex itinere oppugnare constituit, propterea quod Hispaniae multum immineret, et caput esset Regni Charadini Barbaroxae, Turcarumque praedonum mare Ibericum infestantium receptaculum. Itaque necessaria huic bello comparare coepit, litterisque in Hispaniam missis, Pontificem Toletanum Castellam, ut docuimus, procurantem, certiorem facit, ut equites cataphracti, qui erant in Regni praesidiis, novam Carthaginem convenirent, eoque naves ad trajiciendum, et commeatus tormentaque et cetera belli instrumenta transportanda contraherentur; cui manui totique Hispanicae classi Fernandum Toletum Albanum Ducem praeesse jussit; sed cogendarum navium et ceterarum rerum comparandarum negotium Ludovico Mendozae Mondejarae Marchioni datum, qui custodis loco Granatense Regnum obtinebat, ut siquid belli ab exteris hostibus mari advectis, aut tumultus a Christianis novitiis Arabum Maurorumque reliquiis exsisteret, oram maritimam coacta ma-

manu tueretur, ac genus illud hominum, quae maxima erat et nostris suspecta multitudo, compesceret, ac in officio contineret.

II. In Italia quoque Principi Melphorum Andreae Doriae mittit, ut classem suarum longarum navium paratam haberet, et onerarias in portubus retinendas, et cetera ad militem transportandum utilia comparanda curaret. Ingrata fuit Doriae ea belli denuntiatio, qui sibi Genuaeque patriae, tum a Turcarum classe, quae magno navium militumque numero apparari falso fuerat nuntiata, tum a Rege Gallorum metuebat, cujus infirmitas post Caesaris Fraegosi et Antonii Rinconis necem, de qua suo loco memorabimus, suspectior erat; itaque omnia sua consilia in Liguriam patriamque tutandam intendebat. Cum igitur Carolum Caesarem in eamdem potissimum curam a ceteris cogitationibus traducere sibi conandum statuisset, se vero, respondit, censere et auctorem esse Carolo, ut defensionem Italiae, cui tum a Gallis, tum a Turcis periculum intenderetur, cunctis rationibus anteferret, ne praepostera cura, dum novis studet, vetera Imperia in eorum magno discrimine negligere ac deserere videretur.

III. Hoc responso Carolus indignatus, nuntium litterasque ad Doriam remittit: „Nullius sese de rebus „jam deliberatis et constitutis consilium exspectare, nec „sibi placere, ut res jam inceptae novis alienisque ra„tionibus impediantur. Italiae salutem et tranquillita„tem, siquid opus esset, sibi curae etiam atque etiam „fore; sed id bellum, quod animo jam pridem agi„taret ac deliberatum haberet, nulla re velle vel differ-

„ri,

„ri, vel impediri. Proinde jubere, ut ceteris rebus o-
„mnibus posthabitis, totus in hujus belli apparatum
„insisteret." At Doria, apud quem patriae rerumque suarum ratio, et hostilis timor plus quam jussa Caroli valebant, rem tam negligenter administravit, dum vellet Carolum ad Germaniam et Italiam totam aestatem consumere, ut ejus profectionem plus quam mensem moraretur.

IV. Carolus Germanorum sex millibus ac fere totidem Italicorum per conquisitores confectis, hos ad portus Liguriae convenire jussit, et Hispanorum veteranas cohortes, quae manus fuit septem millium, ex Regni Neapolitani Siciliaeque praesidiis deduci, et ad navigandum paratas esse per litteras imperavit; ipse Ratisbona quarto Kalendas Augusti proficiscitur, et Menicham Bavariae ditionis oppidum, Ducibus ipsis prosequentibus, progressus, biduo ibi venatione, cujus est magna occasio, consumto, remanentibus Ducibus Oenspruchum procedit. Hoc oppido Fernandi Regis, qui ad Ratisbonam remanserat, septem liberi ex undecim tribus maribus, et octo feminis continebantur, quatuor enim cum Anna matre aberant. Oenspruchо igitur appropinquanti Carolo duo fratres maximus natu secundusque obviam ad tria millia prodierunt, aulam subeuntem sorores quinque progressae ad genuaque obvolutae supplicibus verbis salutarunt, et lacrymantes eidem patrem Regem scelere perfidorum hominum laborantem piis precibus commendarunt: hic cum dies quinque fraternis liberis paternam indulgentiam tribuisset, digreditur.

V. Tridentum progressus obviam habuit Octavium Far-

Farnesium Camerini Ducem generum suum cum trecentorum equitum comitatu ; paulo post Vasti Marchionem cum paucis scloppetariis , quingentis equitibus ex intervallo subsequentibus ; deinde Venetorum Legatos: Dux quoque Ferrariae non longe Piscaria factus est venienti obviam; Dux Mantuanus puer cum Hercule Gonzaga Cardinale non longe a Mantua. Mediolanum autem accedenti populus frequentissimus cum solemni et ingenti gratulatione obviam processit. Hic paucos dies commoratus , per Papiam et Alexandriam tertio Nonas Septembris Genuam pervenit, rebus ad navigandum et militem trajiciendum Andreae Doriae negligentia et culpa nondum comparatis.

VI. Jam Paulus Pontifex Roma Carolum conveniendi causa profectus, cum magno Cardinalium Episcoporumque comitatu Lucam pervenerat, cujus salutandi colloquendique gratia Carolus conscensis longis navibus profectus, ad Veneris Portum obvios habuit Garciam Toletum et Antonium Doriam triremium Praefectos cum longis navibus tredecim, quibus accedentibus, facta est triginta octo triremium classis, quae Imperatoriam quadriremem sequerentur. Ad Viaregium vicum arce munitum appulsa classe, Carolus in terram descendit, duodecim circiter millia passuum ab urbe Luca; huc appropinquantem Cardinalium et Episcoporum Italicorumque procerum ac civium Lucensium magnus numerus excepit, obviam solemni ritu progressi; quibus deducentibus, ad sacrarum maximam aedem contendit, ac Deum veneratus, Paulum cum Pontificia majestate adventum ejus exspectantem ex more supplex salutavit; a quo vicis-

cissim perhumaniter excitatus ac resalutatus est ; qui cum assedissent, ac parumper amicissime fuissent collocuti, Paulus cum paucis in Pontificias et fano illi contiguas aedes, Carolus in Praetorias maxima frequentia stipatus diverterunt.

VII. Septem diebus ad Lucam commoratus Carolus, nullum intermisit, quin ad Pontificem de rebus communibus et ad publicam Christianorum salutem et quietem et Ecclesiasticum Concilium pertinentibus colloquendi gratia ventitaret, uno dumtaxat excepto, quo Pontifex ad Carolum venit. Haec dum Lucae geruntur, et Carolus a Pontifice, ut Regem Romanorum sex millibus Italicorum ad Budam recipiendam juvaret, impetrasset, nuntiatum est Germanorum exercitum ab eodem Rege missum, dum Budam obsideret ac oppugnaret, quae magno Turcarum a Solymano summisso praesidio custodiebatur, hostibus erumpentibus fuisse repulsum, et bona parte suorum amissa, domum redire.

VIII. Ex Luca profectus Carolus, pedibusque in Portum Lunae et oppidum Spediam dictum reversus, Germanorum manum recensuit ; et his in decem et octo naves onerarias impositis ac solvere jussis, ipse cum longis navibus viginti quinque postridie, qui fuit ad diem quartum Kalendarum Octobris, cum jam advesperasceret, proficiscitur, quo tempore Italici Hispanique milites, qui ad reliquos Italiae Siciliaeque portus exspectabant, naves, ut erat imperatum, solverunt, cursum in Baleares majores dirigentes ; hic enim conveniendi locus dictus erat omnibus, tum ex Italia Siciliaque, tum ex Hispania navigaturis. Postridie cum in

Corsicae conspectum processisset, magna tempestate cum ingenti fragore coeli post solis occasum oborta, graviter et periculose classis ad mediam usque noctem jactata atque disjecta est, et naves partim in Gorgonis insulam, partim in Corsicae diversa loca delatae. Carolus ipse cum paucis longis navibus ad Sacrum ejusdem insulae Promontorium, *Corsum* vulgo dictum, cum jam illuxisset, locum a saevientibus ventis nonnihil tegentem capere potuit.

IX. Huc, facta ex montis cacumine nocturnis ignibus significatione, cum dispersae naves convenissent, et quatuor Divi Joannis equitum triremes, quae classem subsequebantur, pervenissent, biduo ibi consumto progreditur, ac littora legendo in Portum Bonifacii, quod oppidum a Sacro Promontorio nonaginta circiter passuum millibus abest, satis incommoda navigatione usus pervenit; ac tribus diebus quieti datis, navigatione circa meridiem repetita, ususque idonea tempestate, quarta vigilia noctis insequentis Sardiniam attigit, et *Portum Comitis* cognominatum intravit, classeque reliqua praeter naves quinque Algueriam Barcinonensium (ut traditur, et lingua institutaque indicant) coloniam passuum circiter decem millia praemissa, in terram ipse descendit, et bonam diei partem venatione consumsit; tum Algueriam progressus, per ligneum pontem a continente ad naves honoris causa ab oppidanis productum in terram egreditur, ac populo, qui frequens obviam processerat, deducente, oppidum intravit, cum magna ipsorum gratulatione, qui cibaria recentia magno numero, gallinas, boves, arietes, alias-

que

que pecudes, quarum, sed minutarum, feracissima Sardinia est, cerearumque facium et candelarum magnam vim, itemque duos optimos equos Carolo muneri miserunt.

X. Hic Garcias Toletus cum Neapolitanis longis navibus, cumque suis Antonius Doria, qui propter animum, quem ab Andrea gerebat alienum, ab eo digressus, eumdem Garciam voluntate Caroli sequebatur, classem Imperatoriam sunt consecuti; quae tertio die mane ex Sardinia profecta, primum remissioribus flatibus, deinde in adversos nitendo, ducenta circiter quinquaginta millia passuum emensa, minores Baleares aegre attigit sequentis noctis tertia vigilia, ac idoneo loco, dum remiges defessi vires reciperent, ad ortum solis in anchoris exspectavit: hinc in Magonis Portum capacissimum, qui aberat decem circiter millia passuum, processit, fuitque a Magonensibus libenti animo, sed re tenui muneratus propter inopiam et acceptam non pridem calamitatem, cum id oppidum fuit, ut supra memoravimus, a Charadino Barbaroxa direptum, et plerique oppidani in servitutem abstracti. Noctis insequentis extrema secunda vigilia ex Magone solvit, ac postridie occidente sole in majores Baleares, quo jam naves omnes, quae milites ex Italia et Sicilia sustulerant, compulsae fuerant, pervenit; et ad portum cognomento *Petrum* tantisper moratus, dum milites antegressi, qui Majoricam urbem repleverant, ad naves, ut imperaverat, reverterentur, eamdem urbem tertio Idus Octobris intravit, quem populares obviam effusi, similibus Sardorum gratulatione, officio et mu-

 ne-

neribus studiose sunt prosecuti.

XI. Interea Dux Albanus cum navibus onerariis, quae quingentos equites fabrosque cum administris ad octingentis, et commeatus ac tormenta ceterumque belli apparatum sustulerant, Kalendis Octobris ex nova Carthagine profectus, in Colubrariam, deinde in Ebusum advehitur, Balearici maris insulas (*Formenteram* et *Ibizam* nunc appellant) et cum eo proceres Hispani nonnulli, qui voluntarii et invocati ad hoc bellum concurrerunt. Hi autem fuere Gonsalus Fernandus Corduba Gonsali Magni nepos, Suessanus Dux idemque Cabrensis Comes, et hujus gentilis atque propinquus Petrus Fernandes Corduba, Feriae Comes et Marchio Priegensis, cum duobus fratribus Gomezio et Alfonso, itemque Francisco Fernando consanguineo, qui Guadalcazari imperitabat. Praeterea Ludovicus Leiva Asculi Princeps, Claudius Quignonius, Petrus Veles Guevara, Petrus Bovadilla; Lunae, Ognatae, et Chinchonis Comites; Fernandus Castrus Lemi futurus Comes, Franciscus Cueva Cuellaris Marchio, Fernandus Cortesius Marchio Vallis, quae regio est in Orbe novo nuper a nostris non modo reperto, sed etiam hoc duce magna ex parte in ditionem redacto; Petrus Cueva Religiosorum equitum Alcantarae Praefectus, Federicus Toletus Claviger Alcantarae, quod est officii nomen in eadem Equestri religione; et alii praeterea sine titulo viri nobilissimi, ac in his Joannes Vega Grajalis Princeps, et Ludovicus Sotomayor filius Comitis Belalcazaris; quorum ille, cum reditum est in Hispaniam, Navarrae pro Rege praefectus fuit, Ludovicus patrem et alios

quos-

quosdam suorum majorum imitatus, se Franciscanae religioni mancipavit.

XII. Dum ad Ebusum insulam cum ea classe Dux Albanus adversis flatibus detinetur, Bernardinus Mendoza, ut esset navibus onerariis praesidio, quemadmodum a Carolo per litteras fuerat imperatum, classem huc compulit sexdecim longarum navium, expositis obiter ad majores Baleares, qua fuerat praetervectus, Fernando Cardona Neapolitanorum Almiranto, et Martino Alfonso Corduba Alcaudeti, ac Joanne Moncada Aitonae Comitibus; Joannes quoque Borgia Gandiae Ducis nothus filius, et alii nobiles adolescentes, qui ex Valentia et Catalonia triremes conscenderant, ut Carolum ibidem opperirentur, in terram descenderunt. Cum Bernardinus ad Ducem Albanum pervenisset, triremem in Baleares mittere placet, quae Carolo, si forte appulisset, de Hispana classe nuntiaret; sed cum jam diebus compluribus elapsis nihil a Carolo, ad quem missa triremis sero pervenit, renuntiaretur, tempestatem subidoneam nacti, ex Ebuso solvunt. Ceterum vix dum millia viginti progressis obviae fuerunt quinque triremes, quae instrumentum Imperatorium in novam Carthaginem portabant. Ab his redditae sunt litterae a Carolo, ut, si non possent in Baleares procedere, Argeliam cursum dirigerent, quo ipse jam proficisci hoc animo pararet, ut, etiamsi classis Hispana in tempore non pervenisset, tamen vel cum copiis, quas secum adveheret, primo quoque tempore Argeliam oppugnaret.

XIII. Igitur eo die ad extremam primam vigiliam ea-

eadem usi tempestate, Baleares versus cum navigassent, commutato vento, Argeliamque cursu deflexo, tertio die in ejus conspectum pervenerunt, ac vesperi Bernardinus cum longis navibus, quae ceteram classem anteibant, Africam terram attigit; jactisque anchoris ad saxa, quas ex similitudine et numero *Duas Sorores* nautarum vulgus appellat, passuum ab Argelia duobus circiter millibus consistit. Naves enim onerariae vento cadente ante substiterant, quas defluxus maris insequenti nocte tam longe compulit in occasum, ut eo redire ante diem tertium non possent, praeter paucas, quae cum praetoria ad Caxinas (hic autem est maris secessus parvus quindecim ab Argelia passuum millibus ad occasum) delatae sunt. Bernardinus quoque postridie suas naves ad Caxinas compulit, unde eodem die mane classis Imperatoria conspecta: Carolus enim, cetera classe nocte superiore praemissa, ipse paulo ante meridiem cum longis navibus ad quintum decimum Kalendarum Novembris ex Balearibus discessit, et postero die ad Caprariam insulam quadraginta circiter millia passuum emensus, in anchoris moratus, tertio mane in Argeliae conspectum pervenit, cui Bernardinus obviam ad *Duas Sorores* processit; et cum invicem classes per editos utrinque ex tormentis bombos solemni ritu salutassent, Bernardinus, et qui cum eo veniebant proceres, scaphis in navem Imperatoriam advecti, Carolum suppliciter regio more salutaverunt.

XIV. Carolus, jusso Bernardino ad Caxinas redire, ut navibus onerariis, quae in eam partem dejectae forent, subsidio esset, et remulco, si res posceret, deducen-

cendas curaret, ipse, ut longae naves Imperatoriam assectantes onerariis ceteris ab ortu venientibus idem officium praestarent, duodecim circiter millibus ab Argelia promontorio successit, quod *Metafusum* appellant. Tertio die quam Carolus appulerat, naves fere Italicae ad ipsum convenerunt, tum loco subidoneo ab Argelia pasuum octo millibus milites ante meridiem, Hispani primum, deinde ceteri descenderunt, quos longae naves et scaphae ex onerariis exceptos in terram deferebant; equi perpauci expositi; cibariorum et tormentorum nonnihil; copias Carolus acie instructa propius Argeliam duobus passuum millibus deduxit, et castra ad fontem large manantem collisque radices posuit, qui collis falcati littoris aemulus cum eo diu pari propemodum intervallo relicto a proximo promontorio Argeliam usque decurrit.

XV. Hoc die multi Nomades diversis locis sese ostenderunt, qui catapultis et scloppetis agmen nostrorum, quidam etiam obequitantes lacessebant, vicissimque a nostris jaculatoribus, et ex longis navibus, quae littus legebant, tormentorum telis repellebantur; sed et equites nonnulli ex Argelia eruptionem fecerunt; quorum unus Hispani generis perfuga inter leve certamen citato equo ad nostros transivit. Ex hoc Carolus de praesidio Argeliae, quod mille Turcarum et Maurorum quatuor millium erat, et apparatu munitionibusque cognovit. Eodem die Albanus Suessanusque Duces, et alii fere proceres ex Hispania advecti, in terram egressi sunt, et Carolum secuti; nam bona pars ad Ebusum insulam, relictis onerariis, in longas naves transie-

ierant ; Albanus autem a praetoria , quae ex onerariis erat , pro suo officio non discesserat , qui famae magis quam salutis memor , dum turpe ducit a Carolo et oppugnatione , si forte instituta fuisset , abesse , navis ejusdem magistro , cum alias ab Argeliae regione propelli animadverteret , imperavit , daret operam , quacumque vel ancipite ratione posset , ne longius ab Argeliae conspectu dejiceretur . Itaque singulari gubernatoris et nautarum studio tum in ventum , tum in maris defluxum per velorum artificium nitendo , factum est , ut diu circa terram Argeliamque non sine magno periculo jactando vagaretur , donec paulatim ad Caxinas compulsa est , unde Dux idem : et ceteri qui aderant proceres , triremibus e regione agminis eodem , quo fuerat expositum , die provecti , ad Carolum pervenerunt .

XVI. Insequenti nocte Nomades , occupato colle , de quo diximus , qua parte castris imminebat , de tertia vigilia cum maximo , ut mos eorum est , clamore et ululatu telis nostros incessere coeperunt , nec ante lucem castra solicitare destiterunt , et nonnullos vulnerarunt , quibusdam nostrorum , qui ob magnas noctis tenebras (erat enim lunae quintus dies) sese castris continebant , scloppetis passim ac temere repugnantibus . Ubi autem illuxit , immissa cum signo militari scloppetariorum Hispani generis cohorte , in fugam facile vertuntur ; tum , castris prope Argeliam motis , sic agmen consedit : Hispani imminentem urbi collem occupaverunt ; Itali ad mare viam latam obsederunt ; Germani paulo citra ad sinistram ; cumque his proceres et aulica manus constiterunt . Jam naves fere omnes utriusque clas-

classis in Argeliae castrorumque conspectum et circum ea loca convenerant: sed occidente sole septentrio ventus, qui pluvius esse in illis regionibus, magnosque fluctus ad littora volvere, ut auster in nostris, solet, leviter afflare coepit, ac coelum nubibus obducere, et cum imbre paulatim invalescere, ac mare fluctibus exagitare; sic, ut in classe juxta castrisque venti ac imbris injuria laboraretur. Quod animadvertentes hostes, et nostrorum calamitatem suam esse occasionem rati, duabus portis albente coelo magno cum impetu eruptionem faciunt; sed qua parte in Hispanos, qui collem tenebant, invecti sunt, facile repelluntur; qua Italos invaserunt, iis, qui in statione erant, repulsis, ad confertissimam usque eorumdem legionem et media castra proruperunt, quae, vitio temporum corrupta disciplina militari, nusquam nec fossa, nec vallo munita erant. Hinc vero redintegrata pugna, in oppidum rejiciuntur; sed cum muris successum esset, rursus conversi hostes urgentes Italos represserunt, ac paene gradum referre coëgerunt, donec Germanis subsidio missis, quos bona pars aulicorum cum Duce Albano, et ex Divi Joannis religione ad sexaginta praeibant, hostes in oppidum compulsi, ex quibus Sancti Joannis equitibus nonnulli concidere, et in his Jacobus Osorius Salmanticensis, nobilis magnoque animo adolescens, ad ipsam portam fortiter depugnans occubuit; quae pugna hoc fuit cum utriusque partis minore detrimento facta, quod imber noctem diemque continuatus, tum scloppeta, tum etiam tormenta majora inutilia fecerat ad pugnam, tormentario pulvere madefacto.

XVII. Copiis in castra reductis, per totum fere diem miserabili spectaculo fuerunt naves, quae tempestate victae ad terram allidebantur, et vectores ac nautae, qui partim fluctibus obruti, partim a Nomadibus equitibus, qui occasionem observantes littus obsidebant, confossi, nullo ex castris auxilio submisso, peribant. Quae res, sive consilium id fuit, sive mittendi difficultas, multis navibus hominibusque salutem attulit. Nam certo periculo, si ad terram deferrentur, perculsi multi, gravioribus ac minus necessariis rebus sublevandi gratia jactatis, et navium quarumdam succisis malis, anchorarum beneficio servati sunt, qui sese ventis ac fortunae, siqua inde spes affulsisset, cum certo navium et ancipiti hominum discrimine commisissent, ut quidam rei nauticae gubernandique parum periti, tempestatis saevitiam sustineri posse desperantes, initio fecerunt: itaque partim temeritate et errore, partim anchoris pertractis, aut funibus anchorariis abruptis, multae naves multique mortales perierunt. Nam minora navigia fere omnia et mediocria nonnulla tempestati cesserunt, ex majoribus paucae, ex longis navibus quatuordecim, fere omnes Italicae classis, desideratae: Hispanicas enim duodecim pridie Bernardinus ad Caxinas tutioremque locum reduxerat. Sed nocte, quae hunc diem navibus omnibus longe gravissimum secuta est, ventorum ac fluctuum saevitia se paulatim remittente, postridie naves longae, sublatis anchoris ad terram, unde tempestate appetente in altum recesserant, prope castra accedere coeperunt; sed praetoria, in qua se Andreas continebat, tormenti telo ex Argelia percus-

cussa, in locum commodiorem extra tormenti jactum sese receperat, onerariis in eodem loco, quem ceperant, necessario remanentibus.

XVIII. Hac suorum calamitate moestissimus Carolus, et magnis difficultatibus affectus, cum jam id, quod fuerat cibariorum expositum, exercitus consumsisset, et amplius exponendi summa esset difficultas, castra movere constituit, et copias eodem die ad flumen Haraxam quinque circiter ab Argelia millibus deduxit, ubi postridie summa ope conantibus, nulla ratio iniri potuit commeatus exponendi propter loci stationem incommodam, et magnos, qui ad littora volvebantur, fluctus. Itaque necessario ad proximum usque promontorium, quo se naves longae receperant, non sine magnis difficultatibus processum est propter intercedentia tria flumina, et crebras Nomadum obequitantium incursiones ac cibariorum inopiam; quatuor enim dies in itinere omni fere commeatu caruit exercitus, praeter carnes equinas et humilium palmarum radices teneriores, quos *palmitos* nostri nominant, donec ad triremium stationem ventum est, tunc enim partim ex longis navibus utriusque classis (jam enim Bernardinus huc Hispanicas traduxerat) partim ex onerariis remulco deductis suppeditata cibaria.

XIX. Hic Carolus animadvertens, magna navium accepta clade, multum rerum bello necessariarum naufragio periisse, consilium mutavit, metuens propter adversissimum anni tempus, ne reliqua classis similem amissis navibus fortunam experiretur, in cujus classis discrimine magna tum rerum, tum etiam opinionis mo-

menta verterentur. Itaque bellum alieno tempore susceptum omittere constituit, et copiis diligenter impositis, eas domum, unde quisque venerat, redire jubet, praeter Hispanas cohortes, quas in Sardiniam deferri et exponi placuit; ipse cum postremis, qui fuerunt Hispani, quadriremem conscendit, et Hispanicis quinque triremibus remanere, ac sexdecim onerariis, quae in altum deduci nequiverant, praesidio esse jussis, cum ceteris longis navibus non satis commoda tempestate profectus, Bugiam contendit, quod oppidum in eadem Africae ora nonaginta ab ortu solis millibus abest ab Argelia, pervenitque prima luce postero die, qui fuit pridie Nonarum Novembris. Hic Feriae Comitem ac fratres cum reliquo nobilium comitatu vi tempestatis dejectos offendit; huc quoque paulo post triremes praesidio navibus onerariis remanere jussae, tempestatem metuentes devenere, relictis onerariis, quarum duae simili prioribus malo perierunt.

XX. Ex Bugia Carolus, Fernando Gonzaga in Siciliam, cui pro Rege praeerat, cum triremibus Siculis contendere, et navibus quibusdam onerariis, quas eodem tempestas dejecerat, cursum repetere jussis, ipse cum ceteris longis navibus in Hispaniam proficiscitur. Sed non ita longe progressus, adversis flatibus rejectus, Bugiam revertitur, cujus tempestatis tanta fuit saevitia, ut in ipso portu naves omnes conflictarentur, una etiam naufragium faceret. Sed cum dies aliquot ibi non sine rei frumentariae et reliqui commeatus difficultate consumsisset, reddita commodiore tempestate, naves solvere jubet, et in majores Baleares compulsa classe,

in

in terram descendit, et Andream Doriam vectigalibus auctum, et item amissarum triremium detrimento cumulatissime in praesens futurumque sarcito, dimittit; ipse, conscensa Hispanicarum praetoria, in Hispaniam terram portumque novae Carthaginis Kalendis Decembris appulit.

XXI. Reversus in Hispaniam Carolus, ex Carthagine nova Murciam, atque inde Ocagnam venit, ubi Christi natalem et paucos praeterea dies cum liberis egit; huc enim filiae multo ante ex Arevalo migraverant, et Philippus patri obviam venerat ex Madritio, ubi cum ipso Pontifex Toletanus Regni Procurator, et Regia Consilia morabantur. Ex Ocagna Toletum, ubi Castellae Concilium jam indictum habere cogitabat, hinc, mutato consilio, Madritium venit, nec diu moratus, Valdolitum, quo Concilium rejecerat, huc quoque Consiliis transire jussis, pervenit, cumque eo Philippus, qui numquam a patre, dum ad Hispaniam moraretur, discedebat. Cum civitatum legati Valdolitum, ut jussi erant, convenissent, his coactis, Carolus primum superioris sui discessus ac belli magnorumque sumtuum necessario susceptorum causas, ut fere solebat, publicamque inopiam et maximum aes alienum, cui provideri necesse esset, coram proposuit. Deinde per internuntios de imperando tributo retulit, de quo potissimum, quoniam haec fuerat causa cogendi Concilii gravissima, coeptum est a legatis in aedem Divi Pauli convenientibus agitari. Neque vero de octies centum millibus ducatorum in sequenti triennio pendendis controversia fuit, hoc enim tributum pecuniarumque summa

ma jam venerat in consuetudinem; sed de quadringentis millibus disserebatur, quae praeterea Carolus, ut extra ordinem ac eodem anno, qui ultimus erat triennii superioris, conferrentur, per internuntios ad agendum cum Concilio destinatos postulaverat; de quo cum esset diu disputatum, nihil tamen a legatis impetrari poterat, excusantibus popularium inopiam, ac metuentibus ne hoc quoque in Concilio Toletano tribus ante annis imperatum in consuetudinem veniret, quibusdam etiam negantibus id esse suae potestatis, qui non libera; sed praescripta mandata a suis civitatibus accepissent.

XXII. Sed instabat Carolus, et legatorum in tanta Regis inopia et difficili reipublicae tempore pertinaciam per eosdem internuntios accusabat, quorum facile princeps erat Pontifex Toletanus, seque nolle, ut hoc exemplum fraudi civitatibus ad consuetudinem esse posset, confirmabat. Itaque placuit, ut civitates, missis a Carolo litteris, consulerentur, quas humaniter et amabiliter scriptas, postulandi causas, ac omnia fere, quae legatis coram dicta erant, complectentes, cum civitates legissent, legatis partim per se (nam quidam eorum Regi gratificantes, epistolas Regias ipsi pertulerunt) partim per litteras cohortantibus, omnes quaedam non gravate, quaedam aegrius postulatis Regis annuerunt, praeter Legionenses, Salmanticenses, Sagovienses, et Valdolitenses, a quibus de quadringentis ducatorum millibus impetrari non potuit. Nec est silentio praetereunda Gonzali Ledesmae Zamorani legati, seu constantiam appellare oportet, seu pertinaciam, qui

non

non solum initio minuendum esse censuit tributum consuetum, sed postremo etiam de pecuniis, quae extra ordinem postulabantur, collegae civitatisque suae annuentis sententiam sese non probare palam in Concilio testificatus est, in eoque perstitit. Ceterum civitatum majore parte consentiente, duodecies centena ducatorum aureorum millia exigenda, qua ratione postulabatur, imperata sunt; et quibusdam rebus, quae ad publicam commoditatem pertinere videbantur, a Carolo vicissim impetratis, Concilium dimittitur.

XXII. Per id tempus tres nobiles adolescentes Latine non ignari, dum se docte ac facete ludere, ac Romanam libertatem, et *Pasquini* vocati licentiam imitari impune posse putant, contumeliosum libellum confecerunt ex Virgilii potissimum et Horatii carminibus coagmentatum, qui a Carolo et Philippo leviter perstrictis exorsi, ex Antistibus, proceribus atque nobilibus, qui Valdoliti aderant, primos quosque paulo asperius, et quosdam etiam graviter incessebant. Hujus libelli exemplum unum noctu foribus fani Divi Pauli prope Regiam affixum fuit; quo bene mane a praetereuntibus viso, et ad se protinus delato, Carolus hoc vehementius est commotus, quod Madritii ante annos tres ejusdem generis libellum fuisse summissum, et eodem modo ad se delatum meminerat, de quo propterea, quod in se dumtaxat confectum esset, quaestionem haberi noluerat. Ergo, qui suam facile tulerat, communem multorum contumeliam pessimo exemplo ferendam non putavit, ne turpis et olim gravissimis poenis sancita licentia, quam in Romanis recentioribus detestabatur,

tur, in Hispaniam transiret, ac per impunitatem inolesceret. Itaque Praetoribus Aulicis negotium dat auctorem libelli diligenter inquirendi, et cunctis rationibus investigandi. Ii omnia nequidquam experti, et Latine doctos fere omnes percunctationibus cum solicitassent, praeter spem indicio pueri de auctoribus cognoverunt, cui puero adolescentes alterum libelli exemplum ad Beneventi Comitem perferendum nocte, quae illum primum diem secuta est, temere ac leviter commiserant. Hic enim puer ab altero ex Comitis pueris, cui libellum velut epistolarum fasciculum coenanti domino reddendum tradiderat, post dies paucos agnitus est, et ad Praetores deductus.

XXIV. Duo igitur adolescentes improviso comprehensi (nam tertius, re praecognita, se fuga subtraxit) et ex vinculis causam dicere jussi; qui primum testimonio pueri et manifestis chartarum et manus indiciis convicti, deinde tormentis intentatis etiam confessi, capite damnantur: illi, hac pronuntiata sententia, non jam manifestae noxiae nequidquam liberationem quaerendam; sed interponendum spatium ad veniam a Carolo per amicos et cognatos implorandam putabant. Itaque ab eisdem Praetoribus, a quibus nulla erat in judiciis capitalibus provocatio, supplices, id quod per leges licebat, postularunt, ut iidem causam diligentius recognoscerent: quo divulgato, nobilium adolescentium, quos temeritate ac levitate magis, quam odio vel malitia deliquisse constabat, tanta subiit animos omnium miseratio, ut eos etiam, quos omnium maxime carminibus laeserant, supplicii deprecatores apud Carolum ha-

haberent. Erat autem eorum alter Petri, alter Garciae Lassi, sed nothus filius, quorum Petrus popularis secessionis ducem se et auctorem cum paucis praebuerat Toletanis, Garcias in bello Gallico, dum Carolum Caesarem praefectus sequeretur, in oppugnatione turris cujusdam, ictu lapidis capite comminuto, ceciderat, vir singulari virtute ac omni humanitate litterarumque doctrina praestans. Itaque patrum recordatio apud Caesarem, quantum unius grata suffragabatur ad veniam, tantum alterius odiosa communiter adolescentibus officiebat, pro quorum salute duo in primis summae auctoritatis Pontifices, Toletanus et Hispalensis, et iidem Ecclesiae Romanae Cardinales Carolum magnis precibus contendentes deprecati sunt: Carolus tamen nullius sese, praeterquam Philippi filii precibus exorari passus est, nec aliter, quam ut capitis poena in proximi biennii carcerem mutaretur, cujus causa in arcem Methymnensem missi sunt, et deinde in perpetuum a Castella exsilium.

XXV. Interea Carolus Aragonensium indicto Concilio, quod item consuevit tertio quoque anno convocari, ex Valdolito decimo Kalendas Junii, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus quadragesimus ANN. M.D.XLII. secundus, Montisonem, assectante Philippo filio, proficiscitur, quod oppidum Aragonensium, qui proprie intelliguntur, et Catalanorum Valentinorumque consensu communibus Conciliis habendis destinatum est, propterea quod in confinio paene trium illarum gentium feraci, ut in illis regionibus, et amoeno loco ad ripam Cingae fluminis situm est. Burgos, vetus Musburgorum gentis vocabulum, sed ex parte corruptum re-

retinentem urbem, progressus Carolus, qua, ut ex itinere Pompelonem inviseret, contendere placuerat, dies ibi festos Pentecostes et aliquot praeterea transegit, Petro Velasco Comestabili, in cujus aedibus diversabatur, splendide mensas Imperatorias instruente, et aulicorum bonam partem liberaliter alente.

XXVI. Ex Burgis profectus, ac Idubeda monte, qua olim erat oppidum Auca, superato, per *Riogiam* vocatam frumenti feracissimam vallem inter Idubedam et Iberum amnem Sanctum Dominicum praetergreditur, urbem in via, quae ex Gallia Germaniaque Compostellam ducit, vetere miraculo celebrem hominis innocentis, qui multos post dies ex patibulo, et gallinae gallique gallinacei, qui ex lance ad vitam revocati fuisse feruntur, rei memoriam gallo gallinaque multis seculis continuata progenie referentibus, qui forma et candore insigni in cavo maximi templi pariete etiam nunc asservantur, et a viatoribus non sine quadam admiratione et veneratione visuntur, praesertim ab iis, qui ex longinquis regionibus Compostellanum Divi Jacobi sepulcrum religionis gratia petunt, qui plumas etiam eorum monumenta miraculi domum referre gaudent.

XXVII. Ad Logronium, oppidum in Iberi ripa prope Variae urbis antiquae vestigia situm, progressus Carolus, et dies aliquot commoratus, vetustate collabentes muros refici, et pontem, quo Iberus ibi committitur, reparari jubet. Hinc aulicorum bona parte Montisonem recta proficiscentibus, ipse flexo itinere, Iberoque protinus transmisso, Navarram ingreditur, ac Pom-

Pompelonem caput ejus Regni contendit ; nec diu moratus , quae ad muniendam et firmandam hanc urbem , saepe Gallorum armis tentatam , pertinerent , imperatis , discessit , proximaque via Montisonem nono Kalendas Julias pervenit . Quo die Carolus Montisonem intravit, expertus earum gentium in publicis deliberationibus lentitudinem et morositatem , eodem ad coactum Concilium ex more verba fecit , atque eadem fere , quae nuper Castellanis Valdoliti , commemoravit . Nam et rerum proxime gestarum susceptorumque sumtuum rationem reddidit , et publicam inopiam ac aes alienum necessario contractum proposuit , utque his malis medendi et consulendi ipsi quoque pro se rationem inirent , postulavit , et suam ipse vicissim operam et officium detulit , siquid a Concilio fuisset admonitus , quod ad eorum bonum publicum et mortales aequo jure continendos pertinere videretur .



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

I. DUM haec apud Carolum Caesarem geruntur, Franciscus Rex Gallorum eisdem, quibus saepe ante, furiis Mediolanensibus agitantibus, bellum parare non desistit, quod jam pridem animo gerebat, indignatus quod a Carolo de Mediolanensi Principatu, quantum temere concupierat, non impetrasset. Rex enim Carolum in transitu Galliae tantopere sibi fide non violata, ac praestitis officiis demeruisse videbatur, ut de ipsius voluntate omnia justa et injusta temere sibi polliceretur. Cui Carolus gratificari, et novis connubiorum vinculis mutuam amicitiam arctius constringi cupiens, in has demum conditiones, cum id negotium per internuntios agitaretur, descendit: ut Margarita Regis ejusdem filia Fernandi Romanorum Regis filio secundo in matrimonium traderetur, et his Carolus ipse Principatum Mediolanensem attribueret, idemque suam filiam Mariam natu majorem nuptui traderet Carolo Regis Galli minori natu filio, dotemque diceret Belgicum Principatum, qui post ipsius Caesaris obitum filiam sequeretur; qua ratione facile poterat cum magno Hi-

Hispanorum dolore atque incommodo, non modo dotale Belgium, sed totum etiam Hispanum Imperium, uno scilicet Philippo sine liberis decedente, ad Gallum hereditario jure pervenire. Rex autem palam pollicitus nihil de sua in Carolum amicitia, etiamsi ab eo nihil impetrasset, detractum iri, tamen eo cupiditatis processerat, ut omnes conditiones iniquas esse duceret, nisi Mediolanum Henrico filio suo, unde facile in Gallorum Regum perpetuam ditionem pervenire posset, tribueretur; nam Belgium dotale, nisi statim possidendum traderetur, inane promissum reputabat. Quae postulata Carolus partim ab Italiae publica quiete ac omnino Christianorum tranquillitate multum abhorrere, partim plena cupiditatis, et iniqua omnia, ut erant, sic esse judicabat.

II. Rex igitur spe, quam temere conceperat, Principatus Mediolanensis dejectus, velut accepta injuria, quod quae injuste et cupidissime, quasi fidei ac officii mercedem, petebat, non impetrasset, de bello cogitare coepit. Sed cum se viribus imparem esse Carolo bellis omnibus esset expertus, ut externis opibus adjutus fortunam belli rursus tentaret, ad Solymanum auxilia oratum mittere constituit, Turcarum Principem, cujus amicitiam et societatem ad bello Carolum insectandum jam ante, nec semel expetiverat, et consilia per Fernandum Rinconium Legatum communicaverat. Erat autem Rinconius natione Hispanus, ex Methymna campestri, homo impiger, acer et industrius, qui, cum ad Carolum adolescentem, in cujus Italico exercitu ordinem duxerat, in Belgium venisset, et quaedam non

non iniqua, ut sibi videbatur, postulata minus impetrasset, missione et copia cuicumque vellet militandi petita et accepta, ad Franciscum Gallorum Regem iratus sese contulerat. Rex, hominis industria ingenioque, et a rebus Caroli alieno animo perspecto, libenter ipsius opera in hujusmodi rebus utebatur, et in ea legatione uti volebat, atque eo magis, quod hunc non modo notissimum superioribus legationibus, sed acceptum etiam esse Solymano, sermones cum eo libenter conferre solito, compertum habebat, et fere constabat ex litteris Christianorum mercatorum, qui fide publica Byzantii negotiabantur.

III. Rinconius igitur a Rege cum litteris et mandatis ad Solymanum proficisci jussus, in Augustam Taurinorum, quod oppidum ad Padi fluminis ripam Gallico praesidio tenebatur, processit, ut inde Venetias, qua iter Byzantium facere cogitabat, contenderet, ei comiter excepto Augustae praefectus omnia, siquid opus esset ad iter, liberaliter pollicetur. Hic Rinconius sibi notum et amicum Caesarem Fregosum offendit, qui erat, ut alio in loco demostravimus, Fregosae factionis ad Genuam et Liguriam princeps; sed jam pridem adversariorum et Caroli Caesaris, cujus fidem sequebantur, armis patria cum praesidio Gallorum pulsus, in Gallicis castris odio flagrans Hispanicarum partium versabatur. Is Rinconio sibi a Caesarianis, qui fines Mediolanenses praesidiis tenebant, metuenti, socium se ac ducem itineris Venetias usque fore pollicitus, de transitu deliberanti auctor erat, ut a Vasti Marchione rem Mediolanensem procurante, ad fines Medio-

diolanenses transeundos fides publica peteretur, nec enim esse in publicis decem annorum induciis de voluntate ac fide illius dubitandum. Sed Rinconius, justi Caesarianorum in se odii ac impiae legationis, quam deferebat, instigante conscientia, nulla ratione suam illis salutem recte committi posse judicabat.

IV. Itaque post longam deliberationem optimum esse constituerunt secundo Pado cum aliquo militum praesidio primo quoque tempore navigare, praemissisque paucis, qui speculandi gratia praecurrerent, equitibus, in quatuor fluviatiles naviculas quinquaginta scloppetarios ex Augustae praesidio (id enim satis fore videbatur) imponunt, ipsi cum parvo comitatu duas conscenderunt, ac praecedente praesidio sese in viam dedunt. Sed passuum millia circiter quindecim e regione castelli, cui Fregosus idem imperitabat, progressi; cum timor et conscientia cuncta Rinconio suspecta facerent, ingeniosum, ut sibi videbatur, consilium, sed re vera perniciosum inierunt, ut praemissis militibus viam explorarent, ipsi interim ad castellum in occulto laterent, non dubitantes, siqui Caesarianorum in insidiis ad ipsos excipiendos subsedissent, quin essent antegressos milites simul se convehi existimantes invasuri. Qui milites cum eo biduo duobus commeatibus sine offensione Placentiam pervenissent, atque inde tranquilla omnia et tuta per litteras et volantes tabellarios fuissent renuntiata, nihil jam hostile metuentes, eisdem duabus naviculis navigationem repetunt.

V. Vasti Marchio, his rebus cognitis, quae interposita mora per exploratores aut indicem enuntiatae fue-

fuerunt, non putavit occasionem praetereundam, si posset impios Regis conatus, de quibus non dubitabatur, impedire, aut interpellare, Rinconio retento, quem talium consiliorum inter Franciscum et Solymanum esse solertissimum ac diligentissimum interpretem constabat, solitum saepe ultro et citro a Gallia in Graeciam Thraciamque commeare. Duos igitur Hispani generis strenuos milites, Arcem Asturem, et Petrum Ivarram Cantabrum ad se vocat, et magni interesse docet Fernandum Rinconium intercipi, qui Venetias, atque inde Constantinopolim ad Turcarum Principem viam habens, tunc secundo Pado cum Caesare Fregoso ab Augusta Taurinorum profectus deveheretur: proinde Papiam ire properarent, et quibus visum esset militibus ex praesidio in societatem secreto ascitis, Padum obsiderent, darentque operam, ut venientes illos exciperent, captosque, et Papiam deductos, arcis praefecto custodiendos traderent.

VI. His mandatis acceptis, milites Papiam advolant, et quinque dumtaxat Hispanis item militibus ascitis, ad Padi ripam contendunt, et duas piscatorias scaphas, dum sibi cum una dumtaxat rem fore putarent, assumunt, et frondosis arborum ramis, ut venientium prospectum frustrarentur, contegentes adornant, et inter Papiam et Bogueram consistunt; ac eodem die paulo post duas venientes naviculas conspicati, accedentibus obviam processerunt, sic ut priorem, qua Rinconius et Fregosus, cumque his egregii duo milites, Camillus Corregiensis Comes, et Joannes Fortis vehebantur, Arces et Ivarra loricati, clypeisque et gladiis ar-

armati, et tertius miles scloppetarius adorirentur: nam hi tres alteram piscatoriam conscenderant. Qui cominus cum accessissent, Rinconium et socios deditionem facere jubent, nec diutius morati, cum illos renuentes ad repugnandum parari, armaque expedire cernerent, celeriter transcensa navicula, omnes non admodum repugnantes conciderunt, dum quatuor alii milites frustra naviculam alteram, qua septem eorum comites vehebantur, ripam continente fuga, qua proximum fuit, petentem insequuntur. Haec caedes Marchioni quoque ingrata fuit, qui capi eos, non occidi jusserat; sed Carolo, cujus injussu cuncta patrata fuerant, permolesta, inique ferenti commissum a suis esse, ut Rex causam, aut juris speciem aliquam haberet, quam injustis suis conatibus praetenderet. Itaque cum res dies aliquot occulta patuisset, Rege auctores nominatim ad poenam poscente, milites, qui caedem fecerant, jussu Caroli quaesiti sunt; sed illi praesentientes sese fuga subtraxerunt.

VII. Neque vero Rex, sublato Rinconio, destitit incepto; sed Pollino Gallo altero legato misso, eadem egit cum Solymano, ab eoque impetravit, uti negotium daret Charadino classem cum milite comparandi, qua in mare Ibericum provecta, oram Hispaniae, qua visum esset opportunum, expositis copiis, infestaret, dum Franciscus ipse exercitum in Cataloniae fines induceret, ut viribus distractis Carolus infirmior ad Gallis obsistendum redderetur. Ceterum proxima expeditione et naufragio ad Argeliam facto, tantopere Caroli et inclinatam fortunam, et vires attritas esse credebat

Gallus, ut inducto in imparatam Hispaniam exercitu, bonam ejus partem parvo negotio a se occupari posse confideret. Per causam igitur supplementi in Taurinos et oppida, quae circum eam regionem praesidiis Gallicis tenebantur, summittendi (nam hic rumor fuerat fallendi gratia dissipatus) exercitum cogit, non exspectato Turcicae classis adventu, nec tamen desperans in tempore eamdem affuturam.

VIII. Hoc cognito, Carolus, qui Regis mobilitatem jam pridem suspectam habebat, necessaria ad bellum defendendum providere coepit, ac primum omnium nuntiis litterisque ad confinia Gallorum et in Italiam dimissis, suos ubique praefectos certiores facit, et arces oppidaque munire, et omnia, quae bello propulsando sint usui, habere parata jubet. Deinde cum esset allatum, Gallicum exercitum in Hispaniam converti, nec procul a Narbone consedisse, tunc vero duos belli duces constituit, Petrum Velascum Comestabilem, et Fernandum Toletum Ducem Albanum, provinciis partitis, ut diversi cum exercitu Pyrenaeum obsidentes, Gallis obsisterent, ac transitu prohiberent; ille ad Cantabriam et Navarram, Albanus ad Ruscinonis Comitatum, quae regio cum Narbonensi Gallia, qua Pyrenaeum ac mare internum attingit, contineatur, est tamen Hispanicae ditionis, ut pars quaedam Navarrae, quae ultra saltum eumdem discurrit, quam in partem cum Gallorum exercitus inclinare nuntiaretur, properare Albanus, ac oppida, quae sint in eo tractu opere vel natura munitiora, praesidio rebusque necessariis firmare jubetur, Perpinianum potissimum, quo belli moles

les inclinatura videbatur, simulque militem tum in Aragonia et Catalonia, tum in Castella primo quoque tempore conducendum mandavit, unde praesidia necessaria locis idoneis disponerentur.

IX. Eodem tempore per nuntios et litteras quoquoversus in Castellam dimissas, singulis tum civitatibus et municipiis pedites pro populi cujusque arbitrio et superiorum similiumque temporum consuetudine mittendos, tum Antistitibus et proceribus, praescripto pro cujusque fortunis et vectigalibus numero, equites imperavit cataphractos, ceteris Baeticis autem levioris armaturae ob usum majorem equitandi et equorum celeritatem, iis, qui tamquam primae classis erant, centenos, ultimae vicenos, reliquis pro fortunarum ratione; nec eas manus statim mitti, sed ad iter, cum vocarentur, paratas esse praecipit; nam bellum Carolus, nisi cum esset a Rege ruptis palam induciis illatum, gerere ipse nolebat. Ad equites vero praesidiarios, qui, nuper ad Argeliam equis naufragio amissis, stipendia tamen equestria merebant, imponendos, per Castellam, ubi mularum ephippiatarum usus ad invehendum praeterquam sacerdotibus et mulieribus, ne cura equorum alendorum remitteretur, lege prohibitus erat, per praecones pronuntiari jubet: siquis vellet, cujusque ordinis, pro usu mulae probum militarem equum ad Valdolitum dare, (nam huc equites convenerant) licere: quam conditionem multis seniorum accipientibus, facile sarcitum est detrimentum ab equitibus acceptum, qui receptis equis ad confinia Gallorum properaverunt.

X. Dux Albanus ad undecimum Kalendas Augusti

ex Montisone cum nobilium juvenum comitatu profectus, Perpinianum venit; atque id oppidum maxime, quod a Joanne Acugna regionis ejus militare imperium obtinente cum paucis custodibus tenebatur, operibus muniendum curavit, noctes diesque militari labore continuato, auctoque praesidio firmavit, et in castellum munitissimum, quod ad Salsulas a centum militibus custodiebatur, trecentis praeterea in praesidii supplementum proficisci jussis, Eunam quoque sexcentorum militum praesidio cum praefecto Ludovico Icarte firmavit. Interea tormenta magna duodecim et minora quindecim ex Barcinone naviculis, itemque ex Malaca triremibus pulvis tormentarius, ferreique globi, hastae, scloppeta magno numero, et cetera, quae tormentis ac bello usui sunt, a Bernardino Mendoza in Portum Veneris, ut fuerat imperatum, advecta, et duodecim a Perpiniano millibus exposita; horum duo majora et minora quinque Eunam, cetera Perpinianum delata, quo Bernardinus ex nauticis trecentos una milites veteranos delectos scloppetarios misit; jamque praesidium ad quatuor circiter armatorum millia pervenerat, quorum Castellani erant Joannes Acugna, qui toti praesidio propugnationique praeerat cum duobus filiis Joanne et Jacobo, et pars fere quarta; ceteri Catalani, perpaucis Aragonensibus Valentinisque permixtis. Erant praeterea ex oppidanis circiter trecenti, qui arma et ferre possent, et juberentur, multis enim propter suspicionem, quod rebus Gallicis studere putabantur, ademta fuerant, equitatus in praesidio nullus erat.

XI. His rebus constitutis, Dux Albanus Joannem Acu-

Acugnam cohortatus, Barcinonem, quemadmodum jussus fuerat a Carolo, revertitur, ut venientes milites exciperet. Ex Barcinone cum mille armatis hominibus Francesum Viamontium misit, qui Pyrenaei saltus fauces *Pertusum* dictas obsideret, cum jam hostilis exercitus peditum viginti quinque millium Perpiniano infestus appropinquaret: horum erant Helvetii decem millia, Italici quatuor, utrique veterani, ceteri Vascones et ex variis Galliarum regionibus: his accedebant duo fabrorum operariorum millia et tormentorum magnus numerus. Erant praeterea equites cataphracti Gallici ad duo millia quingenti delecta manus, et plus quatuor levioris armaturae, Italici generis mille ducenti, ceteri Galli, quorum pleraque nobilitas ad Regem et filios convenerat. Summam imperii ac belli hujus administrandi Henricus tenebat ex Regis filiis major natu. Hujus quasi legatus erat, proximumque auctoritatis locum tenens Nebaotus; nam Rex ipse a Pesulano Monte (oppidi hoc nomen est) progressus, ad Seselas castellum in agro Narbonensi passuum decem et octo millibus citra Perpinianum substiterat, ut nec ipse belli se discriminibus objiceret, nec ad communicanda consilia, et necessaria, siquid opus foret, providenda longius abesset.

XII. Interea Carolus, patefacto consilio Regis, qui causam bello prius illato, quam indicto, Rinconii Fregosique necem in excusa evulgataque indictionis charta praetendebat, ipse quoque vicissim et suam innocentiam purgat eodem modo, et Regis inconstantiam violatasque inducias accusans, bellum in Gallos indicit; ac rur-

rursus dimissis litteris , milites imperatos ex omnibus Castellae partibus proficisci , eorumque quosdam ex proximis regionibus in Cantabriam ad Comestabilem , ceteros ad Ducem Albanum in agrum Barcinonensem Gerundensemque convenire imperat. Quibus Caroli jussis , cum ad bellum et injuriam externorum hostium ab ipsa Hispania propulsandum pertinerent , non solum non gravate , sed magno studio fuit obtemperatum , praesertim a proceribus , quorum perpauci fuerunt , quin praeter equites imperatos instructiorem et honestiorem ex cognatis et domesticis armatum item comitatum secum adducerent. Ex Praesulibus autem Toletanus , cui fuerant centum cataphracti equites imperati , non solum hos cum Joanne Ulloa praefecto , sed octoginta praeterea ex consanguineis et domesticis cum Aria Pardo fratris filio splendide tum armis , tum equis instructos et ornatos misit.

XIII. Ad undecimum Kalendas Septembris Henricus bipartitas , quas demonstravi , copias duabus viis , vitata scilicet in medioque relicta Salsularum arce , in Ruscinonis agrum induxit , vicisque vastatis , captisque sine contentione infirmioribus castellis , Theco fluvio , qui Perpinianum praeterlabitur , trajecto , secundum ipsum sic die tertio castra posuit , ut amplius duo millia passuum in longitudinem paterent , unde paulatim productis munitionibus e regione propugnaculi , quod est ad Lazari fanum , centum fere quinquaginta passuum aëreo intervallo relicto , quatuordecim maxima tormenta loco edito collocavit , quae oppido tantopere imminebant , ut a porta , quae dicitur *Eunae* , ad arcem usque perfici

fici munitiones prohiberent. Ceterum Kalendis Septembris, lucente die, decem alia majora et nonnulla minora tormenta, productis latenter antegressa nocte munitionibus, ad portam Eunae tam prope muros collocata apparuerunt, ut paene manu telum adigi posset.

XIV. Hinc magno impetu Gallica ferocia cum luce grandibus frequentibusque globis propugnaculum, quod erat ad arcem, quatere coeperunt, ut, disjectis interioribus munitionibus, ubi erant tormenta disposita, pulsisque propugnatoribus, liberius ea parte, quae minime omnium erat munita, murum concuterent, et suis viam ad oppidum invadendum aperirent: quo in propugnaculo cum essent duo tantum magna et aliquot minora tormenta, parva sic erant disposita, ut unum modo ad rem ea parte gerendam accomodari posset, ex duobus autem magnis ad alterius usum nullum omnino telum habile suppetebat. Qua difficultate nostris affectis, magno casu et tamquam Dei munere accidit, ut ferrei globi complures quasi ad mensuram tormenti ejus tornati, hostilibus bombardis emitterentur; qui globi a nostris diligenter excepti, magno usui ad eam propugnationem fuerunt, quippe eorum telis ante meridiem hostilia nonnulla tormenta comminuta sunt, et inutilia reddita, bonaque pars tormentariorum militum concisa, necessarioque paulo post meridiem ab oppugnatione cessatum.

XV. Hoc animadverso, Joannes Acugna duos Castellanorum centuriones, Bezerram et Machucam cum suis manipularibus numero ad quadringentis eruptionem facere jubet, et quid fieri velit, ostendit. Hi per arcis

cis portulam emissi, fossa tecti, donec essent e regione tormentorum, processerunt. Tunc vero subito sese hostibus ostendentes, in Vascones et Italos, qui praesidio tormentis erant, impetum fecerunt; hisque repulsis, quinque tormentorum majorum foramina, qua ignis admovetur, ferreis clavis obstruxere, ac inutilia reddiderunt, et multis vulneribus illatis, suorum vero uno dumtaxat desiderato, et duobus vulneratis, hostium magno numero procurrente, sese in oppidum placide, qua eruperant, receperunt.

XVI. Neque vero id tantum tumultuarium praelium a nostris factum est, sed fere singulis diebus pro pecore dimicabatur. Accidit enim res memoratu digna, et multis saeculis inaudita, quod cum oppidum a tot millibus hominum obsidione premeretur, quotidie tamen magnus pecoris armentique numerus extra muros ad proxima prata et frondes arborum, quae plurimae fuerant in propinquo succisae, pabulatum cum scloppetariorum praesidio emittebantur: ad quod abigendum cum hostes rem vehementer indignantes persaepe manus immitterent, numquam tamen ne parte quidem ejus sunt potiti, semper tum scloppetis a praesidio, tum ex oppido tormentorum telis cum detrimento rejecti, nec enim pecus longius quam quo tormenti telum adigi posset, procedebat. His rebus cum nostri non vulgarem tyronum, ut fore Galli crediderant, sed veteranorum (ut erat bona pars praesidii veterana) egregiam virtutem et militarem usum ostenderent, factum est, ut hostes de oppidi expugnatione et reliqui belli successu desperarent. His enim militibus a tergo

re-

relictis, a quibus facile possent commeatibus intercludi, ulterius progredi, stultum ut erat, sic esse judicabant; praesertim cum per eos dies quadringenti milites, qui nostris subsidio veniebant, quarta vigilia, stationes hostium fallentes, Perpinianum intrassent, et manus adventare ex omnibus Hispaniae partibus excitas exploratores nuntiarent; quamquam Barcinonem, Gerundamque ad Ducem Albanum vix dum sex millia convenerant, cum quibus ipse per Eladem oppidum progressus, eorum duo millia nostris auxilio Perpinianum summisit, qui noctis posterum diem consecutae silentio in oppidum nemine prohibente pervenerunt, et a nostris fuerunt magna cum gratulatione recepti, cum eadem nocte Galli, machinis tormentisque in castra retractis, et proximis illis munitionibus succensis, oppidum obsidione laxassent: fuit autem hic dies ad quintum Nonas Octobris, a quo die Galli omnem belli faciendi cogitationem ad eas quidem regiones omiserunt. Itaque suis jam ipsi rebus metuentes, motis castris, sex circiter millia passuum ad Clarianum castellum recesserunt, castrisque munitis constiterunt.

XVII. Hoc Montisonem nuntiato, Carolus, qui invitus fuerat ad arma vocatus, et tempus belli gerendi, praesertim ad saltum Pyrenaeum, ubi nives sunt maturae, praeteriisse videbat, nuntiis propere dimissis, confluentes manus consistere primum, deinde, cum Gallus, qui Caroli consilia non ignorabat, longius agmen reduxisset, domum redire jussit. Dum haec ad Perpinianum geruntur, Carolus Aurelianus Dux, filius alter Francisci Regis, quem pater eodem tempore ad vexandum

Belgium cum exercitu miserat, multa oppida et castella in finibus Caroli Caesaris ad Lucemburgum partim vi cepit, partim deditionem facere coëgit, ac eam regionem omni clade belli conflictavit, ipsamque urbem Lucemburgum expugnavit, praesidiumque imposuit; sed haec et cetera cuncta postea fuerunt a Caesarianis Duce Fernando Gonzaga recepta.

XVIII. Interea Paulus Pontifex Maximus, ne in publica Principum Christianorum discordia cessare ipse, et communem calamitatem negligere videretur, duos Ecclesiae Romanae Cardinales de compositione et pacificatione, Jacobum Sadoletum ad Regem Franciscum, Michaëlem Silvam Lusitanum ad Carolum Caesarem mittit. Hic cum Montisonem ad quintum Kalendarum Octobris pervenisset, exposita legatione, redire statim a Carolo jubetur. Nam sibi certum esse, nullum verbum facere de compositione seu pace cum hoste, qui violatis induciis et foedere amicitiae, bellum ante illatum, quam indictum, in suis finibus gereret. Itaque legatus sexto post die Montisone, ut jussus erat, profectus, Barbastrum, quod oppidum inde abest septem circiter millia passuum, ad Octavium Farnesium Camerini Ducem, qui huc valetudinis recipiendae gratia secesserat, contendit; tamdiuque ibi moratus est, non invito Carolo, donec a Pontifice facto a se de rebus omnibus certiore responsum accepit. Tunc vero Barcinonem ad Carolum venit, et quae Pontifex ipsi per litteras mandaverat, expositis, proficiscitur, perque terram Galliam Romam revertitur. Hunc Carolus ab initio hoc minus, ut credebatur, indulgenter habuit, quod

Re-

Regi Lusitano amico, eidemque propinquo et affini, quo invito Michaël factus fuerat Cardinalis, rem ingratam facere nolebat.

XIX. Concilio peracto, Carolus Barcinonem proficiscitur, quo paucis illis diebus Andreas Doria triremium classem, qua tria Germanorum millia ex Italia in Perpiniani subsidium evocata vehebantur, appulerat. Profectus est autem cum paucis expeditis; Philippum vero filium cum majore comitatu et praetoria Hispanorum, Belgarum, Germanorumque peditum equitumque cohorte Caesaraugustam, quemadmodum fuerat in Concilio constitutum, adire jussit. Nam hoc in primis Carolus a Concilio postulaverat, ut, quemadmodum Castellani jam pridem fecerant; sic illae nationes Philippum filium consueta jurisjurandi caerimonia Principem, id, est Regni successorem agnoscerent, ac publice salutarent; quod cum fit, non modo jus in Regnum succedendi confirmatur, sed etiam Concilia cogendi et habendi, et in his rebus, vivente et volente patre, Regio munere et auctoritate fungendi jus potestasque traditur. Cui Caroli Caesaris voluntati illud obstare videbatur, quod ipse ab eisdem nationibus hac lege fuerat initio Rex appellatus, ut, si Joanna mater mentis sanitatem recepisset, hac Regnum obtinente, ipse in Principis dumtaxat titulo et auctoritate subsisteret. Sed hac difficultate populorum obsequio superata, illud reliquum erat, quod nihilo minus difficilem deliberationem faciebat, quod cum legibus et more majorum res esset in tribus urbibus trium gentium capitibus, Caesaraugusta, Barcinone, ac Valentia praesente Principe

 pa-

patranda, Rex tamen, ut Montisone a Concilio conficeretur, postulabat; cui novitati Aragonenses maxime omnium ac diutius obstiterunt. Sed post diuturnam deliberationem, consultis per litteras et nuntios civitatibus, constitutum est, ut Philippus in Concilio Princeps ab eis per suos legatos, quos *Syndicos* vocant, salutaretur, dato jurejurando, se Philippum post Caroli patris obitum in locum ejus Regem accepturos, fideliterque imperata facturos, et jam nunc omnia officia, quae Principis dignitas et auctoritas postularet, praestituros; sed ea lege, ut ipse tres memoratas urbes adiret, praesensque singulas civitates in fidem reciperet, seque illis vicissim leges moresque patrios et privilegia servare jurejurando polliceretur. Cum igitur legati quod erat suarum partium in Concilio peregissent, Philippus Caesaraugustam venit, Joanne Zugniga morum ipsius magistro, magnae tum prudentiae, tum etiam auctoritatis viro, cujus consilio cuncta gerebantur, itemque Francisco Mendoza, et Joanne Martino Siliceo Giennensi, et Carthaginensi Episcopis assectantibus.

XX. Postridie Idus Octobris Philippus Caesaraugustam attigit, nec tamen eodem die urbem intravit, nec pontem alluentem Iberum trajecit, sed Gallico fluvio, qui juxta infraque Caesaraugustam Iberum influit, eratque per se nihilo secius lintre transeundus, vitato, paulo inferius duo circiter ab urbe millia passuum Iberum rate trajecit; et Senatu ac Magistratibus obviam progressis, in praetorium suburbanum, quae *Algiaferia* dicitur, deductus, ibi, dum omnia pararentur, exspectavit. Die tertio, qui divo Lucae festus agebatur, cum ci-

civitas omnis omnesque ordines, Clerus, Magistratus, nobilitas, et tamquam in classes cum vexillis praecedentibus partiti populares obviam processissent, Philippus multo jam die equo in urbem invehitur, velario (*pallium* vulgus nominat) contegente, primisque Magistratibus, qui *Jurati* vocantur, circumjectis, quorum primus, *Caput*que dictus, habenas equi dextra tenebat, ceteri velarium perticis sustentabant, et sic per vias tapetibus et aulaeis praetiosisque vestibus ornatas deducitur.

XXI. Ubi ventum est in forum, Philippus in suggestum, quod paratum et regaliter adornatum erat, conscendit, tamdiuque in solio resedit, donec omnes deinceps ordines praetergredientes, et vexilla submittentes, suppliciter ipsum salutassent. Templum maximum progressus, quod Sancti Salvatoris cognominatur, a Fernando Archiepiscopo Caesaraugustano et Clero cum solemni cantu excipitur, et ante pulvinar, sive, ut nunc loquimur, altare maximum deducitur, ubi locus erat cum solio magnifice tapetibus et sericis stragulis ornatus. Hic Philippus, cum ei flexis genibus Deum veneranti Archiepiscopus Clerusque certis ac piis verbis bene precati fuissent, assedit, proxime astantibus diversis omnis ordinis Aragonensium legatis (*Deputatos* ipsi nominant) qui Episcoporum, Cleri universi, procerum, nobilium, equitum, et immunium hominum, ac popularium personas gerebant, magna praeterea astantium corona circumjecta, in qua fuerunt idem Caesaraugustanus Archiepiscopus, Giennensis, Carthaginensis supra memorati, itemque Oscensis et Alguerensis Episcopi,

duo

duo quoque Alburquerquii et Maquedae Duces, Moratae Comes, qui pro Rege Aragoniam procurabat, Cuellaris Marchio, Fontium et Ribagorzae Comites, et saepe a nobis memoratus, qui numquam a Principis latere discedebat, Joannes Zugniga. Tum Philippus per sacrosancta, quae manu contigit, Evangelia juratus, servaturum se promisit leges, mores, privilegia et instituta Aragonensium, idque praescriptis verbis, quae pro ipso ex more tabellio Regni, *Protonotarius* dictus, de scripto pronuntiavit. His patratis, cum jam esset serum diei, sine velario et pompa in hospitium, quod intra urbem in via, quae *Cursus* dicitur, paratum ei erat, divertit.

XXII. Cum paucis diebus Philippus Caesaraugustae fuisset commoratus, Barcinonem proficiscimur: nam et ego a Montisone Philippum tum officii, tum regiones illas considerandi gratia secutus fueram, et per lapideum pontem, quo egregio firmissimoque Iberus committitur, urbem egressi, Gallicum flumen ad duo millia passuum lintre trajecimus; aliquamdiuque per Iberi secundam ripam progressi, in laevam deflheximus, et ad Fragam castellum per ligneum pontem Cingam fluvium, Catalanos fines ab Aragonensibus dirimentem, transgressi, Ilerdam venimus, non modo Caesaris et Petreii Afraniique bello nobilitatam, sed celebrem etiam nunc ecclesia cathedrali, et generis omnis doctrinarum gymnasio florentem urbem, quam Sicoris fluvius amoena simul et felici ripa praeterlabitur.

XXIII. Oriuntur autem tum Sicoris et Cinga, tum Gallicus et Arago fluvii in montibus Pyrenaeis, feruntur-

turque in Iberum per illas aridas extra ripas sitientesque regiones, quae raris pluviis madefiunt, rarissimos fontes habent, puteos quoque raros, et eos altissimos, et plerosque incommodae et salsioris aquae: itaque vulgo juxta vicos et castella humilioribus locis terra egesta capaces stagnorum alveos efficiunt, quo hyeme aquae pluviae colligantur, ac ex editioribus locis vel sua sponte, vel per incilia manu facta confluant. Horum stagnorum capacioribus jumenta pecusque ad aquam appelluntur, commodiora et mundioris aquae hominum usui reservantur; habent etiam quidam tectas cisternas praealtas, sed rari aquas item pluvias eodem fere modo excipientes, quo per gradus hauriendi gratia descenditur. Sed his aquarum receptaculis saepe propter imbrium raritatem exhaustis et assiccatis, propius alii, pars a decem ac duodecim passuum millibus aquam ex fluminibus petere coguntur, quam utribus cupisque advectam servant, parceque dispensant: quo malo usque adeo jam tertium annum laborabant, ut multi de migrando cogitarent: quin etiam eo anno tantae siccitates per omnem fere Hispaniam fuerant consecutae, ut a mense Octobri superioris anni usque ad Septembrem exactum vix terra fuerit madefacta, rarissimis multorum mensium intervallo, eisdemque tenuissimis imbribus decidentibus, cum tamen nubes coelum obtegere numquam fere desisterent, et terris sitientibus quasi Tantalo, ut est in fabulis, aquam ostentare. Ceterum ad fruges alendas imbrium penuriae irrigationibus medentur. Nam ex fluminibus per incilia et rivos aquas ducunt, et tum in frumentarios agros, tum in oliveta hor-

hortosque et vineas immittunt, qui fructus, cum ex aliis fluminibus, hinc ex Pyrenaeo, illinc ex Idubeda defluentibus, magnus, ex Ibero tamen ceteros excipiente, tenuis ac paene nullus ante capiebatur.

XXIV. Ceterum nuper Caroli jussu magnoque sumtu quatuor circiter passuum millibus infra Tutelam Navarrae urbem opportuno loco Iberus sic derivari coeptus est, ut omnes omnium fluminum commoditates aequaturus esse videatur, ducta capaciore incili fossa per vallem, quae longe lateque patens Ibero ac Idubeda continetur, quae fossa septum habet a laeva secundo flumine navigantibus, quod transversum per totum fluminis alveum, non recta, sed secundum ejus naturam ab altera ripa ad incilis fauces deducitur. Constat autem ex tribus magnorum truncorum, quo diximus modo, ductis ordinibus, qui trunci, averso per partes, dum opus efficitur, flumine, machinationibus in terram defixi, inter se infra supraque trabibus adiguntur; tum ex transverso cum diversi ordinis truncis colligantur. Tribus his truncorum ordinibus totidem grandium saxorum perpetui ordines applicantur, duobus scilicet dumtaxat intervallis relictis, quibus glarea commista calce repletis, munitiones exsistunt contra omnem aquarum impetum invictae. Hoc septum non amplius exsurgit, quam satis est ad fluminis transcendentis partem infimam incile versus repellendam, ut ad molas aquarias fieri, sed leviore opere consuevit; ad dextram vero eadem incilis fossa pro septo habet latissimum ex quadratis lapidibus parietem, ad impetentium aquarum vim, ne terrenam crepidinem excedendo labefactent, infringendam; ad fauces,

ces, quibus primum aquae ex flumine derivatae excipiuntur, cataracta impendet firmissima, qua, cum res poscat, demissa, minui influentes aquae, aut prorsus etiam averti possint; faucium autem aedificium tam latum est et firmum, ut domum quasi turrim impositam facile fulciat, quam domum habitat operis praefectus, quaeque magno suo pondere auget etiam subjecti quasi pontis firmitudinem. Lata pedes circiter duodecim fossa procedit per vallem pontibus, qua fluminum torrentiumque alveis interruptae partes occurrunt, aequatam, praecipue qua Salon fluvius in Castellae finibus juxta Methymnam, ab ipso, ut arbitror, cognominatam, exortus, magnas et ipse commoditates Aragonensibus suppeditans, decurrit; hunc enim per instructum pontem fossa cum aqua derivata traducitur: sunt autem opportunis locis ex intervallo foramina ad emittendam per elices aquam, eadem paene forma, atque primores fauces, sed angustiora, et magnitudini convenientibus cataractis ex quadrato lapide constructa.

XXV. Ex Ilerda Tarragam Cervariamque venimus, oppida una leuca, sed infami longitudine, inter se distantia. Nam cum leuca Hispanis communiter quatuor passuum Romanorum millibus conficiatur, hanc plus septem millibus quingentis patere certissima mensura comperi, filo scilicet in hoc comparato, et ad pedem Romanum emenso. Est autem pes Romanus pars quinta passus, ejus vero mensurae, quam *varam* Castellani nominant, tertia parte uno fere transverso digito longior. Itaque passus una *vara*, et tribus quartis partibus longitudine patet. Hinc Rubricato fluvio, qui ve-

tus vocabulum non prorsus amisit, quique ortus in Pyrenaeo saltu mare nostrum duobus passuum millibus a Barcinone ad solis occasum influit, trajecto, Barcinonensem agrum intravimus. Cum urbi appropinquaret Philippus, eodem fere modo, quo ad Caesaraugustam, exceptus est, eademque caerimonia postridie juratus, civitatem in fidem recepit, ut paucis post diebus Valentiam, de quarum gentium institutis non erit huic loco alienum pauca brevi commemorare.

XXVI. Harum trium gentium status civilis nec prorsus est Regnum, nec plane Respublica, sed ex utroque temperatus. Est enim, ut philosophi definiunt, Regnum, quod proprie intelligatur, in quo vir unus consilio et justitia praestans, bonum publicum spectans, cuncta gerit suo arbitratu et voluntate: Respublica vero, ubi multitudinis bonum publicum intuentis voluntate res communis administratur. Status igitur harum civitatum similis est ei, quo Lacedaemonii quondam utebantur, postquam a Theopompo Rege moderatissimo Ephori, ad quos erat a Regibus provocatio, licentiae Regiae fuerunt oppositi, dum ita se putaret non solum publico civitatis bono ac felicitati consulere, sed etiam Regni diuturnitati, quippe imperium, quo justius et temperatius, hoc firmius et magis perpetuum fore, sapientissime Theopompus judicabat. Nam pro Ephoris Aragonenses Magistratum habent, *Justitiam* Aragonensem appellatum, quo vindice legum utuntur: has enim dominari, nec Regis arbitrio inferiores esse volunt, magnis scilicet, ut ipsi memorant, philosophis auctoribus, qui, quamquam non semper optimis et sapien-

pientibus viris imperia traduntur, oportere docent in quacumque recte instituta republica leges dominari, nec qui imperium tenent, sive unus, sive plures sint, horum arbitrium summamque potestatem aliarum esse rerum, quam de quibus lege caveri non potest. Sunt enim multa, de quibus propter inconstantem rerum agendarum naturam nulla simplici lege exacte caveri potest. Nam legibus etiam naturae, quae plerumque recta sunt, sanciuntur, non quae semper, ut naturale est; non quod semper efficitur eodem modo, sed quod magna ex parte: ut imperantium potestas et officium sit, non suo arbitratu et libidine, sed ex legibus recte institutis Regnum aut Rempublicam administrare; ubi autem leges deficiunt aut desiderantur, prudenti decreto ex aequitate providere; quamquam ne hoc quidem ultimum Aragonensium Regi permissum est, nisi ex publico Consilio; nec ei licet, praeterquam in bello, indicta causa in quemquam animadvertere; nec si Magistratus ille, cujus officium plerumque a reis imploratur, intercesserit; quod efficitur dupliciter, aut enim Regi Regnumve ipsius vicem procuranti denuntiatum mittit, ut differat causae cognitionem, tempusque praescribit, ne ira scilicet aliave animi perturbatione Rex impulsus injuriam inferat; aut, si visum ita fuerit, causae cognitionem prorsus interdicit, sibique sumit; nec licet Regi contra intercessionem quidquam vel facere, vel constituere.

XXVII. Catalani et Valentini hunc tamquam Ephorum non habent, leges tamen, quibus auctoritate Regia et publico Consilio conditis utuntur, a Rege vio-

 la-

lari, aut indulgentia aliave ratione, praeterquam publico Consilio suffragante, minui vel temperari non permittunt, eas praesertim, quae publicam libertatem attingunt: has enim magno consensu pertinacissime tuentur. Sed cum multa sint harum trium gentium instituta, quae merito possint laudari, illud tamen ceterorum fere omnium judicio vehementer improbatur, quod publice portoria sic habent constituta atque locata, ut neminem fines eorum intrantium aut exeuntium, ne Regem quidem ipsum, immunem esse patiantur: itaque portitores non modo ceterorum, sed Regis etiam arculas, ne quid lateat, unde portorium debeatur, procaciter perscrutantur. Quam indignitatem, quae mihi maxima nec ferenda esse videbatur, cum quibusdam ipsorum familiariter exprobrarem, hanc ejus rei causam et excusationem afferebant, quod Regis exemplo ceteros adduci velint, ut aequo animo ferant exactiones ejusmodi, qua bona pars tributi Regi pendendi conficitur; et alioquin esse in Regis potestate reddere se suosque familiares portoriorum immunes, aliquam scilicet portionem ordinarii tributi remittendo. Quae excusatio, aut fallor, aut parum habet vel ponderis, vel honestatis; nec enim exemplum a Rege petendum in his rebus est, quae longe abhorrent a Regis dignitate; et consuetudo tantopere improbata, quacumque ratione, vel cum magna jactura et impendio tollenda esse videbatur, nec committendum, ut in Regem, quem omni officio ac pietate colere fas est, a suis contumelia per avaritiam inferri videatur. Quod hoc inhumanius inurbaniusque Castellanis videri solet, quoniam, cum

cum multa portoria sint intra Castellae fines ex plerisque rebus, quae ultro citroque importantur, imposita, omnium tamen immunitatem habet quicumque vir honestus et honoratus iter facit, nec sarcinae jumentorum excutiuntur, dum tamen insignito velamine, quod *reposterum* nostri vocant, ut est honoratorum hominum consuetudo, contectae deferantur, praeterquam Hispali, ubi praeter Reges Regumque liberos, et item Sacerdotes, nemo est portoriorum immunis ob situm urbis, et rerum, quae huc ex omnibus fere mundi partibus terra marique importantur, et inde vicissim quoquoversus exportantur, genus et magnitudinem. Hujus igitur Aragonensium instituti, non aliam causam fuisse puto, quam quod eo libertatis exemplo Regem suum admoneri volunt se quoque legibus esse subjectum, easque esse in reipublicae potestate, quibus ipse non possit arbitratu suo moderari.

XXVIII. Sed haec hactenus, quae de Aragonensium regionis locorumque natura, et reipublicae ratione non sine causa disseruimus: jam ad Carolum redeamus, qui dimisso Andrea Doria, in Italiamque redire jusso, et Perpinianum custodiae gratia manu Germanorum inducta, Valentiam proficiscitur, perque oram maritimam Tarraconem venit, urbem nunc parvam et tenuem, olim opulentam, et quae tertiae eidemque maximae parti Hispaniae nomen dedit. Hinc Dertosam processimus, urbem ad ripam Iberi amnis sitam, qui non procul inde exit in Ibericum mare, tam latus tantaque altitudine, plurimis longo a Cantabris usque repetito cursu fluminibus acceptis, ut jam lapidei pontis impatiens,

li-

ligneo super magnas cymbas instructo transeatur. Saguntum deinde, parvum nunc oppidum progressi, veteris et fide inclitae urbis, in latere deficientis Idubedae montis sitae, ruinas vidimus vestigiaque, praeterea theatrum semidirutum, multaque nobilium Romanorum erecta sepulcra, inscriptasque bases libenter conspeximus.

XXIX. Cum Valentiae Carolus appropinquaret, ipse cum paucis antegressus, ad praetorium suburbanum, quod *Regale* dicitur, Turio flumine praeterlabente, divertit, Philippo filio longiore intervallo subsequente, cui civitas omnis, ut erat ex Caroli voluntate constitutum, obviam effusa, intra urbem deduxit, ut hanc eadem caerimonia, qua Caesaraugustam et Barcinonem, in fidem reciperet: quo negotio ad templum maximum patrato, Philippus extra urbem ad patrem reducitur. Nam idem praetorium ambo, donec in Castellam profecti sunt, cohabitarunt. Urbs haec, quae tribus fere passuum millibus a mari distat, specie ac firmitudine aedificiorum cum optimis comparanda, magno quidem murorum ambitu continetur; sed multo majore frequentia hominum habitatur, qui, praeter nobilitatem, mercaturam fere exercent, et omnis generis artificia, sed ea in primis, quae pertinent ad telas bombycinas conficiendas. Perpauci enim agriculturae dediti sunt propter angustiam et sterilitatem regionis, quae frumentarios agros vinetaque et prata parce admodum suppeditat, ut sit necesse frumento et vino atque pecore plurimum importatis uti. Frugiferarum arborum magnam habet copiam suburbanus ager, praeci-

cipue mororum, quarum foliis sericarum, quasi lanarum parentes et opifices, bombyces alunt, itemque malorum citrearum omnis generis, quibus hortos efficiunt amoenissimos opere topiario; fert etiam optimi sacchari magnam copiam, ex quo bellaria mille modis Valentiae conficiuntur; quae commoditates fere omnes Valentinis Turii praeterfluentis amnis beneficio contingunt, ex quo per incilia ducendis aquis steriles agros, sed stercore praeparatos, fecundant; hinc et oryzae aqua gaudentis magnus proventus, cujus paene quotidianus usus popularibus nonnihil sublevat inopiam rei frumentariae. Ita cum Valentinus ager longe amoenior sit quam uberior, ratioque vivendi popularium tota paene urbana, et operae umbratilis ac sedentariae, et a rusticis laboribus, quique animos et corpora durare solent, abhorrentis, efficitur, ut a voluptatibus in tanta earum occasione aegre possint homines temperare.

XXX. Ex Valentia Carolus Complutum venit, et cum filiabus, quae huc ex Madritio migraverant, Christi Natali et proximis festis diebus actis, Madritium pervenit ineunte anno, qui fuit Christi nati millesimus quingentesimus quadragesimus tertius. Huc cum Regia Consilia ex Valdolito convenissent, imponendum esse finem statuit incepto negotio de rebus ad novi Orbis et insularum adjacentium administrationem, hujusque Consilium pertinentibus. Saepe enim Carolus Caesar multos ante annos a monachis et religiosis hominibus admonitus fuerat, magnas a nostris injurias illarum regionum mortalibus inferri, quos ad opera servilia metallorum causa tam crudeliter abstrahebant, ut pars labo- ANN. M. D. XLIII.

boribus confecti animam efflarent, alii taedio laboriosissimae ac miserae vitae sibi mortem consciscerent. Quibus malis providere volens Carolus, anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo nono, cum in Italiam coronae gratia proficisceretur, Archiepiscopo Compostellano per litteras mandavit, ut cum Regio Castellae Consilio, cujus ipse Praefectus erat, illo altero, quod Indicum appellatur, et item Quaestoribus, qui Computatores nominantur, coactis, de illarum gentium statu consultarent, et qua potissimum ratione commode, ac sine injuria illis imperaretur, constituerent. Hoc cum esset non negligenter administratum, et quaedam ad Barbarorum libertatem pertinentia decreta facta, ea tamen a nostris partim accepta non fuerunt, partim male servata.

XXXI. Commorabatur id tempus ad Hispaniolam insulam Bartholomaeus Casas monachus Dominicanus, qui re, cujus causa in novum Orbem venerat, infeliciter imprudenterque gesta, et manu rusticorum, quam a Carolo adolescente et amicis Belgis ad res magnas, ut confirmabat, gerendas impetratam ductabat, amissa, monachatum susceperat. Is monachus, sive Barbarorum misericordia, itemque religione, sive studio rerum novarum, quarum natura cupidus, et seditiosus erat, inductus, in Hispaniam cum socio Roderico Andrada reversus, Carolum Caesarem, qui paulo ante ex Argeliensi expeditione redierat, de Barbarorum calamitatibus et intolerandis injuriis, socio praesente et attestante, certiorem facit, multasque insulas ac partem etiam Continentis ex magna frequentia in solitudines redactas esse do-

docet avaritia et crudelitate nostrorum, et multos contra jus et fas in servitutem abstractos, cuncta verbis exaggerando, et falsa veris affingendo; quorum malorum culpa et causa nihilo magis eorum esset, qui praesentes inferrent injuriam, quam quibus auctoribus temere ex Hispania praefecturae mandarentur, quorum scilicet indulgentia impune illi grassarentur; ipsumque Carolum Caesarem orat, ac per Deum Christum obtestatur, ut humanitatis, officii, religionisque memor, tantis miserorum et nihil tale meritorum hominum calamitatibus prospiceret, nec pateretur homines innocuos barbara et immani saevitia contra jus et fas inusitatis et intolerandis laboribus cruciari.

XXXII. Haec Bartholomaei monita precesque non mediocriter adjuvit vir singulari religione, doctrina, et humanitate Jacobus Sancti Petri cognominatus, monachus et ipse Dominicanus, qui Regis erat *Confessor* (sic enim Sacramenti poenitentiae administer a nostris nominatur) eidemque propter magnam sanctimoniae et singularis religionis opinionem acceptissimus. Is enim quae a monachis illis acceperat proponendo, et quid officii religionisque ratio posceret graviter explicando, facile Regi, uti negotium accuratius susciperet, persuasit. Hujus rei gratia Carolus Sebastianum Ramirem, qui conventui Valdolitano praeerat, et multos annos duobus ad novum Orbem conventibus praefuerat, itemque Osorni Comitem, Franciscumque Covum, et duos jure consultos ex Regio Castellae Consilio, et unum ex Consilio religionum equestrium jubet cum Indico Consilio hujusque Praefecto Garcia Loaisa Hispalensi Ponti-

fice et Romano Cardinali convenire, et diligenter quae monachi nuntient, audire, quaeque ad earum rerum justam et commodam provisionem pertinere videantur, consultare. Ii cum de commisso munere dies aliquot convenirent, Bartholomaeus monachus artificiose, ut erat natura disertus et vafer, de injuriis ab Hispanis in Barbaros illatis saepe in Conventu disseruit, et quae ad justam et humanam, Rege denique Christiano dignam illarum gentium administrationem pertinere putaret, et veris amplificandi gratia falsa quaedam affigendo disputavit. Quibus auditis, illi, longiore in haec habita disceptatione ac deliberatione, quid optimum esse factu videretur, constituunt, et Carolum Caesarem certiorem faciunt.

XXXIII. Carolus admonitus, quosdam ex Indico Consilio non satis incorrupte munus suum obivisse, quaestione decreta, Consilium Indicum ad se vocat; hoc est, cum Cardinali Praefecto quatuor viros jure consultos, et Osorni Comitem, Fiscique Praefectum, et Samanum scribam, et, cujus hic vicem gerebat, Franciscum Covum; eisque coactis, habere se dixit quae ad hanc causam cognoscendam ipsorum testimonio vellet edoceri, ad eaque jubet eo triduo singulos scripto, ut ipse scripto rogabat, juratos respondere. Ii cum ad diem dato jurejurando respondissent, Carolus Consilii Praefectum se in Aragoniam Montisonemque Concilii gratia proficiscentem sequi jubet, et quatuor viris Consiliariis, ne de communi officio ante peractam quaestionem causamque dijudicatam convenirent, interdixit, et perquirendi negotium, quod ipse per se obire, ut vel-

velle ostendebat, non posset, Joanni Figueroae jure consulto ex intimis suis Consiliariis commisit. Hic rogatis multis testibus, et quorumdam adversus testimonia se purgare nitentium excusationibus auditis, et actis omnibus sua manu scriptis atque digestis, ex Valdolito Montisonem, ut jussus fuerat, contendit.

XXXIV. Ab hoc Carolus voce scriptoque rem omnem edoctus, judicium tamen ferre distulit, donec in Carpetaniam Madritiumque revertisset. Tum vero causa retractata, pronuntiataque sententia, duobus ex quatuor viris seu Consiliariis, Joanne Bernale Luco, et Gutierre Velasque, quorum innocentia et integritas nullius testimonio laedebatur, collaudatis, duos Consilio removit, quorum alterum, quoniam et Episcopus erat, et levius deliquerat, Regiam aulam sequi non prohibuit, quin ejus opera postea multis et gravibus in rebus est usus; alterum propter magnam vim pecuniarum acceptam, dupli etiam aliisque ignominiosis poenis ac exsilio mulctavit: ejusdem quoque Cardinalis Praefecturam eodem jure abrogari potuisse, nec abfuisse ab ea mente Carolum fama fuit, Episcopo etiam Conchensi, quem Valdolitani Conventus Praefectum esse demonstravimus, ut in locum ejus sufficeretur, accersito; sed tandem Carolum personae dignitati pepercisse, ad quam ille ipsius beneficio fuisset evectus, hac quoque vel in primis ratione prohibitum, ne, quem aliquot annos sacramenti confessionis administrum et religionis magistrum habuisset, hujus ipse mores palam damnasse videretur.

XXXV. Episcopus vero Conchensis, retenta con-


ventus Praefectura, in locum Comitis Osorni successit, qui vice absentis Cardinalis Indico Consilio praeesse solebat, suffectisque duobus jure peritis, res dignitasque Consilii in pristinum statum redierunt, leges quoque promulgatae a Carolo nimium ad Barbarorum libertatem pertinentes, quippe quibus cavebatur, ut Barbari eodem jure in posterum uterentur, quo in Hispania populares Regiae ditionis, nullique procerum in clientelam dati mortales utuntur; praeterea, ut qui provinciarum Praesidibus vel cujusque generis Magistratibus, aut Ecclesiarum Antistitibus dati essent in clientelam, ii omnes ab ea liberi essent atque soluti, ne qua peccandi occasio rempublicam administrantibus relinqueretur, quominus aequo jure ceteros omnes in officio continerent. Reliquorum autem siquis jure clientelae in eos, quos liberalitate et privilegio principali in fidem recepisset, crudeliter imperando abusus fuisse convinceretur, hic quoque jure clientelae privaretur. Item, ne qua in posterum ratione Barbari, ne rebellionis quidem causa, in servitutem redigerentur, neve cuiquam in clientelam traderentur; praeterea ne qua expeditio posthac in Barbaros susciperetur.

XXXVI. Sed hae leges cum parum aequitatis habere viderentur, nec ab Hispanis regiones illas obtinentibus acceptae sunt, et magnorum inter ipsos motuum causae fuerunt. Nam jure et libertate aequari cum victoribus longeque virtute omni praestantioribus viris Barbaros et nuper pacatos homines, iniquum et imperii perpetuitati alienum esse videbatur; spoliari autem viros fortes praemio, quo virtutis causa donati fuissent,

sent, a justitia procul abhorrere: qua de re cum inter viros eruditos magna contentione fuisset disputatum, nos quoque edito libello sententiam nostram explicavimus, quorumdam praestante alioquin eruditione Theologorum errore multifariam convicto, qui hos Barbaros injuste et contra legem divinam a nostris in ditionem redactos esse contendebant: quae prava persuasio iniquarum et inutilium legum magnarumque ad illas provincias perturbationum origo fuit. Sed de his rebus suo loco pluribus verbis memorabimus.

XXXVII. His rebus constitutis, Carolus, dum profectionem parat in Belgium, in curam rerum ad Hispaniae Castellaeque administrationem se absente pertinentium conversus, Philippum filium Regno cum summa rerum omnium potestate praeficit, perpaucis rebus exceptis, quas nisi per se aut se consulto fieri, nulla ratione volebat. Sed quia ne tunc quidem Philippus ad gubernandi maturitatem pervenerat, sex viros magnae prudentiae et auctoritatis Consiliarios attribuit, quibus adhibitis, consilium pro re ac tempore caperet, resque maximas administraret. Hi fuere Joannes Tavera, et Garcias Loaisa, Toletanus et Hispalensis Pontifices, iidemque Ecclesiae Romanae Cardinales, Fernandus Toletus Dux Albanus, Garcias Fernandus Manricus Osorni Comes, duoque Praefecti religiosorum equitum Franciscus Covus, et Joannes Zugniga. De institutione vero studiisque filii jam ab anno superiore placuerat Carolo, ut cum Episcopo Carthaginensi praeceptore Honoratus Joannes Valentinus, homo domi nobilis, Graece et Latine doctus, et Joannes Genesius Se-

Sepulveda Cordubensis, qui haec memoriae prodebat, congressibus litterariis interessent, ut Philippus, his Latine cum ipso et inter se colloquentibus ac disputantibus, sermoni Latino magis assuesceret, ne, cum in Regnum successisset, semper ei esset per interpretem cum exterarum nationum Legatis colloquendum.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

I. BELLO Perpinianico Carolus Caesar a Francisco Gallorum Rege, ruptis induciis Nicaenis, et violata fide ad Fossam Marianam amicissime data, lacessitus, ut injurias persequeretur, in Germaniam Belgiumque per Italiam ire constituit, ut commodius ea parte bellum Gallis inferret; cujus rei causa ad Andraeam Doriam mittit, et quam ad diem eum cum triremibus sibi ad Barcinonem praesto esse vellet, ostendit, eodemque ceteras naves compelli, praesidium convenire, et necessaria comparari jubet. Quibus rebus diligenter administratis, et classe quinquaginta quatuor longarum navium et onerariarum quadraginta coacta, Kalendis Majis, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus quadragesimus tertius, ex Barcinone in Rhodopes portum adnavigavit, ibique exspectata idonea tempestate, decimo sexto Kalendarum Junii naves solvit, octavoque Genuam appulit, ubi multos viros nobiles principesque offendit, et in his Fernandum Gonzagam ex Sicilia advectum, quam pro Rege procuraverat, et Alfonsum Avalum Vasti Marchionem cum uxore; prae- ANN.M.D.XLIII.

te-

terea Petrum Aloisium Castri Ducem, Pauli Pontificis filium, ac Franciscum Estensem Ducis Ferrariae fratrem, qui adventum Caroli, alii officii assectandique gratia, alii negotiorum suorum causa exspectabant; eoque triduo Carolus Sabaudiae Dux, et Emanuel Philibertus filius affuit.

II. Paucos dies ad Genuam moratus Carolus, per Tortonam, Bogueram, Pado Ticinoque fluminibus per temporarios ex naviculis confectos pontes trajectis, Papiam venit, quo Margarita notha filia processerat, ut Carolum salutaret. Ex Papia Carolus Cremonam venit, ubi ei Cosmus Medices Florentinorum Dux praesto fuit, negotiumque Florentini Principatus transegit, rebus ita constitutis, ut arces tum Florentina, tum etiam Liburnensis, quas Carolus ad id tempus cum praesidiis, quae Cosmus alebat, tenuerat, in Cosmi Ducis potestatem permitterentur, is in stipendium militare ducatorum aureorum millia bis centum Carolo numeraret; quorum utrumque factum fuit bona fide. Huc quoque Ferrariensis Dux officii et salutandi gratia venit, et item duo Cardinales a Paulo Pontifice Legati, ut locum constituerent, quo Paulus Pontifex et Carolus Caesar colloquendi gratia convenirent. Locus autem idoneus Parma, vel Placentia, quo Pontifex processerat, videbatur: sed propter veterem controversiam, quae de his urbibus Pontificibus Romanis est cum Ducibus Mediolanensibus, Paulus eis metuebat, si cum manu militari eo Carolus venisset, is autem sine praesidio venire nolebat. Ita post longam disputationem constitutum est, ut ad Bussetum immunitum Castellum medio fe-

fere loco inter Placentiam et Cremonam colloquerentur.

III. Huc Carolus cum sua familia processit, trecentorum satellitum consueto praesidio stipatus, quorum centum erant equites cataphracti ex Burgundia, *Archieri* nominati, et pedites ducenti, Hispani centum, et totidem Germani, brevibus hastis, quas vocant *Alabardas*, armati, quam manum quingentorum praeterea Hispanorum cohors subsequebatur; Pontificem par numero Italicorum praesidium, ut convenerat, assectabatur; uterque autem ad arcem castelli divertit, ibique dies quinque commorati sunt, et ter collocuti; bis enim Carolus Pontificem adivit, Pontifex semel dumtaxat Carolum: sed quotidie per internuntios cum loquerentur, nihil tamen inter eos convenit. Carolus enim, ut generale Concilium ecclesiasticum Tridentum indictum Ecclesiae tam necessario tempore perageretur, postulabat. Hoc a se Pontifex impetrari posse negabat, nisi Parmae et Placentiae Principatum a se filio Petro Aloisio et posteris in perpetuam possessionem traditum Carolus confirmaret, quod Carolus injustum esse reputabat. Ita dum alter justitia et pietate, alter avaritia et praepostera ambitione pessimo exemplo, praesertim tali tempore, ducitur, re utrinque infecta, colloquium dimittitur.

IV. Carolus Cremonam cum revertisset, in rerum bellicarum curam conversus, Fernandum Gonzagam quatuor millibus Hispanorum et totidem Italicorum, Franciscum Estensem quingentis Italicis equitibus levis armaturae praeesse, cumque his copiis in Germaniam con-

tendere jussos dimittit; ipse cum sua familia Canem procedit, castellum in agro Mantuano, quo Franciscus Gonzaga Dux Mantuanus puer cum matre et Hercule Gonzaga patruo Cardinale ad Carolum officii salutandique gratia venerunt. Cum Piscariae Venetae ditionis castello ad lacum Benacum Carolus appropinquaret, quatuor Legatos obvios habuit, a Senatu Populoque Veneto officii honorisque causa missos, qui cum ducentorum circiter equitum praesidio et magno nobilium virorum comitatu accedentes, Carolum suppliciter cum salutassent, Senatus ei ac populi Veneti voluntatem deferunt, ac prolixe pollicentur, vicissimque Carolus Legatis, ut par erat, honorem habuit, et populo Veneto liberaliter de sua voluntate repromisit.

V. Ante portam castelli Canis erant quadraginta amplius pane, vino, vitellis, arietibus, avibus, et omnis generis bellariis, praeterea vitreis magni pretii vasis, et candentibus cereis onusti, quae Carolo Legati muneri dederunt. Intra castellum autem pegmata erant et arcus erecti, et cetera in solemni laetitia fieri consueta. Itaque magna cum gratulatione et caerimonia fuit in Piscariam receptus, a quo castello lacus idem aquae dulcis, cui appositum est, lacus Piscariae, et ab altero *Gardae* lacus hoc tempore dicitur, antiquitus, ut dixi, Benacus vocabatur, unus ex decem inclitis lacubus, qui in Italiae decima regione memorantur, piscatione omnium maxime memorabilis, praesertim carpionum, qui pisces reliquis in locis visi non sunt, palato gratissimi, iidemque saluberrimi. Degunt hi et capiuntur in alto, id est, ad medium lacus, qua parte al-

altissimus est; quos auro nonnumquam pasci, argumento sunt aurea grana in gutture quorumdam reperta: sunt autem fere librales, cum turtures alat lacus idem tricenarum etiam librarum; nec mirum, nam in Lario ejusdem Cisalpinae Galliae lacu centenarios provenire Paulus Jovius ejus accola Novocomensis est auctor in libro de *Piscibus*, nobilis scriptor, qui nostrae memoriae universalem historiam persecutus est.

VI. Illud quoque nostri in Benaco demirati sunt, quod quas Hispania cum Columella *Sardinas* vocat, in cetero orbe marinarum aquarum incolas, has in eo natas conspexerunt; et quod circum eumdem lacum non oleas modo praeter algentis regionis naturam, sed citreas etiam arbores, aurantias, et limonia provenire compererunt. Opinor quia Benacus pro multitudine receptarum aquarum (nam Mincium quoque fluvium accipit et reddit) nonnihil ad maris naturam accedit, propter causas quae salsedinis et caloris marinarum aquarum a Philosophis redduntur, quae causae valent eodem modo in magnos lacus, qui rivos et fluvios recipiunt: sed discrimen est in paucitate et multitudine siccarum evaporationum, quae cum vaporosis a sole in sublime tractae rursus in pluvia descendunt, et fluviis atque rivis ad ima deferuntur: quae quo majores sunt, hoc salsiores et calidiores aquas reddunt, quocumque fuerint perlatae, unde calor in proximas terras per subterraneos meatus transmittitur.

VII. Carolus ex Piscaria postridie profectus, Venetis Legatis deducentibus, paulo ante Doltium castellum Ahtesim trajecit, quem fluvium Veneti temporario

ponte commiserant, ex naviculis aptissime confecto, firmissimo rectissimoque, aulaeis et tapetibus dextra laevaque decorantibus, item frondeis orbibus, qui Caroli Caesaris insignia cum Venetorum hinc inde complectentibus insignibus continebant. Erant in aditu exituque pontis arcus duo ex ligno aedificati; sed tanto artificio confecti, et ad speciem lapidis colorati, ut occulatissimos etiam fallerent.

VIII. Tridentum cum venisset Carolus, ex tribus Cardinalibus, quos eo Paulus Pontifex, ut suam vicem Concilio praesiderent, miserat, jam duo discesserant, ab eodem Pontifice revocati, unus remanserat Episcopus Mutinensis. Huic Gaspar Avalus Compostellanus Archiepiscopus, et Franciscus Mendoza, Martinusque Gurrea, Giennensis et Oscensis Episcopi, qui cum Carolo venerant, praesto fuerunt, sibique ceteros Hispaniae praesules de Concilio agendo, dum ipsi pervenirent, mandasse docuerunt. Sed eodem Cardinale Concilium non esse processurum confirmante, ne tempus Tridenti tererent, Carolum assectari ipso non invito constituerunt. Triduo Carolus Tridenti commoratus, proficiscitur, et superatis summis Alpibus aquarumque divortiis, Oenspruchum venit, oppidum primarium, et conventus Tirolis Comitatus. Hinc per Municham et Ulmam, quae est in ripa Danubii, nono Kalendas Augusti Spiram Rheno appositam urbem pervenit, ubi dies aliquot commoratus est, dum milites tum in Italia, tum in Germania per conquisitores conscribi jussi, convenirent ad bellum, quo Guiliermum Geldriae, Juliaci Cleviaeque, ter scilicet Ducem, deinde

de Franciscum Regem Galliae persequi cogitabat.

IX. Guiliermus enim cum esset in Caroli, quia Imperator Romanorum erat, clientela, Regi tamen Gallorum studebat, ejusque permissu et voluntate anno superiore Martinus Rossemius natione Geldrus, a Rege Francisco pecunia in usum militarem accepta, et in finibus Guiliermi ejusdem collectitio exercitu coacto, Bravantiam hostiliter invaserat, multisque castellis et vicis captis, Antuerpiam Lovaniumque tentavit: sed virtute oppidanorum, hic adolescentibus compluribus, qui studia litterarum aemulabantur, illic mercatoribus adjuvantibus, rejectus est, maximis tamen ubique detrimentis illatis. Sed adventante cum exercitu Renato Uraniae Principe a Regina Maria misso, sese in Galliae Regiae fines recepit. Quam indignitatem, etsi Carolus, ut par erat, aegro animo tulerat, nec inultam relinquere volebat, tamen cunctis rationibus bellum praeferendum putabat, quo Francisci Regis, illorum quoque malorum auctoris, et a quo nuper rupto foedere fuerat provocatus, recentes injurias persequi constituerat.

X. Ne se igitur cum exercitu in Galliam interiorem ingresso, aliquid ad Flandriam atque eas regiones a Guiliermo moveretur, Joannem Zapatam ad ipsum ex itinere de induciis Legatum miserat; sed has Guiliermus superbo et elato animo temere repudiavit. Quo renuntiato, Carolus, refricata simul superiorum injuriarum memoria, sic exarsit, ut omnem impetum belli in Guiliermum primo quoque tempore convertendum decerneret. Volens igitur Guiliermi superbiam coërcere,

et

et temeritatem atque perfidiam punire, in fines olim Menapios, nunc Juliacenses dictos, Duram oppugnandi gratia copias inducit, explorataque situs natura, idoneo loco castra ponit, quo postridie Dux Uraniae cum Belgarum peditum octo millibus, equitum vero cataphractorum duobus pervenit.

XI. Erat Dura firmo muro et duplici fossa tormentisque, praeterea militum et oppidanorum millium circiter quinque valido praesidio munita. Tormentis oppugnandi gratia collocatis, milites Hispani Italique disponuntur, quorum bona pars in priorem fossam silva ex proximo petita male completam, se dejecerant, et in aqua vix humeris exstantibus permanebant; tum murus magno impetu a prima luce quati tormentorum globis coeptus est, Fernando Gonzaga curante, quem sibi Carolus legaverat, et sibi proximam imperandi potestatem tradiderat. Sed oppugnatio hoc erat difficilior, quod muro intrinsecus aggesta terra tantum firmitudinis addebat, ut solo aequari nulla vi tormentorum posset. Ceterum diruta parte superiore, Hispani signo non exspectato, morae scilicet impatientes, et simul nonnulli Italorum, murum conscendere conantur. Sed hunc defensores tam acriter tormentis undique et omni telorum genere tuebantur, ut in tertiam horam hoc certamine producto, et multis nostrorum concisis, pluribus vulneratis, Gonzaga inciperet de expugnatione diffidere, et jam nihil magis quam de tuto receptu cogitaret.

XII. Itaque nona oppugnationis hora, consilio cum Petro Corduba Feriae Comite et cum Terrae novae

Mar-

Marchione, qui aderant, communicato, Marchionem eumdem ad Carolum mittit, qui de periculo militum suoque consilio nuntiaret, peteretque, uti jaculatores Germanos submitteret, quibus eminus jaculantibus, atque hostes cohibentibus, Hispani ac Itali tutius sese reciperent. Sed vix nuntio accepto, Carolus, qui cum reliquis suis purpuratis a remotiore loco certamen spectabat, animadvertit, murum a paucis suorum teneri, hi autem erant Hispani, magno animo magnaque pernicitate subeuntes, qui numero celeriter aucti, hostem tamen, qui relicto muro ex loco inferiore fortissime propugnabat, telaque conjiciebat, diu propellere non poterant; erat enim descensus praeceps et periculosus. Postremo multis subsequentibus, primi, qui telis hostium expositi cum maximo suo periculo ex muro depugnabant, sese intra moenia dejecerunt. Ita paucis magna virtute impetum oppidanorum sustinentibus, ceteri, alii super alios, de muro desilierunt, et brevi tempore augescente numero, hostes loco submoverunt, multisque occisis, aliis captis, oppido potiuntur; quod non solum direptum est, sed etiam a Germanis, ut fama fuit, pro sua consuetudine incensum, vix impuberibus et feminis ereptis; quae turba singulari cura Comitis Feriae, et Caroli ab eo admoniti jussu in templum maximum, quo pars etiam sponte sua confugerat, inducta fuit, et a Clericis aulicis cum nonnullis praetorianis militibus asservata, deinde templo etiam incenso, in castra cum Sacramento corporis Christi rebusque sacris translata, donec incendium, quod perpaucis aedificiis pepercit, exstingueretur.

Ex-

XIII. Expugnata et direpta incensaque Dura, et puberibus, ut Carolus ceteros conterrendi causa imperaverat, concisis, magnus timor omnes civitates, quae sub imperio Guiliermi Ducis erant, incessit, praesertim cum rumor increbuisset, ab iis, qui capta Dura profugerant, celeriter dissipatus, esse in exercitu Caesariano ferorum hominum, qui Hispani dicerentur, perhorrendam manum, colore fusco, longioribus unguibus, quibus repente in praealtos muros evaderent, longis et exsertis aprorum more dentibus, quibus homines decerptos devorarent: cui commento locum fecerat Hispanorum Belgis atque Germanis candore, praesertim post diuturnas et bello assuetas solis et ventorum injurias, cedentium agilitas, qui hastis aut pugionibus muro infixis sublevati, vel alii aliorum humeris primum, deinde manibus sublimibus nitentes, muros non satis tormentorum telis dejectos conscendere solent; quod illi ad Duram animadvertentes, inusitata ipsis agilitate et periculo perterriti, novam etiam hominum naturam novamque figuram videre sibi videbantur; quod periculum et persuasio usque adeo Juliacenses principem civitatem perterruit, ut puberes omnes urbe, quae opere, natura, ac firmo praesidio permunita erat, decederent, feminis, quas ad Duram tutas ab omni injuria fuisse intellexerant, puerisque relictis. Itaque postero et sequente die Ducatus omnis Juliacensis, et bona pars tum Geldrensis, tum Clevensis, Legatis de pace missis, sese Carolo in potestatem permiserunt.

XIV. Ad Duram Carolus propter militum vulnera

et

et interfectorum sepulturam biduo moratus, Frisiorum mille praesidii causa relinquens, tertio die castra movet, et in Sicambros, qui nunc *Geldrenses* nominantur, contendit; sed ex itinere cum Hispanorum cohorte Juliacum divertit, urbemque ingressus, et munitionibus consideratis, mulieres de virorum consilio et fugae causa percunctando, de commento didicit modo a nobis memorato; quo in castris audito, non mediocris risus est consecutus. Dispositis per recepta oppida et castella praesidiis, Carolus Ruremondam copias admovit, principem urbem in Mosae ripa sitam, ex quatuor, quae in Ducatu Geldrensi *Cantones*, quasi capita et primariae nominantur, omnes natura et opere firmissimis muris, et latis praealtisque fossis munitissimae, in quas fossas magna occasio est aquas ex fluminibus, quae multa et magna campestrem illam regionem interfluunt, derivatas inducendi. Sed appropinquanti principes civitatis obviam processerunt, qui de pacis conditionibus agitarent. Quamquam enim prius Legatos de pace miserant, Carolus tamen conditiones, quas petebant, quod parum aequitatis habere viderentur, aspernabatur. Conditionibus igitur ex voluntate Caroli datis acceptisque, sese in potestatem permiserunt.

XV. Ad Ruremondam Frisiorum praesidio relicto, Carolus Vagnelonem movet, loci natura perinde munitissimum oppidum. Nam bonam partem circumfluente Mosa, ceterae propter muri et reliquarum munitionum firmitudinem ab omni violentiae impetu tutae fore videbantur; quo factum est, ut tormenta in-

terjecto flumine collocarentur, ut murus, qua infirmior erat, quateretur, Hispanis et Italicis militibus per apertos cuniculos et loca opportuna ad invadendum patefacto aditu dispositis. Sed dum haec parantur administranturque, Dux ipse Guiliermus, rebus desperatis, nulla fide publica, sed humanitate tantum et clementia Caroli fretus, ad ipsum in castra cum paucis suorum venit, ad Perenotumque Granvelam divertit. Postridie vero, cum ab aliis amicis, tum a Duce Brunzvicensi, et Coloniensi novo et prioris adjutore praesule (his enim deprecatoribus uti voluit) ad Carolum deductus est, qui cum majestate sedens, principibus suisque purpuratis adstantibus, adventum ejus opperiebatur.

XVI. In Caroli conspectum Guiliermus cum venisset, seque ad ejus pedes cum deprecatoribus abjecisset, Brunzvicensis Dux in hanc sententiam locutus est: „Singularis humanitas tua, Carole Imperator invictissi„me, et cunctis perspecta clementia facit, ut nemo in „te tam graviter deliquerit, cui venia desperanda esse „videatur, si supplice ac poenitente animo tuam mi„sericordiam imploret; praesertim siquis non malitia „et odio inveterato, sed errore aliquo aut temeritate „lapsus sit, quod huic Duci Guiliermo accidisse cer„tum habeo, qui pravis Imperii tui atque laudis in„vidorum persuasionibus abstractus, et juvenili ardore „impulsus, ab officio discessit, tibique dicto parum „audiens fuit, cujus eum consilii etiam atque etiam „poenitet, auctoribusque succenset, quorum infidam a„micitiam stulte secutus, nunc magnam poenam suae

„ te-

„temeritati deberi fatetur. Sed hoc erit in parcendo „tua benignitas gloriaque major, quo te ipse gravius „offendisse confitetur: qui qua mente, qua fiducia ad „tuam clementiam confugerit, facti simplicitas decla- „rat, qui nulla accepta fide publica, ac ne petita „quidem, nullis conditionibus nec dictis, nec acceptis, „in tua castra venit, et tibi se totum in potestatem „permisit. Erit igitur magnitudinis animi tui, sic i- „psum in tuam fidem recipere, ut homines intelligant „utrumque tibi in promtu esse, et superbos pervica- „cesque prosternere, et supplices, quique se tibi abje- „cerint, perhumaniter tractare. “

XVII. Haec Dux Brunzvicensis cum dixisset, Guiliermus pauca suppliciter, ac eidem sententiae convenientia quam demissisime potuit, locutus est, seque et sua omnia in Caroli potestatem permittere dixit, ac sibi numquam in posterum ab officio et fide discessuro, et majoribus officiis quod violatum esset compensaturo, ut ignosceret postulavit. Ad ea Carolus paucis respondit: proborum ac prudentum hominum esse officium et fidem cunctis rationibus anteferre, ut siquid in negotiis casu aliquo, sive fortunae injuria fuerit offensum, crimen tamen absit, ac fama sinistra; nam rebus adversis magnam esse consolationem in rectae voluntatis conscientia; sed et illud laudari, siquis admissum peccatum agnoscat, et poenitentia ductus, licet sero, aliquando tamen ad sanitatem revertatur. Guiliermus igitur quam mentem prae se ferret, hanc constantia tueretur; se pro sua consuetudine nec officio, nec humanitati defuturum. Haec effatus, eos adhuc geni-

 bus

bus flexis perseverantes, surgere et capita operire jubet.

XVIII. Postridie Guiliermus ad Carolum reversus, sacramentum apud ipsum dixit, qua solent caerimonia qui se in clientelam principibus dicant, fidemque dedit semper se in officio et Caroli potestate fore. Haec locutus, ut erat genibus flexis, et aperto capite, Caroli Hispana a Belgarum Germanorumque consuetudine abhorrente caerimonia dextram exosculatus est. Sublevatum bono animo esse Carolus jubet, hilarioreque vultu liberalius appellat, ac eodem die deductis Guiliermi voluntate custodibus, et Vagnelone tradita, novum praesidium impositum est a Carolo, eoque paucis diebus ex omni Geldrensi Ducatu legati venerunt, quibus Guiliermus fidem sibi datam et jus clientelae remisit, iidemque Carolo se suosque, data fide et jurejurando, in potestatem ac ditionem, Guiliermo volente ac jubente, tradiderunt, omnique Ducatui Geldrensi Carolus Renatum Chialonem Principem Uraniae cum praesidio praefecit. Deinde pro cetera sua clementia et humanitate, Guiliermo venia data, Juliacensem et Clivensem Ducatum restituit, sibi Geldrensi, qui jure ad ipsius patrimonium pertinebat, retento, et praeterea duobus castellis ad Germanorum Belgium invadentium injurias prohibendas, et Guiliermum in officio continendum opportunis.

XIX. His rebus confectis, Carolus suas copias Fernando Gonzagae, quem sibi, uti diximus, imperii delata summa, legaverat, in Galliam interiorem Regiosque fines inducendas tradit; ipse enim articulari morbo

bo impeditus Antuerpiae necessario substitit. Gonzaga Landresinum, obvia quaeque vastantibus Germanis, exercitum cum induxisset, atque id oppidum, quod erat et operibus et praesidio munitissimum, oppugnare statuisset, copias bipartito distribuit, ut ex altera parte Dux Ariscoti, et Rusiae Comes cum Belgis, ex altera ipse cum Hispanis, Germanis et Italicis obsidionem urgeret. Sed cum Rex Franciscus oppidanis subveniendi gratia appropinquare nuntiaretur, rursus copias, ne disjunctae infirmiores essent, conjunxit, non enim facile propter interjecta paludosa loca invicem auxilio, si praelio lacesserentur, venire poterant. Gallus ad Xantilonem castris munitis, equites, qui nostros parvis equestribus praeliis lacesserent, immittebat. Rebus autem comparatis, majore et numero et impetu cum procurrissent, nostris graviter repugnantibus, acriter utrinque dimicabatur; tum oculis et animis nostrorum in pugnam conversis et intentis, praesidium Gallicum, quod cum commeatu instructum et comparatum erat, ex improviso procurrit, priusque muris Landresini ac portae successit, quam plane a nostris posset quid rei gereretur animadverti, aut aliqua ratione prohiberi. Hoc nuntio commotus Carolus, et ducum damnata negligentia, nondum satis morbo explicitus, in castra venit, hac quoque ratione inductus, quod Rex Gallus, collatis signis, velle sese dimicare magnificis verbis ostendebat.

XX. Carolus igitur, inductis copiis, castta castris intra tormenti jactum confert, instructaque acie tribus continuis diebus, Francisco pugnandi aequo loco copiam

piam facit, misso equitatu, qui praelio lacesseret. Sed cum equestribus parvis praeliis quotidie contenderetur, dareturque summis copiis pugnandi facultas, Rex tamen se suosque praeter pugnantes equites diligenter intra castra continebat; non enim de pugna, sed de receptu cogitabat. Itaque nocte sequente eum diem, qui fuit ad Nonas Novembris, magnis et frequentibus ignibus ad speciem factis, frequentes equites circum castra cum magno tympanorum strepitu excubias agere et obequitare jubet; ipse tormentis majoribus et impedimentis praemissis, secunda vigilia cum trecentis equitibus silentio castris digressus, citato equo, sese in viam dedit, nec cursum intermisit, donec Guisam oppidum passuum millia septem a Cambrasino ventum est, Henrico filio pleno gradu cum agmine subsequente; nec prius nostri de Gallorum fuga cognoverunt, quam deserta castra dies illucescens ostendit. Tum vero Carolus, praemissa reliqua parte equitatus, quae extremum agmen moraretur, ipse cum proceribus et nobilibus brevi intervallo subsequitur. Sed Galli jam longe processerant, et equites extremum agmen cogentes, nostrorum impetum exceperunt, praelioque commisso, spatium fugientibus in remotiora tutioraque loca evadendi dederunt. Quamquam ille Regis fugae similis receptus, si judices aequos sortiatur, non tam a timore, quam a prudente consilio profectus esse videri potest. Rex enim, quod tota mente petebat, ut suis obsessis et laborantibus auxilium ferret, assecutus jam erat; signa vero cum valido hoste et exercitu robusto conferre, et qui bellum Regnumque defendit, rem in

unius

unius praelii discrimen adducere, extremae dementiae est.

XXI. Hostes Carolus ad passuum millia circiter novem insectatus, in castra ad Cambrasinum revertit, equitibus cum satis magna praeda equorum et impedimentorum subsequentibus, in castris quoque Regiis magna vis moliti frumenti ac vini et reliquorum commeatuum reperta. Ad Crevecollem progressus Carolus, Germanis omnibus missionem dedit, praeter millia tria praesidio Cameraci relicta, quae olim Samarobrina fuisse putatur. Hoc enim oppidum, quod est in Regiae Galliae Flandriaeque confinio, ad Imperium Romanum pertinet, privatim tamen Episcopo, non solum ut Sacrorum Antistiti, sed etiam ut Principi paret; sed ob eam rem id Carolus occupavit, quod Episcopum, quem ipse praefecerat, rebus Gallicis favere reperiebat: itaque imposito praesidio, arcem quoque erigendam mandavit, Italos etiam missos fecit, qui pauci reliqui erant. Nam post Duram receptam, ubi in fines Regios processum est, bona pars eorum ad hostes transivit, quidam injussu Caroli domum redierunt: usque adeo multi eorum ab illa vetere Romanorum et Italorum gloria, constantia fideque degeneraverunt. Ex Hispanorum sex millibus tria circa Cambrasinum cum Ludovico Varga, ceteros cum Alvaro Sandio circa Luxemburgum in hyberna discedere, et Gallorum praesidium, qui oppidum obtinebant, ab excursionibus et maleficio prohibere jussit. His rebus constitutis, Valentianos venit, magnam et munitissimam urbem in Henaensi Comitatu. Hinc per Morisum par, sed muni-

nitius oppidum, Bruxellas Regium oppidum pervenit.

XXII. Interea Charadinus Barbaroxa cum centum et triginta longarum navium classe, quarum triginta biremes erant, ceterae triremes, milite ac tormentis bene instructa a Solymano missus, in Galliam Tauroentiique portum appulit, cujus rei gratia Rex Franciscus post Antonii Rinconii necem Pollinum praefectum suum, uti supra demonstravimus, Byzantium ad Solymanum miserat, de cujus classis adventu Franciscus bello Belgico distentus cum cognovisset, ad Charadinum mittit, ut exposito milite, Nicaeam urbem oppugnaret. Charadinus nihil moratus Villaefrancae portum capit, copias exponit, eoque castello capto atque direpto, Nicaeam movet, simulque Angienus Regis praefectus Gallicam manum, quae Gallica classe fuerat advecta, signis infestis, inducit, qui diversi cum consedissent, et loco idoneo tormenta collocassent, diem noctemque continuata oppugnatione, murum concutiunt, atque ejus parte non satis diruta, utrique procurrunt, magnoque impetu irrumpere conantur. Ceterum oppidanis acerrime, ut in extrema spe salutis, propugnantibus, dejectis qui jam in murum evaserant, utrinque cum jactura Turcarum ad centum et Gallorum sexaginta repelluntur. Sed oppugnatione dies aliquot repetita, cum bona pars muri corruisset, oppidani, desperata defensione, urbem ea conditione dedunt, ut saluti et libertati fortunisque suis parceretur.

XXIII. Dedita urbe, arcem quoque multis tormentis oppugnare aggrediuntur, quo se bona pars oppidanorum receperat: sed multos dies continenter quatientes,

tes, cum parum profecissent, (nam ejus firmitudo, ut est in magno editoque saxo sita, omnem administrationem frustrabatur) re infecta, discesserunt; non modo quia jam de expugnatione desperare coeperant, sed multo etiam magis quia Vasti Marchio cum exercitu, ut a Carolo fuerat imperatum, ex Cisalpina Gallia profectus, subsidio Nicaenis venire, nec amplius jam duorum dierum itinere abesse nuntiabatur. Galli ergo, quorum numerus octo circiter millium erat, trans Varum flumen recesserunt. Turcae conscensis navibus, Antipolim, inde Massiliam navigaverunt, nec ibi diu morati, Tauroentium hybernandi causa migraverunt, portus commoditatem secuti, ibique hiemem transegerunt. Itaque Turcica classis solidum paene annum stipendio Gallico nequidquam consumsit, nec per eam Rex Franciscus quidquam ex iis, quae petebat, est assecutus, sed magnam opum nominisque jacturam, et omnium Christianorum factum detestantium odium incurrit, quos veniens rediensque Charadinus multis calamitatibus ac detrimentis affecit.

XXIV. Soluta obsidione, Vasti Marchio Nicaeam eo biduo cum pervenisset, et arcem commeatibus rebusque necessariis munivisset, exercitum cis Alpes reduxit, et Mondenium oppidum, quod cum Gallorum Helvetiorumque valido praesidio Carolus Dostrus, vir magno animo et consilio, tenebat, oppugnare instituit, ut maleficio et injuriis occurreret, quibus isti finitima oppida et castella, quae praesidiis Caesarianis tenebantur, vexare non desistebant. Quam obsidionem et oppugnationes diu Galli fortiter cum sustinuissent, ad extre-

mum rebus suis diffidentes, deditionem facere coacti sunt: nam spem omnem subsidii Marchio dolo sustulerat per commentitias epistolas desperationis plenas, quasi a Gallis, unde auxilium exspectabant, Dostro missas. Carignanum quoque a custodibus Osuoque praefecto timore desertum non solum occupavit Marchio, sed etiam praesidio firmavit, cui Pyrrhum Columnam praeesse jussit, quia bello gerendo id oppidum opportunum esse videbatur: erat enim trans Padum, et non procul ab Augusta Taurinorum. His rebus confectis, hieme jam appetente, Mediolanum revertit, et milites, quos visum est, in praesidio per opportuna loca disposuit.

XXV. Ceterum Franciscus Rex Gallorum, his rebus cognitis, quamquam belli, quod in ipsum a Carolo Imperatore et Henrico Britannorum Rege parabatur, exspectatione et solicitudine premebatur, tamen eam partem negligendam non putavit. Itaque exercitu Helvetiorum et Vasconum ad quindecim millium, itemque duorum equitum millium, quorum octingenti cataphracti erant, ex Gallica nobilitate confecto, praeter Italicorum tria millia, quae in praesidii supplementum Augustam Taurinorum miserat, eas copias Angieno ex familia Vandomorum in Subalpinam Galliam deducere, et bellum renovare jubet, atque operam dare, ut amissa recipiantur. Cum his copiis Angienus cetera fere sine contentione recepit, Carignanum vero, quoniam et operibus munitum erat, et valido Hispanorum mille, quibus praeerat Samichellus, et mille quingentorum Germanorum, quibus Felix Arcensis, praesidio firmatum, expugnandi spe ademta, obsidione cinxit, diuque

que commeatibus interclusis, in magnam rerum omnium necessariarum inopiam redegit. Jam enim vinum omnino defecerat, et reliquus commeatus ad magnam paucitatem pervenerat, quam calamitatem non solum Hispani, sed etiam Germani, qui minus sunt miseriarum et laborum tolerantes, aequo animo ferebant, spe subsidii sublevati, quod Vasti Marchio, certior de rebus omnibus per litteras et occultos nuntios factus, se primo quoque tempore laturum pollicebatur.

XXVI. Marchio enim cum de novi exercitus adventu cognovisset, ad Imperatorem mittit, consilioque communicato placet, ut Germanorum septem millia summittantur, et Italicorum delectus habeatur. Confectus est igitur exercitus Germanorum septem, et Italicorum sex millium, quibus praeerat Princeps Salerni, et Hispanorum, qui septem signa, Raimundumque Cardonam sequebantur, et item equitum nongentorum, quos Princeps Salmonae ducebat. In his autem erant trecenti, quos Cosmus Medices Florentiae Dux cum Rodulfo Ballione auxilio miserat. Cumque his copiis Marchio et magno commeatus numero Carignanum proficiscitur; Padoque trajecto, cum circa Ceresolam castellum, quod tribus passuum millibus abest a Carignano, processisset, Angienus cum exercitu Caesarianis acie instructa fit obvius; quo accedente, Marchio ipse quoque suos ad pugnam instruit in hunc maxime modum: cum Hispanis, qui numero erant ad duo millia, Germanorum mille trecentos miscet, et hos in fronte collocat; post eos ceteros Germanos; tum in acie extrema Italos ire jubet. Praelio commisso, Hispani Ger-

Dd 2 ma-

manique in acie prima collocati, accepto signo, in Italos, qui cum parte Helvetiorum ad tormenta constiterant, ut erat imperatum, procurrerunt, et utrosque primo impetu dissipatos, in fugam conjecerunt, ac fugientes insectantes, longius a loco pugnae quasi victoria potiti processerunt.

XXVII. Sed ut hac in parte strenue, sic in ceteris male pugnatum est a nostris, quorum Italici Vasconum impetum non sustinentes, pedem referre coeperunt; et simul equites nostri ab hostili equitatu pulsi, temere per Germanos nostros viam aperientes, aciem ipsorum disjecerunt; tum, urgentibus hostibus, fuga undique fieri coepta; in qua multi nostrorum ab insectante equitatu hostili vel capti, vel occisi. Marchio cum aliquot equitibus continente fuga, duobus acceptis vulneribus, Astam pervenit, eodemque cum ceteri dissipati, tum Italicorum manus, paucis desideratis, se recepit. Angienus cum exercitu in Hispanos permistosque Germanos, qui pro victoribus duo millia passuum a pugnae loco processerant, conversus, ex suis praemittit, qui eos de sociorum exercitusque fuga docerent, monerentque, ut, omissa contentione, sese permitterent in Gallorum fidem, neve committerent, ut quibus pro sua paucitate pares esse non possent, horum vires et impetum temere cum sua pernicie experirentur; quibus tandem facta fide, (nam initio mirabantur et addubitabant) explorataque suorum fuga, se Angieno permiserunt. Angienus humanitate ductus, et Christianorum inter se consuetudinem secutus, deditios captosque ceteros domum liberos abire ea conditio-

tione permisit, ut dato jurejurando, se arma in Gallos intra sex proximos menses non sumturos pollicerentur. Itaque Germani, qua proximum fuit, domum, Hispani per Galliam in Hispaniam revertuntur. Sed hi in saltum Pyrenaeum progressi, ad Perpinianum praesidii gratia Caroli jussu constiterunt.

XXVIII. Angienus, hac parta victoria, Pyrrhum Columnam Carignanique custodes, audita suorum mala pugna, animo defecisse, et facile ad deditionem compelli posse ratus, hoc acrius obsidionem urgere pergit. Illi vero magno et constante animo cibariis parcere, et, donec ea prorsus absumerentur, nullam pacis mentionem facere constituerant; de quorum consilio et obstinato animo Angienus cum cognovisset, Osuo praefecto cum peditum octo millibus et parte equitatus ad obsidionem Carignani relicto, cum reliquis copiis Angeum praefectum in Monferratensem agrum ceterorumque fines, qui Caroli Caesaris fidem sequebantur, vastandi praedandique causa mittit.

XXIX. His rebus nuntiatis, Carolus auxilia suis victis summittenda comparari jubet. Rex Franciscus successu laetus atque sublatus, non sibi putavit negligenter agendum, sed victoria et favore fortunae utenti exercitum illum novis delectibus augendum, qui recepto Carignano, et omni Subalpina Gallia in potestatem redacta, bellum in Insubres transferret, et Mediolanum ceterasque socias urbes a praesidiis vacuas occuparet, aut, si Carolus Caesar exercitum subsidio misisset, idem copiis suis distentis, infirmior ad bellum Gallicum, quod parabat, redderetur. Hoc inito consi-

si-

silio, Gallus Petrum Strozum Florentinum, qui castra ejus sequebatur, ad se vocat, et in Italiam properare jubet, et quid fieri velit demonstrat. Is, mutatis ad celeritatem equis, Romam latenter cum venisset, Petiliani Comitem, et Sommensem Ducem exsulem Neapolitanum, et quosdam alios viros principes, Gallicarum partium studiosos, ad homines conducendos cum solicitasset, Venetias curandae pecuniae gratia contendit, inde Mirandulam pervenit, institutoque delectu, hominum septem millia et centum equites sua pecunia, nondum scilicet Regia perlata, confecit. Itaque adjunctis his, quos Petiliani Comes et Dux Sommensis pecunia Gallorum Gallicarumque partium Cardinalium conduxerant, Mirandulamque deduxerant, exercitus confectus est ad decem millium Italicorum. Cum his copiis Petrus Strozus Mirandula proficiscitur, ut eas in Taurinos perductas, cum exercitu Gallico conjungeret.

XXX. Interea Vasti Marchio, Regis Strozique Consilii non ignarus, ipse quoque supplementi causa delectum habebat. Huic enim post praelium ad Ceresolam factum, Hispanorum duo, Italicorum quinque millia, (horum enim perpauci fuerant desiderati) et equites sexcenti superfuerant. Quin etiam litteris et nuntiis non solum ad Carolum Caesarem, sed etiam ad ejus Italicos clientes et amicos missis, auxilia, quibus se Mediolanumque muniret, postulabat, ex quibus Cosmi Florentinorum Ducis fides et officium enituit, qui duobus hominum millibus confectis, hos in naves triremes impositos Othoni et Georgio Montacutensibus Genuam deportandos, ibique expositos Mediolanum ad Marchio-

chionem perducendos tradidit, qui opportuno tempore pervenerunt, cum, Strozo viam ingresso, ad ejus iter impediendum sese Marchio comparabat.

XXXI. Ceterum Strozus Placentiam praetergressus, cum ad tramitem, qui per Ligusticorum montium latera radicesque fert, agmen deduxisset, de Marchionis et hostilis exercitus adventu cognovit, deque tramite ad angustias impeditaque loca interrupto et obsesso certior factus est, cujus rei causa Princeps Salerni cum parte copiarum praemissus fuerat. Strozus igitur, qui sine tormentis et cum exiguo equitatu veniebat, his difficultatibus affectus, simulque animadvertens ab Insubribus nihil moveri, quorum motum aliquem, accedente Gallico exercitu, exstiturum initio confidebat, tramitem atque planitiem vitare constituit, agmenque per montium cacumina deducere coepit. Sed ubi ad Scriviam flumen ventum est, unde se montes sinistrorsum ad Genuam deflectunt, agmen fluminis trajiciendi causa ad ima et planiora loca se necessario demisit. Haec autem erant a militibus Caesarianis obsessa, idoneo et occulto loco insidiis collocatis, quorum uno tempore undique procurrentium impetum non ferentes, Stroziani in fugam vertuntur.

XXXII. Hoc praelio, quod Nonis Junii factum fuit, fugaque Strozianorum bona pars concisa est, complures capti, quorum fuere Georgius Martinengus equitum praefectus, et Sommensis Dux; sed hic effugere permissus, et beneficio Principis Salerni servatus est, propinquo metuentis, ne si in manus Marchionis pervenisset, legibus damnatus (erat enim, ut supra demon-

monstravi, exsul Neapolitanus) tranfugae poena, jubente Carolo, plecteretur. Strozus ipse, conscenso equo velocissimo, fuga ad salutem contendit. Paucis post diebus Pyrrhus Columna Carignanique custodes, cum rerum omnium inopiam diu extremamque famen patientissime toleravissent, certis conditionibus oppidum dediderunt. Itaque dato jurejurando se intra quatuor menses arma in Gallos non resumturos, cum signis militaribus et armis, praeter tormenta, suisque rebus omnibus discedentes, in Insubres ad Marchionem, ut stipendium exigerent, contenderunt; quo tempore jam auxilia Hispanorum Germanorumque a Carolo missa pervenerant. Hinc Felix Germanorum praefectus, ut fidem hostibus datam praestaret, domum redire pergit. Pyrrhus Columna, ut convenerat, ad Regem Franciscum contendit, seque in ejus potestatem permisit, quem Rex amice receptum et collaudatum dimisit, data prius optione domum redire, an apud se in suisque castris cum praefectura remanere mallet. Milites autem gregarii ad Insubres permanserunt, praedicantes, se pacis legibus non teneri, quas hostes, sociis Caesarianis, qui aegri ad Carignanum relicti fuerant, spoliatis et occisis, violassent.

XXXIII. Eadem tempestate, dum Carolus in Italiam Belgiumque profectionem parat, Martinus Alfonsus Corduba Alcaudetis Comes, Tremezenum urbem Mauritaniae Tingitanae, pulso Mahumeto Rege, recepit. Is enim Ludovico Comarensi Marchioni propinquo et gentili suo in Africae orae maritimae Hispanae ditionis procurationem successerat, et Oranum praefecturae caput obti-

obtinebat; eoque agente, Mahumetus, qui, ut erat stirpis maximus, Abaudillae demortuo patri in Regnum successerat, ut Regnum suum confirmaret, seque opinione amicitiae Caroli Caesaris muniret, sese illi eisdem, quibus pater, conditionibus in clientelam dicaverat; post autem arrogantia majoribusque spiritibus sumtis, coepit de stipendio recusare, quae summa erat quatuor millium nummorum aureorum, quae *doblae* dicebantur, paulo infra ducatorum valorem, et clientelae conditiones negligebat. Hanc indignitatem Martinus Comes non ferens, qui pacis et clientelae interpres et auctor fuerat, Carolum de rebus omnibus, et quid sui consilii esset, certiorem facit; cumque ei Caesar negotium per litteras permisisset, duobus speculatoriis navigiis et una scapha cum paucis suorum circiter Nonas Septembris conscensis, ex Orano discedens, postero die terram Hispanam attigit; et cum Alcaudetem pervenisset, bello necessaria comparare orsus, in omnes Baeticae et Oretaniae Carpetaniaeque partes conquisitores dimittit, et litteris atque nuntiis amicos et propinquos certiores facit: sed in primis Cordubam urbem patriam ad Martinum Cordubam fratrem patruelem, et Jacobum Poncium, et alios cognatos scribit, rogatque, ut pium et sacrosanctum bellum adversus impios et Christiani nominis pertinacissimos hostes secum susciperent, uberrimam scilicet materiam et occasionem tum ad laudem et famam inter homines, tum ad pietatem in Christum Deum et felicitatem sempiternam; atque haec quidem per litteras primum, deinde coram pluribus verbis egit persuasitque; multi enim

ad eum undique Alcaudetem confluxerunt, et ipse postremo Cordubam eosdem propinquos confirmandi gratia processit. Nam cum exercitum sine stipendio, praeter frumentum reliquumque commeatum et spem praedae, cogendi negotium suscepisset, et praefecti sola causae honestate, aut etiam amicitia essent alliciendi, ad haec omnia descendere cogebatur.

XXXIV. Verum ex filiis Jacobum Cordubam, qui postea factus fuit Episcopus Calagurritanus, novam Carthaginem, Franciscum Malacam naves compellendi, et commeatibus rebusque necessariis instruendi causa mittit; praeterea Jacobum Poncium, quem supra nominavi, negotio praefecit manus undique cogendi, et Magistratus constituendi, ut sine maleficio et injuria ad naves contenderent. Factus autem certior a filiis, ad Malacam et Carthaginem novam hominum et navigiorum quantum satis esse videretur, convenisse, ipse quoque Carthaginem proficiscitur, et militibus, qui aderant, et equis impositis, ipse postridie quam filius Franciscus cum tredecim navibus onerariis, quae copias ad Malacam coactas sustulerant, pervenisset, navem conscendit, ut molestias et querimonias vitaret eorum, qui propter multitudinem hominum confluentium et navium paucitatem imponi nequiverant; et subidoneam tempestatem nactus, cum viginti duabus navibus in altum provehitur, una in portu relicta, quae Martinum Cordubam cum filio Hieronymo et familia tolleret. Is enim tum ob alias necessarias causas, tum commeatus, quem magnifice ad amicos et familiam alendam comparavit, providendi ac praemittendi gratia, paulo tardius

dius ex urbe Corduba fuerat profectus, pervenit tamen Carthaginem postridie quam Comes naves solveret, et in suam navem ad mille homines ex magno numero delectos recepit.

XXXV. Ceterum non procul Carthagine progressa classe, tempestas immoderata naves disjecit, aquilone saeviente; sic ut Comes cum sola praetoria relinqueretur. Postero die tamen Franciscus Corduba cum navibus undecim in Africam Portumque magnum quatuor passuum millibus ab Orano advectus est, quo die tantae nives deciderunt, quantas, ut ferebatur, quinquaginta annos ante Africa non viderat. Quarto die Comes Portum eumdem tenuit, quo paucis diebus naves omnes incolumes pervenerunt, una excepta ex *urcarum* genere, cujus desiderio Comes magnopere premebatur. Hac enim mille ducenti milites vehebantur, et longarum hastarum, quas *picas* consuetudo militaris appellat, quatuor millia, *archibusorum* duo, multaque tormenta et vis ingens tormentarii pulveris portabantur; quae navis post aliquot dies magno casu, ac, ut videri potuit, divinitus terrae Africae vi tempestatis adacta, circa Oranum naufragium fecit, sed ita ut nihil nec hominum, nec aliarum rerum, quae vehebantur, desideratum sit, quin Oranum cura et diligentia Martini Cordubae, quem pater in bellum proficiscens urbi cum tenui praesidio praefecerat, deportaretur: ita factum est, ut oppidum, quod Comes in bellum proficiscens paene vacuum ab omni praesidio et immunitum reliquerat, et arx Portui magno imposita praesidio, tormentis et ceteris armis etiam in reliquum tempus,

 quod

quod erat maxime necessarium, muniretur.

XXXVI. Nec vero solum hujus navis absentia Comes angebatur, sed Nomadum etiam perfidia, qui sibi et Abaudillae, qui ad Oranum aderat, quemque, fratre Mahumeto debellato, se Tremezeno praefecturum Comes praedicabat, suam operam ad id bellum gerendum, jumentaque ad tormenta trahenda, commeatumque et sarcinas deportandum polliciti, cum res officium poscebat, nihil eorum praestitere. Nec mirum: Nomades enim versuta natio, cum pro simulata in Abaudillam amicitia rogarentur, id scilicet egerant pro insito dolo, ut inani spe injecta, Christianos redderent negligentiores ad necessaria bello comparandum, quod in Mahometanos amicos eorum et consanguineos, et certe ejusdem religionis et provinciae, comparabatur; quae necessitudo solet mutuam benevolentiam hominibus adversus externos naturaliter ingenerare, ut talibus promissis magnopere confidere periculosum sit et hominis incauti.

XXXVII. His difficultatibus affectus Comes, cum frustra quindecim amplius dies navis appulsum et promissa Nomadum exspectasset, ne tempus spe inani tereret, neve congesta cibaria corrumperentur, profectionem comparat; inita ratione, qua inopia jumentorum sarcinariorum sublevaretur, pronuntiari jubet, ut milites se itineri compararent, et octo dierum viaticum sibi quisque deportaret, cujus rei gratia magna vis biscocti panis ad turrim Sanctorum cognominatam, extra muros congesta erat. Quem in locum copiae, ut erat imperatum, cum convenissent, Comes coactum exercitum

tum ad laborem cohortatur, et ex equo in hanc sententiam est allocutus.

XXXVIII. „In quantam rerum iniquitatem fraude „Nomadum et perfidia redacti simus, viri fortes, vos „ipsi simul mecum videtis. Jumenta sarcinaria, quae „in bello ad multos usus necessaria sunt, nulla nobis „suppetunt. Nomades enim, qui de iis liberaliter no„bis promiserant, fidem fefellerunt; nec est unde emi „possint, aut alias comparari. Itaque cum sine jumen„tis, nec tormenta ceterique belli apparatus convehi, „nec commeatus deportari posse videantur, detractis „per Nomades jumentis, facultatem belli gerendi no„bis per eosdem demtam esse iidem existimant, et „sua fraude et perfidia putant homines levissimi, se „magnam gratiam a nostris hostibus inituros. Erit au„tem vestrae virtutis et industriae, vestro labore et „tolerantia istorum versutiae et sceleribus occurrere, et „virtute difficultates omnes superari docere; quod ita „demum fiet, si veterum Romanorum, qui suo no„mine et bellica gloria orbem terrarum repleverunt, „exemplum et tolerantiam imitari, ut debetis, non „gravabimini; quibus Romanis legitimum erat in bel„lis, ut milites cum armis multorum dierum cibaria „sibi quisque, praeterea ferramenta aliaque instrumen„ta ad caedendum et fodiendum castraque muniendum „necessaria deportarent, quo labore sumtus publicus „minuebatur, et, quod multum addit militari robori, „corpora militum durabantur, et multifariam reipubli„cae consulebatur. Ceterum ea provisio perutilis atque „adeo salutaris, ut jam olim desita sit, non meliore

„vel

„ vel honestiore ratione aut invento factum est, sed „ animorum corporumque mollitia quadam, et plurifa„ riam corrupta disciplina militari. Nam operibus ne„ cessariis et servilibus magni etiam viri et honestissi„ mo loco nati in bellis cum sua laude saepe functi „ sunt, necessitate premente, vel republica flagitante, „ quae domi et extra necessitatem publicam eosdem sub„ ire turpissimum esset; magni enim refert ad laudem „ sapientium judicio, cujus finis gratia opera quaeque „ sumatur. Quod si ceteris in bellis viri probi et ge„ nerosi nullum laborem et periculum pro fama et glo„ ria recusant, neque se indignum putant; quanto ii „ minus recusare debent, qui sacrum bellum contra ho„ stes Christi et pro sacrosancta religione pie suscepe„ runt, quibus non solum laus et gloria ab homini„ bus, sed etiam felicitas sempiterna a Deo Christo la„ borum et periculorum praemium est propositum? Pe„ dites igitur, quod de portandis octo dierum cibariis „ imperatum est, ut Christo, et Carolo Regi et Impe„ ratori nostro suum officium necessario tempore prae„ stent, aequo animo facient; vos autem, filii et pro„ pinqui, amicique, et ceteri viri nobiles, nulla verbo„ rum adhortatione indigere puto, quos majorum vir„ tus satis debet adhortari, quae in bellicis periculis „ et laboribus enituit, eaque via grassantes illos ad „ gloriam, honores atque opes evexit. Nec ego vos „ verbis, quid facere debeatis, edocebo, sed facto et „ exemplo declarabo."

XXXIX. Haec cum fuisset locutus Comes, saccum biscocti panis pone in equum recepit: idem Alfonsus na-

natu maximus et Franciscus filii, qui proximi erant, et ceteri viri nobiles fecerunt. Quorum exemplum reliquus equitatus libenter secutus cum fuisset, et pedites non inviti onus imperatum subivissent, Comes circa Februarias Kalendas ex Orano movet, Abaudillam secum ducens, ut, dejecto fratre Mahumeto, ipsum in Tremezeni Regnum sufficeret. Ceterum militibus ad oneris et itineris laborem insuetis illud incommodum accessit, quod magnae pluviae, et interdum commista grandine procellosae primis diebus consecutae sunt, noctu maxime; quae res vehementer exercitum afflictabat, quippe cui contra durissimae hiemis injurias tecta nulla in castris contigerunt, et rara tenuiaque ex tela cannabina tentoria parum tegebant. Quarto die jam coelo sereno Manzorus Benarraxae praefectus cum magna provincialium manu, quorum bona pars erant jaculatores, vespere sese ostendit, et extremum agmen eminus sagittis et scloppetorum telis lacessere coepit; nec tamen idcirco intermissum est iter, sed nostris jaculatoribus vicissim repugnantibus, agmen lento gradu procedebat. Certatum est autem duas amplius horas, non multis nec illatis vulneribus, nec acceptis.

XL. Postridie ad Tibidam flumen majore contentione dimicatum, eo namque magnae hostium equestres atque pedestres manus convenerant, quae ripam undique et vado impendentem montem compleverant, ut nostros transitu prohiberent, vel impeditos et haerentes opprimerent: itaque accedentes omni ex parte frequentissimis telis oppugnabant. Quo animadverso, Comes exercitum instruit, et in acie prima partem equi-

quitatus veteranosque jaculatores et extra ordinem vagantem manum collocat, et eos cum Ludovico Roda et Alfonso Montemajore praefectis flumen primos transire jubet, et in hostes procurrere; cujus fluminis etsi haec erat altitudo, ut vix equi armis, pedites humeris supra aquam exstarent, celeriter tamen, illis antecedentibus, omnes nullo accepto incommodo transierunt, simulque Abaudilla trajecit, hastam manu tenens, et veste indutus Maurusia, cujus lateri Joannes idem Poncius, ut erat jussus, adhaerebat, ne cui nostrum ille, habitu fallente, loco hostis haberetur. Neque vero modo flumen parvo, aut quam minimo accepto incommodo nostri trajecerunt, sed hostem a ripa et impendente monte, multis occisis facto impetu, repulerunt: ceterum ad iter reversos, rursus hostes insequuntur; redintegratoque praelio, extremum agmen, quod Comes cum filiis et propinquis claudebat, acrius urgere pergunt; sed nostris strenue repugnantibus, ita per aliquot horas certatum est, ut multi ex hostibus caderent, ex Christianis unus dumtaxat desideraretur.

XLI. Insequente die a Tibida vico, unde flumen praeterfluens nomen traxit, movens (ibi enim castra posuerat) circa Tremezenum progreditur, idoneoque loco consedit. Huc Maurus quidam Mahumeti familiaris, ut copias consideraret, sed per causam Comitem, cui notus erat, salutandi, data facultate, in castra venit, cujus hominis idonei, cui daret, occasione invitatus Comes, hujusmodi litteras ad Regem Mahumetum mittit. „Quanto melius famae et saluti fortunis-„que tuis consuluisses, si perstitisses in eo consilio, „quod

„quod initio susceperas, cum, me auctore et inter-
„cessore, a Carolo Caesare, ut te in suam fidem et
„clientelam acciperet, impetrasti, nec a foedere et
„data fide mobiliter discessisses; si non jam ratione
„percepisti, disces non ita multo post, et, ut spero,
„tuis malis edoctus. Quando igitur eo temeritatis pro-
„cessisti, ut cum posses amicitia et patrocinio optimi
„et magni Principis in pace et otio frui bonis Regni
„tui, malueris per inconstantiam et perfidiam ab eo
„desciscens, te tuaque belli discrimini committere;
„tuum erit, qui magnas peditatus et equitatus copias
„coëgisti, praelium, si vir es, aequo loco non detre-
„ctare. Cras igitur tibi tuisque majoribus copiis cete-
„ra pari conditione dimicandi, et controversias diri-
„mendi potestatem faciam: quod si metu deterritus,
„ne sic quidem, nisi muris objectis, depugnare ani-
„mum induces, dabo operam perficiamque, ut spero,
„ope divina et Hispanorum virtute fretus, uti tuis ma-
„lis edoctus intelligas, tibi adversus Caroli Caesaris
„justam iram et potentiam in nullis munitionibus tuo-
„rumque multitudine satis esse praesidii; teque deje-
„cto, stirpis Regiae alterum probiorem, et beneficii
„magis memorem in Regnum, ejusdem Caroli aucto-
„ritate, sufficiam, quo non invito, sed majora curan-
„te, ipse, ad quem pars contumeliae pertinere vide-
„batur, negotium sponte suscepi, ut a te injustitiae
„et temeritatis poenae justissimo bello expeterentur.“

XLII. Lecta epistola, Mahumetus conditionem non respuit, sed postridie mane magnas peditatus et equitatus copias eduxit, in quibus erant jaculatorum no-

vem circiter millia, partim ex indigenis, partim ex Granatensibus et Valentinis, qui superioribus annis in Mauritaniam migraverant, et Turcis nonnullis ex navibus piratarum evocatis. Comes, cum exercitum instrueret, in fronte media equitatum, cujus erat praefectus Joannes Pachecus, collocavit, in utroque cornu pedites extra ordinem vagantes, in quorum dextro Alfonsum Villaroëlem, in sinistro Mendum Benavidem curare jussit, extremam aciem Franciscus Corduba cum veteranis jaculatoribus, ex Orani praesidio deductis, claudere a patre Comite jussus est, qui plurimum ei fidebat; metuebat enim, (id quod evenit) ne hostes conversi a tergo nostros adorirentur.

XLIII. Cum in conspectum intra telique jactum acies processissent, unus ex hostibus scloppetarius natione Turca, longiore intervallo ceteris antegressus, in eam partem, ubi Alfonsus Villaroël constiterat, infesto telo cum processisset, Alfonsus idem citato equo in ipsum advolat, priusque hasta confodit prosternitque, quam ille posset igniculum apte ad jaculandum applicare, timore fortasse perterritus hostis tanta celeritate appropinquantis. Comes paucis verbis suos hortatus, ut virtutis et bellicae gloriae Hispanorum memores essent, qui saepe parva manu ingentes Maurorum copias, Christo favente, fudissent, in hostes, qui jam signis infestis accedebant, procurrere jubet. Magna igitur vi nostri procurrunt; sed ante omnes Martinus Corduba et Jacobus Poncius, citatis equis, in confertissimos advolant, et duos signiferos, qui ceteris antecedebant, primo impetu interficiunt, nec tamen impune;

ne; nam uterque a proximis hostibus circumventus, multis ictibus percussus est, quamvis armorum, quibus tegebantur, firmitudo, ne ad corpus pervenirent, prohibebat, uterque multis telis confectum equum amisit; quin etiam Jacobus Poncius vulnus anceps accepit, crure infra suram transfosso missili hasta, quae simul equum bona in ventrem adacta parte confixit: sed huic impedito et laboranti succurrit filius Joannes Poncius, qui, remittente se ab ea parte pugna, hastam eduxit tam dextre et feliciter, ut nihil plagam (quod erat proclive et nimis periculosum) dilataret. Martino autem, qui ex casu prostrati equi se in pedes erexerat, eoque hostibus objecto pro vallo fortiter propugnabat, Hieronymus filius adolescens cum domesticis et necessariis subvenit, quorum Lupus Falcius ad pedes ipse desiliens, equum tradidit, quo ille conscenso, etsi cadens brachium offenderat, in praelium revertitur, quod hostes a fronte primo impetu rejecti, in extremam aciem converterant.

XLIV. Sed ne hic quidem pugnatum diu est, nam hostium impetum extremi nostri fortissime sustinuerunt, et equitatus noster propere in eamdem partem, ut erat imperatum, accurrit, totaque acies eodem convertitur, in hostesque irruit ea vi, ut impetum illi tolerare nequeuntes, se fugae mandarent, quos fugientes ne noster equitatus longius insectaretur, ea ratione factum est, ne pauci procul ab exercitu remoti, a plurimis, ut Maurorum est mos, circumventi, periculum adirent. Etenim noster equitatus vix trecentorum, hostilis autem sexdecim amplius millium numerum explebat; pe-

Ff 2 di-

ditatus vero illorum ingens erat multitudo, nostri numerus ad tredecim millium, et horum circiter quinque millia gladiis dumtaxat armata scloppetorum et hastarum inopia, quae in desiderata, de qua diximus, navi vehebantur; sed gladii cum districti, ut erat imperatum, dextris ferrentur, multorum cataphractorum speciem procul aspicientibus ostentabant. In eo praelio ex nostris pauci sunt interfecti, complures vulnerati; ex hostibus multi caesi, multo plures vulnus acceperunt, aliique in alia loca diffugere. Rex ipse Mahumetus cum paucis suorum in urbem sese recepit.

XLV. Comes post pugnam ad olivetum, die in noctem praecipite, mille circiter passibus a Tremezeno castra posuit, eo consilio, ut proxima nocte quieti data, postero die urbem oppugnaret. Ceterum Mahumetus suis paucis et perterritis ipse quoque conturbatus parum fidens, eadem nocte, praemissa cum liberis et uxoribus grandi pecunia et veste, quibus triginta camelos oneravit, ipse cum ducentis equitibus Benaraxam versus profugit. Quo cognito, Comes, cum illuxisset, copias induxit, et nemine obsistente, urbem intravit pridie Nonas Februarii, quam mortalium paene inanem offendit; oppidani enim, cum freti sua multitudine nostris accedentibus infestis signis obviam ire statuissent, uxores liberosque suos imbellemque turbam pridie Regis voluntate in montes et silvas abdiderant: itaque militibus permissa praeda, pauci populares capti sunt, et complures Judaei. Tremezeno recepto direptoque, Abaudilla, ad quem amici clientesque, partim in itinere, sed frequentiores in urbem convenerant, Re-

gno

gno praeficitur, ac in fidem et clientelam Caroli Caesaris Hispani Regis recipitur. Tum Comes, magno camelorum coacto numero ad sarcinas et tormenta quaedam Tremezeni reperta convehendum, viginti duos dies ibi moratus, Kalendis Martiis copias educit, et Oranum redire contendit, hostibus, qui se ex fuga receperant, bonam partem itineris extremum agmen subinde, sed non impune, carpentibus et retardantibus. Atque haec quidem in Africa gerebantur.



JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS GESTIS

CAROLI QUINTI

IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

I. IN Hispania Philippus decimum septimum aetatis annum agens, Mariam Joannis Portugalliae Regis filiam sibi aequalem, scilicet eodem anno paucis ante mensibus natam, cum dote quingentorum quinquaginta millium ducatorum in matrimonium duxit, ut Carolus pater cum Rege eodem constituerat; simulque convenerat, ut Antonius Portugalliae Princeps, id est Regis patris successor, Joannam filiarum Caroli natu minorem indotatam duceret, cum ad aetatis maturitatem pervenissent: nam erant ambo intra aetatem puerilem. De causis accelerandi matrimonii, cujus maturitatem physici negant viro ante vigesimum primum annum contingere, varie homines loquebantur; sed plerique in eam opinionem veniebant, Carolum hoc facilius Joannis Regis amici et consobrini voluntati ac precibus morem gessisse, quod hac ratione fieri posse videbat, ut Portugalliae Regnum cum Castella conjungeretur jure successionis, Portugallia, siquid Antonio unico fratri puero humanitus accidisset, ad Mariam redeunte, quae magna gentis nostrae commoditas es-

set,

set, si universa Hispania unius Regis imperio pareret, collatisque viribus, et consentientibus animis adversus externorum injurias sese tueretur, atque etiam imperium, justis piisque causis adhortantibus, propagaret. Sed hac quoque ratione nonnihil inductum fuisse Carolum adjiciebant, ut pecunia, quae dotis nomine dicebatur, ad stipendium militare in impendente bello Gallico sublevaretur.

II. Erat Philippus ex utroque parente Mariae consobrinus, ut enim Carolus Catharinae Reginae, quae Mariam genuerat, sic Joannes Rex Isabellae, ex qua Carolus Philippum procreaverat, frater germanus erat: itaque matrimonio Ecclesiasticis Pontificiisque legibus obstantibus, impetranda fuit Summi Pontificis indulgentia, ut eos legibus solveret, quae *dispensatio* nominatur.

III. Haec cum essent constituta, et tempus, quo Maria et Philippi Legati ad Regnorum confinia convenirent, condictum, de duobus Legatis ex more mittendis deliberabatur, quorum alter ex proceribus esse solet, alter ex Pontificibus, sed uterque magnae auctoritatis, et qui posset magnum comitatum alere. Nec de illo altero fuit controversia, de Pontifice autem nonnihil addubitatum. Legantur igitur Joannes Alfonsus Methymnae Sidoniae Dux procerum locupletissimus, et Joannes Martinus Siliceus Episcopus Carthaginensis, animo locupletior, quam fortunis. Nam paucis ante annis auctus fuerat Pontificatu. Erat tamen natura liberalis, et qui sumtus in res honestas faciendi occasiones quaesitas interdum non invitus obiret. Is cum magno

co-

comitatu, cujus erat bona pars tum nobilium, tum Ecclesiasticorum doctorumque virorum, ex Valdolito sexto Kalendas Septembris proficiscitur, et per Methymnam campestrem, Hispaniae celeberrimum emporium, Salmanticam primam urbem Lusitaniae venit; et trajecto lintribus Tago, per oppidum Caceres, id est, ut quidam interpretantur, Castra Caesaris, Emeritam Augustam venit, coloniam olim Romanorum, deductis Augusti Caesaris emeritis militibus, cujus veterem opulentiam declarant manifesta vestigia, circi ad ludos equestres, theatrique, et stagni ad naumachiae ludos, qui locus est juxta theatrum praealtus, et quasi ad circinum terra effossa orbiculatus. Visuntur praeterea duorum aquaeductuum sublimes per loca dimissa partes ruinaeque, quorum alter ad naumachiae lacum pertinebat. Exstat etiam nunc via militaris glarea strata munitaque, quae ab Emerita hinc Salmanticam, illinc Hispalim ducit, lapidibus milliariorum intervalla, non singulis, sed quinis simul senisque distinguentibus, rotunda columnarumque forma paulo statura humana procerioribus. Horum erant inscripti multi, sed litteris jam vetustate deletis, praeter admodum paucos, quorum unum ex sex, opinor, inter Caparam et Carcabosum vicum reperimus, (nam et ego officii gratia Carthaginensem Pontificem assectabar) cujus sic habebat inscriptio:

IMP. CAESAR
DIVI TRAIANI PAR
THICI. F. DIVI. NER
VAE. NEPOS. TRAIA

NVS

NVS HADRIANVS
AVG. PONTIF. MAX
TRIB. POT. V. COS
III. RESTITVIT
CII

IV. Numerus autem postremus litteris notatus millia passuum, quibus via processerat ab Emerita, declarat; hoc est, leucas Hispanas viginti quinque et semis, tot enim locus ille ab urbe Emerita distabat, in singulas scilicet leucas quatuor passuum millibus collatis, ut fieri oportere, certissima ratione perspexi; libenter enim lapidum sex aut septem intervalla filo ad hoc comparato, et ad pedem Romanum emenso, ac diligenter examinavi, quae intervalla singula millenis passibus patere reperi, et praeterea circiter vicenis, prout anfractus novae, in quam interdum digrediebamur, longior erat vetere rectiore via. Constat vero passus quinque pedibus; pes autem ejus mensurae, quam nostri *varam* dicunt, tertia parte longior est uno fere digito transverso; itaque passus una *vara* tribusque *quartis* patet; horum passuum quaterna millia leucis singulis respondebant.

V. Nec est silentio praetereunda ratio, quam Emeritenses ad molarum inopiae subveniendum solerter excogitaverunt. Anas fluvius, qui Emeritam alluit, solusque per eam regionem defertur, cum ex pluviis magis constet, quam perennibus aquis, adeo solet aestate minui, ut frumentariis molis non sufficiat: huic incommodo sic Emeritenses prospexerunt: locum molliter

 de-

declivem quatuor circiter passuum millibus supra Emeritam, terra egesta, longe lateque cavaverunt, parte inferiore murali firmitudine parietem ad influentes aquas sustinendas continendasque opposuerunt, et receptaculum capacissimum comparaverunt, quo per rivos et torrentes pluviis aquis hieme influentibus, magna vis aquarum colligitur et asservatur. Est autem oppositus paries duobus castellis distinctus; horum infima parte foramina singula sunt aptata, quibus per aestatem aqua dispensatur, et in subjectas molas, quae frequentes loco inferiore deinceps dispositae sunt, immittitur, nunc quidem uno castello, antiquitus, ut credi par est, utroque.

VI. Ex Emerita Episcopus, trajecto Ana, Pacem Augustam pervenit, quod oppidum Castellae ultimum in confinio Portugalliae, Mauri, corrupto vocabulo, *Baxagus*, deinde nostri *Badaxoz* corruptius etiam nuncupaverunt. Hic quoque, ut in ceteris oppidis, qua transierat, magna frequentia obviam prodeuntium exceptus. Tertio die, qui fuit Idus Octobris, Episcopus idem cum suo comitatu populusque frequentissimus Duci Methymnensi jam accedenti, ceteri longius, Episcopus duobus omnino ab urbe stadiis obviam processerunt. Magnis longoque ordine agmen antegressis impedimentis, tribusque Comitibus Bailensi, Olivarensi, et Nieblensi, multisque praeterea viris nobilibus stipantibus, et magno subsequente comitatu, Dux veniebat, quem cantores etiam et tibicines, tubicinesque ac tympanistae, itemque pretiosos accipitres manu sustinentes aucupes assectabantur.

Cum

VII. Cum magna igitur hominum frequentia Dux urbem ingreditur, nondum Maria in Portugalliae confinium perducta, quae tamen sexto post die ad oppidum Elves cum ingenti comitatu equitum, ut opinor, et praesens cum multis aestimavi, trium amplius millium pervenit; nam undique tum jussu Regis, tum officii gratia equites voluntarii confluxerant. Sed totius comitatus Theodosius Dux Brigantius, et Fernandus Pontifex Ulyssipponensis, Gasparque Caravallus, qui duo Legati a Joanne Rege ad Philippum mittebantur, principem locum obtinebant. His inter se collocutis, oportere visum est, ut ante Castellanorum congressum de ratione locorum pro cujusque honore ac dignitate tribuendorum constitueretur. Hoc quo minus tumultuose fieret, Dux Brigantius, vir, ut perspexi, gravis juxta comisque et magni consilii, Methymnensem, cujus erat sororis filius, ad colloquium, ut propinquus et amicus, ad Cajae parvi fluminis Portugalliam a Castella dirimentis ripam medium scilicet locum invitavit.

VIII. Huc paucis comitibus cum processissent, longiore instituto sermone, Brigantius blanda et meditata oratione Methymnensis animum tractare coepit; de majorum illius virtutibus, de generis claritate, Principatus magnitudine multa paucis commemorat; contraque Pontificem Ulyssipponensem, et Gasparem Caravallum honestos quidem et honoratos homines esse docet, tamen ne minima quidem ex parte cum illius dignitate et celsitudine conferendos: ceterum cum Legati a Rege mitterentur, personam gerere, cui praeter Imperatoris majorumque Regum Legatos, ipsosque Reges aut Prin-

cipes, ceteros omnes loco cedere jus esset, et gentium more sancitum; ipsum enim Methymnensem Ducem, Episcopumque Carthaginensem, non Legatos ab Imperatore Regeque Castellae, sed a filio Principe excipiendae sponsae dumtaxat deducendaeque gratia paene privatos mitti. Quae cuncta cum essent omnibus perspecta, nec illi res esset cum Satrapis aut magnis Dynastis, quos superare vel anteire gloriosum foret, non esse quod cum eis de primo loco contendat: quin etiam si vir generis claritate opibusque, aut primus, aut certe nulli in Hispania secundus loco Regiis Legatis cedat, id officium non modo de dignitate ejus nihil esse detracturum confirmat, sed multum etiam ad humanitatis et justitiae famam adjecturum.

IX. His et talibus verbis persuasus Methymnensis, se vero haud magno in discrimine ponere respondit; constitutumque est, ut postridie in eum locum utrisque progressis, negotium tradita Maria conficeretur. Sed Pacem Augustam reversus Methymnensis, cum omnia fratri Olivarensi Comiti suorumque primis proposuisset, incusatus ab eis est, quod vir eo familiae ac Principatus splendore et amplitudine quidquam de sua dignitate jureque in tot hominum conventu, tamque celebri duarum nationum congressu remittere, animum induceret, idque blandis Ducis Brigantii verbis, fictaque oratione inductus, et falso persuasus, Lusitanos Legatos esse missos, se vero et Carthaginensem Episcopum privatos venire, propterea quod in Caroli Caesaris diplomate Legati non appellarentur, quasi vero Regis verba, et non res ipsa potius munusque Legatos effi-

efficiat : itaque turpe esse, virum tum ea dignitate, tum Caroli Caesaris Hispaniarum Regis, a quo missus fuisset, Legatum cuiquam loco cedere, praesertim temere de primo loco et ambitiose contendenti.

X. Haec cum a suis Dux non solum fraterne et amice, sed etiam verissime dici cognovisset, sententiam mutavit, ac postridie mane fratrem, qui de sua voluntate et causis mutati consilii Ducem Brigantium certiorem faceret, Elves properare jussit; nihilo tamen secius Dux idem et Carthaginensis Episcopus cum omni comitatu oppido, ut convenerat, proficiscuntur, ut si ad Cajam Lusitani cum Regia virgine processissent, ipsi quoque praesto essent ad locum et tempus constitutum; sin aliter, tamen ne per ipsos stetisse videretur, praesertim multis impedimentis hominibusque ex Elvibus ante Comitis Olivarensis adventum, ut erat necesse, Pacem Augustam praemissis; sed ad Cajam meridiano circiter tempore progressi obviam habuere Comitem re infecta revertentem. Redeuntes ergo, ceteris urbem intrare jussis, Dux Episcopusque et Comes Olivarensis paulo citra pontem consultandi gratia secesserunt, cumque his Jacobus Castillus unus ex quatuor aulicis praetoribus Caroli Caesaris, jure non solum, sed rerum etiam usu peritus, industrius, et in rebus gerendis singulari vigilantia, missus a Philippo, ut commeatibus, hospitiis, ceterisque rebus necessariis, quacumque iter esset, populis auctoritate praetoria, quae opus foret, imperaret, pariterque omnes in officio contineret.

XI. In horum quatuor congressu Comes Lusitanorum responsum exposuit, cujus summa fuit: nihil se cu-

cupide vel ambitiose de primo loco postulasse, nihil quod praeter morem et jus gentium esse videretur; proferrent illi Caroli Caesaris litteras sive diplomata, aut quavis alia ratione non esse ipsorum Lusitanorum aequa postulata docerent; se ita esse animatos, ut quae jure sibi postulare viderentur, in iis, si jure rationeque victi essent, incepto non gravate desisterent. Hoc responso audito, cum esset inter eos hac de re parumper disputatum, placuit, ut Alfonsus Henricus, qui officii et amicitiae gratia Episcopum Carthaginensem, cujus in gymnasio Salmanticensi auditor fuerat, comitabatur, Legatus de compositione ad Lusitanos mitteretur propter hominis prudentiam et auctoritatem. Erat enim vir multi consilii, et filius Almiranti Castellae, Abbasque Valdolitanus. Hunc igitur ad se vocant, mandata dant, et quid fieri vellent, edocent; sed ita ut cuncta fere ejus consilio et arbitrio permitterent.

XII. Is, negotio non gravate suscepto, ex eodem loco, cum jam advesperasceret, paucis ex peditibus comitantibus, Elves proficiscitur, coactisque Lusitanorum Legatis, eadem nocte mandata, quae acceperat, paucis exponit, pluribus quid sibi optimum factu esse videatur, declarat; quorum summa fuit: sibi tantorum utrinque virorum sapientia et gravitate indignum videri, id quod non dubitaret utrique Regi fore molestissimum, si res tanta, eoque deducta, Legatorum contentione impediretur, quae non tam gravis, quam ambitiosa videri posset. Quando igitur Dux Methymnensis ab ea, in quam inductus est, opinione, qualis ea cumque foret, deduci nequiret, ipsorum esse tum officii, tum

tum etiam prudentiae, rationem aliquam inire, per quam sublata vel in diem unum difficultate, Maria Legatis traderetur, et in Castellae fines Pacemque Augustam deduceretur; hoc enim facto, in quo rei summa verteretur, cetera fore in expedito, aut re inter Legatos composita, aut voluntate Regis ac Principis exspectata; quamquam se non dubitare, quin post receptam et in Castellae fines deductam Mariam, Dux esset in ejus potestate futurus, ipsiusque voluntati atque decreto pariturus. Dum res igitur in Portugalliae finibus gereretur, et Pacem Augustam Castellae primum oppidum Maria deduceretur, aequum esse a Lusitanis Castellanos comiter et liberaliter, vel suo jure decedentibus tractari; post eumdem diem certum habere Castellanos in suis finibus non commissuros, ut ab illis officio et humanitate victi fuisse viderentur.

XIII. His auditis, Lusitani, quae vere dici ac prudenter ab Alfonso Henrico intelligebant, in eam conditionem descenderunt, ut postridie Maria Legatis nostris traderetur, eoque congressu et itinere Duci Methymnensi primo loco ab omnibus cederetur; de reliquo tempore disceptatio atque judicium ad Mariam ipsosque Legatos Pacem Augustam rejiceretur. Haec Alfonsus Henricus eadem nocte reversus cum renuntiasset, postridie ad Cajae ripam utrique processerunt, sed priores cum Maria Lusitani, qui citra flumen consistentes in orbem, area magna intermissa, conglobati Castellanos exspectabant, quibus accedentibus, omnes qui aliquo numero et honore erant, ad pedes descendentes, Mariam, mulae, qua regaliter frenata instructa-

ctaque gestabatur, insidentem, suppliciter salutarunt, dextram scilicet more Hispano exosculati, praeter Sacerdotes, quibus religionis gratia hunc honorem habebat, ut in salutatione manum petentibus osculandam non porrigeret, morem, ut opinor, secuta, quem a Philippo servari didicerat; postremi Dux Methymnensis, Episcopusque descenderunt, et Mariam salutaverunt, quos ipsa comiter exceptos, humane resalutavit, utrique manu ad osculandum flagitanti pernegata. Deinde conscensis jumentis, uterque juxta ipsam Lusitanosque Legatos convenerunt. Tum Dux Brigantius sic est ad eos locutus: „ Missum se fuisse a Joanne Portugal-„ liae Rege cum Maria filia, ut eam ad sponsum Phi-„ lippum Castellae Principem deducendam ejusdem Prin-„ cipis Legatis traderet; proinde, qui recipiendi facul-„ tatem et mandatum a Philippo haberet, profiteretur, „ litterasque proferret. "

XIV. Ad haec Dux Methymnensis, se, et Episcopum Carthaginensem ejus rei gratia a Philippo missos esse respondit, litterasque protulit; quibus palam recitatis, Dux Brigantius Mariam, num tradi vellet, interrogavit. Quae cum annuisset, ipse habenas mulae principalis, quas manu tenebat, Methymnensi porrigens, Mariam se tradere dixit. Tum Methymnensis, num illa esset Maria Joannis Portugalliae Regis filia, quam sibi Princeps Philippus per procuratorem despondisset, interrogavit. Et cum esse Dux Brigantius, Ulyssipponensisque Archiepiscopus respondissent, accipere sese Mariam dixit, habenasque recepit. Tum Brigantius, qui aderant, de his rebus contestatus, testimonii

nii instrumentum, quod tabellio paene confectum adduxerat, ejusdem, ac Methymnensis Ducis, et Episcopi Carthaginensis manu subscriptum postulavit accepitque.

XV. His peractis, Lusitani reversuri, Maria, dum abire parat, suppliciter salutata, cum Duce Brigantio citra pontem resistunt; ipsa pontem transgressa, Pacem Augustam hoc ordine procedit: latus ejus sinistrum Dux Methymnensis claudebat, proximus ante ipsam Pontifex Carthaginensis incedebat, hinc ipsum oeconomo Mariae Principis, illinc Ludovico Sarmento stipantibus, qui Ludovicus de matrimonii negotio Legatus ad Joannem Regem missus fuerat a Carolo; et cum jure ceteros omnes, donec ad Philippum venisset, anteire posse videretur; tamen ne in tanta novorum Legatorum ambitione primum locum occuparet, eo die se legationis munere abdicaverat. Proximus a tergo Ulyssipponensis Archiepiscopus Mariam sequebatur, quae magna praeterea frequentia Cleri populique obviam progressi excepta, in urbem serico velario (*palium* vulgus nominat) quod Senatores purpurati perticis sustentabant, contegente, inducitur, Duce intervallo brevi, extra velarium tamen, antecedente.

XVI. Paucis diebus ad Pacem Augustam dum commoratur Maria, Legatorum composita controversia est. Dux enim sponte sua primo loco Ulyssipponensi Pontifici cessit. Nam Caravallus, simulato morbo, ad Elves restiterat. Hinc Maria magno comitatu Salmanticam proficiscitur. Hic enim locus faciendis celebrandisque nuptiis destinatus erat, et per Alburquerquium

oppidum *Alcantaram* venit ; quod nomen Mauri , cum rerum in Hispania potirentur , oppido dederunt a ponte , quo Tagus ibi committitur , quem pontem opere firmissimo et mirabili magnorum lapidum structura architectum Largum Trajani principatu a vicinis populis stipe collata construxisse , indicat impositi lapidis inscriptio . Comitabantur autem Mariam nobiles virgines complures , quas Methymnensis Dux splendide , ex quo Pacem Augustam ventum est , Salmanticam usque quotidie missis coctis epulis aluit .

XVII. Ex Alcantara Caurium venit , cum jam Philippus ex Valdolito profectus non longe ab hoc oppido , quod est in finibus Albani Ducis , paucis comitantibus processisset , quorum principes erant Dux ipse Albanus , Dux Scalonae , Benaventi Comes , Almirantus Castellae , Princepsque Asculi : venerat autem per speciem venandi , sed re vera , ut ex itinere sponsam desideratam conspiceret ; itaque mutata veste , velataque facie , comitibus simili ornatu constipantibus , ut vulgo nostri proceres , cum spectantes agnosci nolunt , facere consueverunt , venienti fit obviam , nec semel inspexisse contentus , iterum et saepius cum parumper vel secutus fuisset , vel antegressus , ad ipsam , quae nunc lectica , nunc mula gestabatur , singulis diebus recurrebat , nec intuendo expleri poterat : cum in vicum , cui nomen est *Aldea Tejada* , quatuor a Salmantica millibus ventum est , duobus ibi diebus constitit ; tertio a civitate , quae obviam frequentissima processit , et aulica nobilitate excepta est , et cum ingenti gratulatione in urbem deducta , editis in via equestribus ludis , et prae-

praeliorum tum equestrium, tum pedestrium simulacris, puellisque choreas ducentibus, ad urbem vero arcubus cum imaginibus aenigmaticis carminibusque et inscriptionibus erectis.

XVIII. Postero die, qui fuit Idus Novembris, Philippuss ex coenobio Hieronymi suburbano, ad quod diverterat, sine caerimonia, nec oppidanis obviam progressis, sic enim ipse jusserat, sed Pontifice Toletano multisque proceribus comitantibus, urbem intravit. Aderant enim ex Ducibus Methymnensis, Albanus, Scalonensis, Almirantusque Castellae; Marchiones Astoricensis, Vallensis, Gibraleonensis, Cerralvensis, et Asculi Princeps filius Antonii Leivae; Comites Beneventanus, Nieblensis, Aguilarensis, Bailensis, Salinensis, Fonsalidensis, Lunensis, Olivarensis, Monregiensis, Albanus; et ex religiosorum equitum Praefectis Franciscus Covus, et Joannes Zugniga. Primaque nocte sponsalia consueta caerimonia facta, eodem Cardinale Toletanoque Pontifice sacramentum administrante, deinde quarta circiter hora post mediam noctem res divina patrata, et nuptiae eodem administro celebratae, deinde circa lucem Philippus cum conjuge in thalamum paratum, ceteri suam quisque domum cubitum discesserunt. Septem diebus per ludos equestres, numerosas saltationes, venationesque jucundissime celebratis, Philippus, collaudato et domum redire jusso Duce Methymnensi, cum uxore proficiscitur, et Valdolitum reverti contendit.

XIX. Carolus Caesar, qui post Francisci Regis fugae similem receptum in Flandriam sese receperat, cum

totus mente et animo in bellum Gallicum renovandum insisteret, nihil sibi praetermittendum esse constituerat, quod ad rem conficiendam facultatem aliquam habere videretur. Cum igitur, antequam ex Hispania proficisceretur, ab Henrico Britannorum Rege missa legatione solicitatus fuisset, ut Franciscum Regem Gallorum communem hostem communibus armis oppugnarent, ad hunc eadem de re Fernandum Gonzagam, et Joannem Baptistam Gastaldum Legatos misit, per quos gratia inter eos Principes reconciliata, et belli societate constituta, Henricus necessaria bello comparare coepit.

XX. Carolus a Bruxellis Spiram urbem progressus, quo Germanorum Concilium indixerat, cum principes civitatumque legati frequentes convenissent, apud hos de ceteris rebus ad otium et quietem publicumque Germanorum bonum pertinentibus multa disseruit; ceterum in sermone de motibus Gallorum ingressus, de Francisci Regis in se et Imperium Romanorum injuriis verba facit: ut ruptis per causas illatas induciis, bello Hispaniam lacessisset, oppido Perpiniano, frustra quidem, totis tamen opibus oppugnato, eodemque tempore Luxemburgum primariam urbem aliaque oppida imparata invasisset et occupasset, simulque de inimico ejus in omnes pios, et a Republica Christiana averso animo et scelerato consilio commemorat, qui cum Solymano communi et acerrimo Christiani nominis hoste inita societate et amicitia, classem ejus Turcis militibus onustam ad Christianos oppugnandos magnis suis jacturis et impensis adduxerit, et praedones Turcas mare internum infestantes, ut impune possint omni anni tem-

po-

pore ceteris Christianis insidiari, et spoliatos in servitutem abstrahere, suis portubus recipiat, et suggerendis commeatibus alat. Tantorum igitur malorum auctoris audaciam reprimere, et ne latius mala serpant, providere, Christianorum omnium officium esse docet; sed maxime Germanorum, ad quos injuriae maximae pertineant, quorum ille socias et amicas civitates invadat et occupet, et Solymani acerrimi hostis, et omnes occasiones Germanos opprimendi observantis, vires augeat. Proinde postulare, ut se, qui Germanorum reipublicae praesit, et pro suo officio publicum negotium susceperit, milite pecuniaque juvare ne graventur; se pro republica Christiana, pro Imperio et dignitate Germaniae nullum laborem, nullum periculum recusare.

XXI. His et talibus verbis Germani adducti, qui sua sponte Regem Franciscum male oderant, re deliberata, Germanorum peditum viginti quatuor millia, equitum quatuor cum stipendio semestri Carolo decernunt; simulque edicto in omnes partes dimisso, interdicitur, nequis Germanus Gallo militarem operam locaret, poena capitis in eos constituta, qui edicto non paruissent. Interea, ut Carolus Caesar, sic item Reges delectum habere, manus cogere, et bello necessaria comparare. Gallus Helvetiorum quatuordecim millia conduxerat, stipendii parte numerata, ea conditione, ut domi jussum ipsius exspectarent, vocati autem celeriter ad signa convenirent, et ad se suaque castra properarent, quo jam convenerant Italicorum septem, Vasconum quinque, praeterea Germanorum quatuor millia egentium et perditorum hominum, qui parum e-

di-

dictis et legibus movebantur. Carolus Germanorum viginti quatuor millia confecerat, quibus Martinum Rosemium et Guiliermum Frostebergum praefecerat; Hispanorum ad septem millia, et Belgarum quinque, praeterea equitum septem millia, quorum sexcenti erant Hispani; quae copiae dum conveniunt, cum parte, quae aderat, Fernandum Gonzagam antecedere, et Regios fines invadere, belloque lacessere jubet.

XXII. Is, copiis inductis, Luxemburgum, quod valido praesidio tenebatur, in deditionem tamen venire coëgit; Lignum expugnavit, Landresinum quoque recepit, et tunc Sandesirium munitissimum oppidum obsidebat, cum Carolus Caesar cum reliquo exercitu et equitatu in ea loca pervenit, adjuncta in itinere ad Metim Lorenae oppidum, ubi dies aliquot rei frumentariae commeatusque causa commoratus erat, Hispanorum trium millium delecta manu, quam Vascus Acugna nuper ex Hispania trajecerat. Castris ad Sandesirium separatim idoneo loco positis, incepta oppugnatio acrius pluribusque tormentis urgetur, noctu dieque continuata, cujus administrandae gratia Fernandus Gonzaga, et Renatus Princeps Uraniae ad apertos cuniculos, juxta quos erant tormenta disposita, cùm processissent, tormenti telum ex oppido emissum, et inter utrumque terrae impactum est, a quo lapis forte rejectus, Principis humero letalem plagam incussit. Huic, dum a suis in tentorium deferretur, Carolus, qui non longe aberat, obviam factus, humanis eum et amicis verbis consolatus est; erat enim ipsi propter perspectam fidem et singularem virtutem carus.

Po-

XXIII. Postridie, qui fuit Idus Julii, diruta jam bona parte muri, non tamen solo propter aggestam intrinsecus terram, quae plurimum firmitudinis addit, aequata, Hispani quidam gloriae praedaeque cupidiores, sine imperio et ordine audacter initium invadendi fecerunt, sed fossam non magno negotio transita, murum altiorem, quam ut facile sine scalis conscendi posset, offenderunt; itaque pauci, et hi cum suo maximo periculo, in murum evadebant, custodibus oppidanisque tum intrinsecus, tum ex muris, quos mulieres etiam et Monachi militibus immisti defendendi gratia compleverant, scloppetis, lapidibus, atque igne acriter propugnantibus; praeterea militum acies instructa in area circa dirutum murum complanata constiterat, quae subeuntes hostes repelleret atque dejiceret. Igitur in quartam horam certamine nostri nequidquam producto, telis jam et glandibus exhaustis, signo accepto, sese receperunt, centum septuaginta amplius amissis, plus trecentis vulneratis, quorum fuere Ludovicus Perezius Vargas, et Alvarus Sandius militum tribuni; Germani vero, qui loco pugnae, ut ingressis Hispanis auxilio essent, appropinquaverant, quia muro non successerant, obliquis telis opportuniores facti, plus etiam detrimenti ab hostibus acceperunt.

XXIV. Hujus accepti detrimenti duo potissimum Hispani milites Pagani centurionis manipulares, quorum alter signum ferebat, auctores fuerunt, qui primi omnium Imperatoris ac ducis injussu temere cum procurrissent, ceteros temeritatis ignaros concitarunt; sed hi cum ad poenam necemque se conquiri cognovissent,

ad

ad hostes perfugerunt. Porro dum ad oppugnationem renovandam, quae sint usui, comparantur, et omnia commodiore ratione diligenter administrantur, mille et ducentorum Vasconum Italicorumque manus et equites sexcenti, qui obsessis subsidio a Rege cum Brisaceo praefecto mittebantur, ad Vitros, quod oppidum inde duodecim millia passuum abest, consedisse nuntiantur, ut data occasione in Sandesirium irrumperent. Ad hos oppugnandos Carolus Joannem Baptistam Castaldum cum Germanorum octo millibus et Hispanis jaculatoribus trecentis tormentisque octo proficisci jubet, simulque Mauricium Saxonem ex Ducum familia cum equitibus cataphractis mille et totidem levioris armaturae, Franciscum Estensem mittit: quae manus, itinere nullam partem noctis intermisso, prima luce ad hostes perveniunt. Tunc jaculatores Hispani equis invecti, cum Manuele Guzmano et Aguilera praefectis agmen antegressi, hostes ipsorum non adventus, sed multitudinis ignaros parvo praelio lacessunt; sed superveniente equitatu, hostes in oppidum facile compelluntur; quo capto, paucis fuga elapsis, ceteri caesi aut capti, Galli, Vasconesque; Italici vero trecenti in templum confugerunt, ibique se manu defendebant; sed hoc quoque expugnato, omnes ad unum conciduntur.

XXV. Hoc nuntio accepto, qui Sandesirium custodiebant; legatos de pace ad Carolum in castra semel atque iterum miserunt, quam his demum conditionibus impetrarunt, ut nisi ante diem nonum subsidio mitteretur exercitus, qui ipsos obsidione solveret, oppido tradito discederent, et cum suis sarcinis in castra Re-

gia,

gia, signis militaribus explicatis, proficisci permitterentur; Hispanorum praesidio (sic enim ipsi postulaverunt) usque in tutum locum prosequente. Ad hunc modum Sandesirio recepto, dum paucos ibi dies commoratur, a Carolo, dimissa in expeditionem copiarum parte, circumjecta castella et oppida recipiuntur, et in his Jambila, cui Guisanus Gallicarum copiarum Dux imperitabat, aedesque ibi magnificentissimas et pulcherrimas habebat, quas, reliquis aedificiis a Germanis suo barbarico more incensis, cura et provisio Caroli Caesaris servavit. Cum autem ceteris castellis, quibus Lorenae Dux imperitabat, jussu Caroli parceretur, propterea quod is se communem amicum Caroli Francisque esse, et ne alterum offenderet, neutri favere praedicabat, unius tamen castellanos hostium loco Carolus habendos idcirco putavit, quoniam vias, quibus commeatus in castra importabantur, infestas reddebant. Itaque Hispani quingenti cum praefecto Maldonado missi, quotquot eorum nacti sunt, ut imperatum erat, occiderunt.

XXVI. Erat id temporis Xalone Dominicanus quidam Monachus Hispanus natione, cui nomen erat Gabriel Guzmanus, Caroli Caesaris *Confessori* notus (usu enim molliendum est novum hoc vocabulum, quo Sacerdos administer sacramenti poenitentiae more Christiano nominatur). Is cupiens Christianorum publicae saluti consulere, auctorem se interpretemque pacificationis, siqua ratio iniri posset, praebere constituit. Cumque Regi pacis cupidissimo, suisque rebus diffidenti, suam operam detulisset, ipso volente, et magnis pol-

licitis adhortante, in Caroli castra venit, et Confessorem eumdem notum et amicum de voluntate Regis docet, deque placando Carolo, et pace inter Principes pro ipsius officio et pietate concilianda cohortatur.

XXVII. Confessor, Ducis Lotharingiae et Caroli Farnesii preces apud Carolum frustra fuisse non ignorabat, cum ille sponte sua, hic a Paulo Pontifice Legatus ea de re missus, sese in pacificationem interposuissent; cupidus tamen publicae Christianorum pacis et quietis, spernendam non putavit illam qualemcumque Regis de pace legationem, quin ad Carolum perferretur; qua exposita, Monachi cum Carolo de pace diligenter agunt, et suppliciter cohortantur, ut Christianorum sanguini parceret, neve propter Regis culpam in populares, qui ejusdem temeritatem et parum pios conatus aversarentur, saeviri pateretur; iniquum esse unius injusti hominis crimen et audaciam in plurimos innocentes vindicari, indignumque tam pio tamque humano Principe, et qui, ut esset, sic se reipublicae Christianae assertorem esse profiteatur, committere, ut Christiani mutuis caedibus confecti et extenuati, Turcis communibus et acerrimis hostibus, et tales occasiones diligenter observantibus, opportuni fiant ad injuriam, suaque pertinacia et mutuis contentionibus rem communem perditum eant, praesertim cum ad gloriam et hominum opinionem satis superque profectum sit, afflictis ab eo rebus Gallicis, et, nisi parcat, extremum discrimen adeuntibus.

XXVIII. Talibus monitis Carolus permotus, qui sua sponte a crudelitate et maleficiis abhorrebat, et Franci-

ciscum non perdere, aut Regno spoliare, sed ad justitiam compellere, ejusque superbiam reprimere volebat, non respuit prostrati Regis, et de summa rerum periclitantis supplex postulatum. Itaque Regi renuntiari jubet, ut, quoniam suis ipse malis admonitus ad meliorem mentem rediret, et quanto cum suo periculo se nuper ad bellum per injuriam provocasset, non ignarus, pacem ab ipso peteret, se rerum humanarum memorem non recusare, quin de pacis conditionibus agitaretur: proinde Legatos primo quoque tempore viros graves cum liberis mandatis, ut de pacificatione transigatur, mittat. Nam se, ne locus dolo fiat, bellum non intermissurum, nec ab armis, antequam res composita confectaque sit, discessurum.

XXIX. Franciscus, his renuntiatis, nec satis fide litteris Guzmani Monachi habita, unum ex intimis suis in Caroli Caesaris castra misit, qui de ipsius voluntate certiora cognosceret; qua cognita, ille ad Regem cum Monacho revertit, paucisque diebus interjectis, Legati sex, quorum principem locum Almirallius et magnus Cancellarius tenebant, a Rege missi, in castra venerunt, quae Carolus a Sandesirio movens, in vico non longe a Vitris posuerat. Hi cum Fernando Gonzaga et Perrenoto Granvela voluntate Caroli de pacis conditionibus collocuti, Xalonem redierunt. Hoc oppidum Matrona flumine bonam partem circumluente, natura erat atque opere munitum, et tunc peditum octo millium et mille equitum praesidio tenebatur. Ex his ad accessum Caroli quadringenti equites egressi, parvum praelium cum totidem nostris Germani generis equiti-

 bus

bus commiserunt, qui Germani quaternis telis parvo scloppeto, quod ex silice ignem excutiebat, clava, venabulo, gladioque armati, pugnam inibant. Hi, nullo fere incommodo accepto, hostium parte caesa, pluribus vulneratis, captis etiam quibusdam, eos in oppidum compulerunt. Postridie Legati in castra cum redivissent, re nondum confecta discesserunt; Fernandus vero Gonzaga cum parte copiarum situs explorandi gratia oppidum obivit. Tertio die castra idoneo loco posita, et singulis diebus equestria praelia facta.

XXX. Hic Carolus animadvertens difficilem fore oppidi hujus oppugnationem, tum quia firmo praesidio tenebatur, tum quia Gallicus exercitus, qui facile posset laboranti subsidio venire, non procul aberat, ne tempus tereret, alia ratione bellum sibi gerendum statuit, et Lutetiam Parisiorum Galliae caput, si facultas detur, properandum; sed veritus Germanorum impatientiam, qui, nisi ad diem stipendium numeretur, facile solent bellum detrectare, convocatis eorum praefectis, sic cum eis egit. „Ad rationem, inquit, belli „gerendi, quam commodam et expeditam inire cogi„to, magni refert, Germani praefecti, vestram vestro„rumque militum mentem et voluntatem mihi cogni„tam esse. Nam vobis, quorum egregia in bellis o„pera et virtute uti consuevi, nolentibus, nihil cona„ri mihi certum est: neque vero mihi de Germano„rum fide, quam multis documentis perspexi, subori„tur dubitatio; sed de patientia et tolerantia, quo„niam nec ante biduum commeatus importari possunt, „nec stipendium intra mensem numerari, quae a vo-
„bis

„bis peto, ut aequo animo, tantisper dum tempus po-„stulat, feratis, et mihi omnia cumulate remuneratu-„ro, vestra non solum virtute, sed etiam patientia „militarem operam exhibeatis.“

XXXI. Ad haec Germani praeter morem suum, nullo spatio ad deliberandum sumto; liberaliter responderunt, seque frumentum commeatumque reliquum non solum sibi, sed copiis omnibus ex agris ac aedificiis petituros esse pollicentur, de stipendio vero non recusare, quin solutio in unum et alterum mensem differatur; ipse igitur libere suis rationibus consuleret, Germanos milites nullo loco nec fidei nec officio defuturos. Carolus, Germanis collaudatis, jussisque omnibus sese itineri comparare, frequentioribus ignibus ad speciem factis, secunda vigilia silentio castra movet, antecedente cum equitatu Francisco Estensi; in hunc Roxa unus ex Gallis proceribus, qui centum quinquaginta equites in castra Gallorum ducebat, cum incidisset, commisso praelio, Dux ipse Roxa captus est, nec Gallorum equitum quisquam, quin aut caperetur, aut caderet, desideratus. Ceterum ex nostris Guiliermus Germanus, equitum et ipse suae gentis praefectus, qui ceteros antegressus temere in hostes processerat, in ipsorum manus cum suorum quibusdam initio pervenerat.

XXXII. Carolus, itinere non intermisso, hostilia castra trans flumen posita praetergressus, copiasque in locum destinatum inducens, septem castella, quo vis ingens omnis generis commeatus fuerat a Rege congesta, sine certamine cepit, tantaque frumenti ac vini et salitarum carnium ac reliqui commeatus copia potitus

tus est, ut satis superque fore videretur ad exercitum multis mensibus liberaliter alendum, praeter magnam vestis ac reliquae supellectilis praedam, quae quia magna ex parte in Germanorum potestatem pervenit, parum usui militibus Caesarianis fuit. Germani enim barbara sua consuetudine vestem etiam pretiosam, quam ferre ipsi non possunt, saepe in bello aut igni corrumpunt, aut in profluentem aquam projiciunt. In Matrona quoque praeterlabente flumine multae naviculae vino onustae deprehensae, quae ad commeatus Lutetiam usque secundo flumine deferendos usui esse poterant. Ceterum in tanta copia commeatuum magna difficultate et molestia Carolus afficiebatur, quod Germani milites vino tam intemperanter more gentis abutebantur, ut crapula corporibus et mentibus impeditis, inutiles ad bellum gerendum redderentur. Ex his castellis movens Carolus, secundum flumen copias inducit, obvia quaeque in suam potestatem redigens, et Hispanorum praesidia in oppida dedititia, ne ab Germanis subeuntibus incenderentur, dimittens. Cum Regis Legati ad Carolum rediissent, multis verbis et disputationibus habitis, tandem ad diem decimum sextum Kalendarum Octobris, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus quadragesimus quartus, pax ad Crepinum castellum his potissimum conditionibus convenit. „Primum omnium, „ut uterque alteri oppida et castella, sive arces bello „ab ipsis occupata restitueret; ut Rex Franciscus Sa„baudiae Ducatum, et ad hunc pertinentem Subalpi„nam regionem in Caroli Caesaris potestatem Duci tra„dendam permitteret. Ducis enim spoliandi Rex cau„sam

[margin: ...N. M.D.XLIV.]

„ sam intulerat, quod is fidem et amicitiam Caroli se-
„ cutus fuisset; judicium vero causae et controversiae
„ inter Regem et Ducem arbitrio Caroli permitteretur.
„ Rex item Carolo ad bellum in Turcas, sive inferen-
„ dum esset, sive propulsandum, peditum decem, e-
„ quitum vero tria millia summitteret, et toto belli
„ tempore suis sumtibus aleret.

„ Praeterea ad tollendas omnes bellorum occasiones,
„ quidquid juris haberet in Regnum Neapolitanum,
„ Carolo, ut saepe jam fecerat, remitteret; fidemque
„ daret, numquam se auctorem fautoremve fore Re-
„ gnum Navarrae bello repetendi; Carolusque vicissim
„ Francisco jure Ducatus Burgundiae cederet.

„ Et ad pacem et amicitiam novis necessitudinibus
„ confirmandam, Carolo Regis filio, vel filiam suam
„ Mariam ex duabus natu majorem Caesar in matri-
„ monium daret, Flandriae Geldriaeque Ducatibus do-
„ tatam, sed ita ut ipso vivente administratione dum-
„ taxat filia et maritus fungerentur; vel filiam Fernan-
„ di fratris Ducatu Mediolanensi in clientelam sic attri-
„ buto, ut sibi Carolus Caesar Mediolanensem et Cre-
„ monensem arces retineret, donec filius ex eo matri-
„ monio procreatus quinque aetatis annos adimpleret. "

XXXIII. His dictis conditionibus, et obsidibus qua-
tuor Gallis viris principibus acceptis, Carolus, Cardi-
nale Modonis vocato, et duobus proceribus, quorum
alter a Guisa, alter a Valle cognominabatur, et Almi-
rallii filio, Regi pacem dedit eo tempore, cum omnium
judicio non erat ei difficile Franciscum Regno aut o-
mnino, aut magna ex parte dejicere. Nam, cum duo-
bus

bus magnis exercitibus hinc Carolus Caesar, illinc Rex Britannus urgeret, tantus timor Gallos omnes ipsumque Regem invaserat, ut obsisti posse inciperent non immerito diffidere; itaque oppida, quocumque Carolus se convertisset, praeter munitissima, passim deserebantur, ipsaque Lutetia Parisiorum Regni caput ab oppidanis deseri coepta erat, et fuisset omnino, ut creditum est, deserta, si Carolus, qui non procul aberat, trajecto Matrona flumine, copias induxisset. Haec cum Carolus haberet explorata, memor tamen humanitatis et officii bellum, quod ad famam et imperium augendum plurimum facere videbatur, posthabuit tamen paci, quae plus haberet pietatis, et ad Christianorum discordiam tollendam, ne mutuis vulneribus et jacturis conficerentur, et rem communem contra publicum hostem stabiliendam pertineret: quod consilium multo minus quorumdam reprehensionibus patuisset, qui tantam victoriam de hoste pertinaci e manibus emittendam non putabant, si Rex Gallus fidem datam praestitisset, aut cariore pignore fidem fecisset; se, quod pollicebatur, praestiturum, praecipue de Sabaudia restituenda, quam, quoad vixit, retinuit; ad summam, praeter oppida, quae in propinquo alter alteri restituit, nullis pacis conditionibus Regem stetisse constat.

XXXIV. Pace ad hunc modum reconciliata, Henricus Regis filius ad Carolum in castra venit salutandi gratia, a quo perhumaniter comiterque exceptus et tractatus est. Carolus, Germanis dimissis, ac domum redire jussis, in Flandriam Bruxellasque revertit, quo paulo post Eleonora soror Galliae Regina cum magno comi-

mitatu Carolum visendi et salutandi gratia venit, et apud ipsum et Mariam amitam jucundissime dies aliquot commorata est. Venerat in ejus comitatu Tampa, Francisci Regis concubina, quae cum Antuerpiam progressa, tapetes et aulaea coëmendi gratia tabernas adiret, magno puerorum concursu, *haec est Regis concubina* clamantium, in hospitium redire coacta est, reque infecta, Bruxellas redit. Hoc cognito, Carolus tapetes eidem aulaeaque tanti pretii dono misit, ut ducatorum aureorum millibus quadraginta amplius aestimarentur.

XXXV. In discessu Reginae, Carolo ipsam cum procerum comitatu deducente, Fernandus Gonzaga, Petrusque Corduba Feriae Comes, nondum conscensis equis, Marsiae nobilis, pulchrae et festivae ex Reginae comitibus adolescentulae, quam uterque adamabat, latera claudebant; sed humeris forte delapso pallio, Gonzaga, ut eo resumto sese compararet, cum restitisset, Comes, imposita in equum puella, ipse suum conscendit, seque loco ad colloquendum opportuno collocavit: sed non diu progressus, a Carolo forte vocatus, discessit, in ejusque locum Gonzaga succedit. Hoc Comes reversus cum ferret moleste, inter duos equos, quibus Gonzaga Marsiaque invehebantur, suo citato sese immisit. Tum Gonzaga: *Obsecro te*, inquit, *Comes, intelligis quod facis*? *Ego vero maxime*, respondet ille, *hic meus locus est, tu poteris, si libet, in partem alteram transire*. Et Fernandus Gonzaga: *Itane*, inquit, ac indicem momordit, Italico more minitandi. Comes autem dextra gladii capulum apprehendit, idemque fecit

cit Gonzaga; neuter tamen gladium eduxit, interjicientibus se, qui aderant, viris nobilibus, et contentionem dirimentibus. Interea Marsia festinanter processit; sed hanc mox consecutus Comes, habena equum ejus inhibuit, ut sedato incessu rursus colloquerentur.

XXXVI. Carolus certior factus restitit parumper, et Comitem cum filiis fratris Regis Romanorum, Gonzagam cum Henrico Galliae Regis filio procedere, nec ab eis discedere jussit, Bruxellasque reversus, utrumque hospitio suo continere se jussit, et a praetorianis militibus Comitem Hispanis, Gonzagam Germanis custodiri. Postridie mittit, imperatque Comiti, ut, deposita simultate, in gratiam cum Fernando Gonzaga rediret. Ad haec Comes respondit: „Sibi vero nihil esse causae, „cur Fernando Gonzagae pertinaciter succenseret; et si- „quid esset, id se facile Caroli Caesaris voluntati fuisse „remissurum." Fernandus autem Gonzaga, cum eadem ipsi verbis Caroli denuntiata fuissent, „daret sibi Caro- „lus veniam, respondit; nam accepta contumelia, non „esse locum Principis imperio, quo minus clienti viro „nobili suae dignitatis rationem habere legibus et more „permittatur." Quod Gonzagae consilium in tam levi causa judicio cunctorum cum improbaretur, ille tamen indulgens irae, epistolam scribit, qua per nuntium occultum missa, Comitem ad certamen singulare more Hispano provocaret, ut, vitata hominum celebritate, soli, aut singulis amicis arbitris, secretiore loco dextris gladio armatis, laevis pro scuto sago palliove involutis dimicarent.

XXXVII. Carolus, hoc per indicem cognito, arctio-

ctiore custodia eos asservari jubet, donec Gonzaga, cum ira deferbuisset, consilio prudentium amicorum paruit, dehortantium, ne injuriam re levissimam, magnam opinione redderet, iram diutius pertinaciter alendo; eisdemque auctoribus per duos viros graves et strenuos, Joannem Jacobum Medicem Melignani Marchionem, et Pyrrhum Columnam palam missos, Petrum Comitem percunctatur, quod se nuper parum comiter tractasset, num inimico id animo et injuriae meditatae causa fecisset? Ad ea Comes humane prudenterque respondit; „Nihil a se inimico animo factum in Fernan„dum Gonzagam, quem diligeret potius et observaret, „nihil inferendae, sed cuncta propulsandae injuriae loci„que tuendi causa, quem sibi occupatio et aulica con„suetudo tribuisset, quoque ipse loco neminem virum „nobilem, ne de grege quidem aulicorum, submovere „induxisset animum." Hoc ille accepto responso, *Ista*, inquiunt, *affirmatione contentus est Fernandus Gonzaga, nec molestiam, siquam ipsi motu animi repentino exhibuisti, ad suam injuriam pertinere putat*; et sic per eosdem internuntios pax inter duos proceres viros optimos et fortissimos conciliata est cum magna omnium laetitia, praesertim Hispanorum, qui Comitis rebus propter perspectam ejus singularem virtutem, humanitatem et beneficentiam plurimum favebant. Atque haec quidem apud Carolum Caesarem gerebantur.

XXXVIII. Henricus interea Britannorum Rex, copiis in Galliam, qua proximum erat, trajectis, incursiones facere, praedas agere, et maritimas regiones vexare non desistebat; sed Bononiam in primis tentare

placuit, urbem in Morinis munitissimam, littorique appositam, quam cum praesidio Varvenus custodiebat, Ubiae gener, Praesidis eam provinciam obtinentis. Bononiam igitur Henricus magno impetu oppugnare aggressus, tantum terrorem oppidanis ac praesidio injecit, ut Varvenum, oppugnationibus et obsidione non diu sustentatis, deditionem facere cogeret, quod quam gratum Britanno, qui ea urbe propter loci opportunitatem potiri jam pridem studebat, tam molestum fuit Gallo Regi ob eamdem causam, ita ut Varveni culpam in Ubia quoque socero, qui praesidio eum praefecerat, vindicandam putaret, quippe hominem de se non modo bellis superioribus, sed etiam in eo ipso, quod gerebatur, benemeritum in vincula conjecit, et praefectura cum ignominia privavit.

XXXIX. Recepta Bononia, validoque praesidio firmata, Henricus Monterolum oppidum item munitissimum oppugnandi causa copias inducit, obsidetque; sed eam obsidionem tam fortiter Ubia sustinebat, ut saepe eruptione pugnaret, et variis eventibus levia praelia fierent. Ceterum facta ad Crepinum pace, Henricus *Delphinus* (quo nomine Regni successor in Gallia vocatur, ut *Princeps* in Hispania) cum exercitu a patre tradito in Morinos et Monterolum auxilii ferendi gratia magnis itineribus contendit; quo accedente, Rex Monteroli obsidionem omittit, et domum redire parat, ut factus a Carolo Caesare de pacificatione certior constituerat. Nam ut pacem faceret cum Rege Francisco, Bononiamque restitueret, impetrare ab eo non potuit, nec Bononiam Galli saepe tentatam vi et armis, nec lon-

longa et pertinace obsidione terra marique urgentes recipere potuerunt, quamquam ejus rei causa triremium classis ex Massilia longissimo circuitu per fretum Herculeum et Oceanum a Rege missa est cum Pollino, saepe a nobis nominato, praefecto, qui toti officio maritimo praeesset, ut Bononia mari quoque auxilio Britannico et commeatibus intercluderetur; sed post Francisci Henricique Regum obitum, pace inter filios Henricum et Oduardum, qui patribus in Galliae et Britanniae Regna successerant, facta, quadringentis scutatorum millibus Bononia redemta fuit anno Christi M.D.XLIX. ut ea pecunia belli sumtus a Britanno factus compensaretur.

XL. Pace inter Principes Christianos, ut memoratum est, constituta, Paulus Pontifex precibus Caroli Caesaris expugnatus, generale Concilium Ecclesiasticum indicit, ac Tridentum convenire jubet; cujus rei gratia Carolus, quamquam ei Pontificis inconstantia suspecta erat, cujus animum noverat ab agendo Concilio sponte sua procul abhorrentem, in Hispaniam tamen scribit, ut Episcopi omnes sese itineri compararent, suumque jussum exspectarent; sed certos nominatim ascriptos, quos opinio doctrinae commendabat, primo quoque tempore Tridentum, ut ad diem constitutum praesto essent, proficisci praecipit. Hi autem fuerunt Petrus Pachecus Episcopus Giennensis, Jacobus Alaba Asturicensis, Joannes Bernardus Calagurritanus, Franciscus Navarra Civitatensis. Atque hi quidem Praesules ex jure Pontificio peritis profecti sunt. Nam Thomas Archiepiscopus Valentinus, et Antonius Ramirus Sagoviensis Episco-

scopi Theologi, infirmitatem valetudinis excusaverunt. Praeterea ex privatis Theologis Alfonsus Castrus, et Antonius Crucius, Franciscani, et Dominicus Sotus, Bartholomaeusque Miranda, Dominicani Monachi, omnes perdocti, proficisci jussi. Nam ex Clericis, etsi non deerant praestanti doctrina Theologi, nemo tamen ire jussus; fortasse, ut hominum opinio fuit, quoniam Carolus in ea deliberatione Petri Soti Confessoris sui Monachi Dominicani judicium atque sententiam secutus est, ut Monachi solent Monachis, praesertim ejusdem familiae, studiose suffragari. Ex Jureconsultis autem Franciscus Vargas Consilii Regii Fiscalis Procurator; et ex Judicibus Valdolitensis Conventus, quae *Cancelleria* dicitur, Martinus Velascus convenerunt: quibus singulis alendis millenos, Monachis autem quingenos aureos ducatos Carolus in annos constituit. Coeptum est autem Concilium agi Idibus Decembris, qui fuit annus
N. M.D.XLV. Christi millesimus quingentesimus quadragesimus quintus; cui Concilio tres Cardinales Pauli Pontificis Legati pro ipso praefuerunt, Joannes Maria Montius Episcopus, Marcellus Cervinus Presbyter, Reginaldus Polus Diaconus.

XLI. Eodem anno septimo Idus Julii, quarta circiter parte horae post mediam antecedentem noctem, Maria Philippi Principis uxor Valdoliti filium edidit, cui nomen fuit Carolo, partu tam difficili et laborioso, ut febricula consequeretur. Accessit matronarum culpa, quae per inscitiam et stultam indulgentiam subuculam mutarunt, nec arcte constrinxerunt, nec cetera pro consuetudine peritarum obstetricum administrarunt. Itaque secuta febricula quarto post die Mariam

cum

cum magno mariti atque omnium ordinum dolore confecit; cujus corpus ingenti funeris apparatu postridie in Pauli aedem elatum fuit, Albano Duce, Comite Beneventano, Dianiique Marchione, et aliis viris principibus lecticam feretrumque humeris gestantibus, multisque Praesulibus ac omnium Consiliorum Tribunaliumque viris et Magistratibus prosequentibus; ibique subterraneo loco ad tempus conditum ante aram sacelli maximi, atque inde Granatam ad Regia monumenta, ut ipsa testamento caverat, translatum.


XLII. Philippus autem, qui aegrotanti uxori cura et assiduitate suum officium praestiterat, statim die obitus, funeris et exsequiarum cura Praesulibus principibusque viris demandata, ipse in Abrogium Franciscanorum ad Durii ripam coenobium secessit, Joanne Zugniga, Alvaro Corduba, et Antonio Roxa intimis familiaribus assectantibus; ac dies aliquot commoratus, ad tertium Nonas Augusti Valdolitum in easdem aedes juxta Pauli fanum redivit, paulo post Joannis Taverae Archiepiscopi Toletani et Ecclesiae Romanae Cardinalis obitum, quem morbus, ex vigiliis et laboribus, ut aegrotanti Mariae assideret, susceptis contractus, absumsit. Quod ei accidit, dum praeter vires et aetatem diu noctuque sedulo daret operam, ne qua ex parte officio defuisse videretur, ut erat supra quam credi potest officiosissimus; de cujus moribus, non ut ab aliis accepi, sed ut ipse familiari consuetudine perspexi, non erit alienum paucis verbis memorare.

XLIII. Erat Joannes Tavera non solum egregia juris civilis et Pontificii cognitione praeditus, sed magno et-

etiam consilio et gravitate ; praeterea continentia , innocentia , religione , et integritate singulari , quarum virtutum opinione Carolo Caesari fuit acceptissimus , ab eoque per gradus ad illud dignitatis fastigium evectus. Ejus enim beneficio sive suffragio factus est Pontifex Civitatensis , deinde Legionensis , postea Uxamensis , tum Compostellanus , postremo Toletanus ; ab eodemque fuit Conventus Valdolitensis , deinde Regii Consilii Praeses constitutus , et toti officio in haereticos inquirendi et vindicandi praefectus. Illud quoque animadverti , fuisse eumdem Joannem Taveram in praestandis officiis tam curiosum , ut nullum , ne nimium quidem , sibi praetereundum putaret , hoc quoque superstitiose cavens in habendis honoribus , ne quid per indulgentiam vel per incuriam peccare in aliquem videretur , quod ipsum liberioribus hominibus instar peccati in viris principibus videri solet. Insigne religionis ac humanitatis ejus monumentum est xenodochium , quod ad Toletum extra portam viae sacrae magnifice et conditum , et dotatum ad pauperes aegrotantes curandos et alendos reliquit.

XLIV. Mortuo Joanne Tavera , Carolus , qui ad sumtus bellorum , quae jam multos annos paene continentes gerebat , omnes pecuniarum vias exquirere cogebatur , cum Paulo Tertio Pontifice Maximo per Legatum precibus agere coepit , ut Archiepiscopatui Toletano nemo Pontifex praeficeretur , sed opulentissimum illud sacerdotium apud aliquem quasi Vicarium Archiepiscopi ac rerum administratorem deponeretur , fructus autem ejus bellorum , quae cum impiis Christiani nominis hostibus continenter ab ipso gerebantur , sumtibus

bus ad tempus destinarentur. Quod cum non impetrasset, quippe religioni hoc habitum est, et ab Ecclesiastica dignitate ac libertate abhorrere visum, Joanni Martino Siliceo Episcopo Carthaginensi idem sacerdotium mandandum curavit. Hic enim se, si Archiepiscopus fieret, minimo fore contentum, Carolo per internuntios et litteras ostenderat, nec recusaturum, quin Carolus fructibus ejus sacerdotii arbitratu suo ad piorum bellorum sumtus uteretur. Itaque cum factus esset Archiepiscopus, constitutum est inter ipsos, ut ducatorum aureorum quadragena millia in annos ad Andreae Doriae classicum stipendium penderet; quae summa cum post ad triginta millia redacta fuisset, tributis jam centum viginti millibus, coepit de omni pensione recusare, et recusandi causam hanc ipse mihi colloquendo fuisse dixit, et praedicabat, quod ea pecunia, quam ipse sua voluntate ac liberalitate tribueret, a se quasi jure debita exigeretur.



JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS GESTIS

CAROLI QUINTI

IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

ANN. M.D.XLVI. I. INSEQUENTE anno, qui fuit Christi millesimus quingentesimus quadragesimus sextus, Carolus ex Belgio profectus, Ratisbonam Danubio impositam urbem, quo totius Germaniae Concilium indixerat, cum equitum nongentorum praesidio Aprili mense pervenit. Jamque dies conveniendi dictus, qui fuit Nonis Junii, praeterierat, nec Principes, paucis exceptis, convenerant: nam cum alii, tum Joannes Federicus Saxoniae Dux, et Philippus Hessiae Lantgravius, quod est nomen Principatus, item Federicus Comes Palatinus, et Dux Vitemburgensis, conspiratione in Carolum facta, ejusque imperio neglecto, ad Concilium venire ipsi noluerunt; Legatos tamen miserunt, per quos minus impudenter conata Caroli Caesaris impedirent.

II. His principibus animos addebat foedus Smelchaldicum, cujus foederis faciendi iidem Lantgravius, et Dux Saxoniae principes et auctores fuerant. Nam hi duo ex principibus maxime Lutherani furoris se duces ab initio praebuerant, eumque modis omnibus alebant, hanc sibi occasionem fore rati bona Ecclesiastica occupan-

pandi, et magnas opes per injuriam impune congerendi. Sed Caroli Caesaris iram et potentiam metuentes, cui per se pares esse non possent, conandum sibi statuerunt, ut se Lutheranorum conspiratione munirent, quorum et numerus et potentia in omni fere Germania longe major erat quam Catholicorum. Itaque anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto, cum Carolus abesset in Hispania, totius Germaniae Concilium, iis quos demonstravi auctoribus, Smelchaldum, quod oppidum est in finibus Saxoniae, indictum coactumque fuit.

III. Huc cum Principes et civitatum legati frequentissimi convenissent, foedus in annos quinquaginta certis legibus ictum est; quarum illa in primis fuit, ut foederati omnes inter se ea societate et amicitia essent conjuncti, ut nemo alteri noceret, aut bellum inferret; et siquis a quocumque Principe aut civitate ob quamcumque causam bello fuisset lacessitus, foederati omnes auxilium ferrent, bellumque communibus armis et impensis defenderent, et cui bellum esset illatum, is Imperii summam obtineret. Qua societate fretus Philippus Lantgravius post factum foedus, eodem Joanne Federico opitulante, Henricum Ducem Brunsvicensem Principatu spoliavit, illata causa, quod is Costariae civitatis ex foederatorum numero silvas cecidisset, et ferrarias secturas occupasset. Deinde anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, cum Henricus, auctore Mauricio Lantgravii genero, armis, quae Ducatus repetendi causa sumserat, depositis, supplex ad ipsum Lantgravium exorandi et impetrandi causa

cum paucis venisset, eumdem Lantgravius comprehendit, et custodiae tradidit. Cujus rei turpitudinem et injustitiam molestissime ferens Carolus Caesar, Lantgravio denuntiatum misit, imperavitque, ut Henricum custodia liberaret, eidemque Ducatum, quem injuste abstulisset, restitueret. Sed Lantgravius, arrogantia et magnis spiritibus ex foedere Smelchaldico et Joannis Federici amicitia sumtis, se, quae fecisset in Henricum, jure belli fecisse respondit, et Ducatum restituturum, aut Henricum liberaturum impudentissime ac superbissime negavit: quae res Caroli Caesaris animum plurimum offendit.

IV. Sed redeo ad indictum Conventum, cujus gratia cum Principum civitatumque legati Ratisbonam convenissent, et referente Carolo, coeptum esset de rebus ad bonum publicum et religionem, cujus potissimum causa Concilium indixerat, pertinentibus, disputari, nihil tamen pium, nihil sanum poterat a legatis impetrari: usque adeo Germania paene omnis infecta erat peste illa Lutherana: quamquam inter haereticos multi Catholici sententiam et fidem metu turbae multo majoris occultabant. His indignitatibus Principumque superbia incensus Carolus, qui cunctis initio rationibus Germanorum animos ad sanitatem reducere frustra tentaverat, armis rem gerere constituit. Jam enim rerum usu didicerat (id quod est multis exemplis declaratum, et a magnis philosophis traditum) fieri non posse, aut certe difficillimum esse, ut quae moribus aut insitis opinionibus inveteraverint, haec verbis dumtaxat atque ratione in diversum commutentur; vi opus esse, quae ti-

timore cogat invitos. Quae ratio inita olim est ab Ecclesia et Principibus religiosis ex Evangelica doctrina, tum paganos, tum etiam haereticos ad sanitatem revocandi, utque ad epulas Evangelicas intrent, compellendi. Nam cum initio nascentis Ecclesiae utrisque esset impune, postea tamen quam impleri coepit illa Prophetia: *Omnes Reges terrae adorabunt eum, omnes gentes servient ei*, Ecclesia Regum ac Principum Christianorum potestate in utrosque usa est, ut quae prius invitabat dumtaxat doctrina et exhortatione, jam etiam compelleret severioribus legibus tum contra paganorum sacrificia, tum contra haereticos latis, ut viri sapientes et religionis interpretes annotarunt.

V. Carolus igitur, qui Ecclesiae decretis, et divo Gregorio atque Alexando Sexto Pontificibus auctoribus, plurimas gentes remotissimas in Orbe novo ad occiduam et australem plagam, primum per suos duces in ditionem, deinde, idolorum cultu impiisque aliis ritibus sublatis, per viros Ecclesiasticos et religiosos in Christianam religionem, avorum vestigia secutus, redegerat, idem officium sacrosanctae reipublicae in haereticos praestare constituit, qui totam fere Germaniam occupaverant. Atque haec quidem fuit causa belli faciendi gravissima. Sed quia contra haereticorum conspirantem multitudinem bellum, si palam religionis gratia indiceretur, difficillimum fore videbatur, illam alteram, quae ipsa per se satis ponderis habebat, quaeque popularium animos minus offenderet, solam in vulgus inferendam et praedicandam putavit, ut legitimis poenis superbiam et arrogantiam eorum coërceret,

qui

qui vocati ad Conventum venire neglexissent, quique publicam Germaniae quietem et concordiam impedirent, et Majestate Imperatoria multifariam laesa, perturbarent.

VI. Misso igitur Romam Christophoro Madrucio, Cardinali Romano et Episcopo Tridentino, per hunc consilia cum Paulo Tertio Pontifice Maximo communicavit, quo non solum approbante, sed etiam adhortante, et auxilium pollicente, negotium suscepit, et per Germaniam et Belgium conquisitoribus dimissis, et Hispanorum cohortibus, quae ad Pannoniam inferiorem auspiciis Fernandi Regis fratris militabant, quaeque ad Neapolim et ad Insubres in praesidiis erant, per litteras et nuntios evocatis, bellum in Lutheranos ex Ratisbona parare coepit. Legatis autem, de quibus supra mentionem feci, quos diu res latere non potuit, una ad ipsum adeuntibus, et in quem bellum pararetur, interrogantibus, suorumque Principum ac civitatum voluntatem et auxilium, si res posceret, deferentibus, sibi esse in animo respondit nonnihil copiarum cogere, non ut bello quemquam lacesseret, sed ut necessario praesidio munitus poenas legitimas sumeret de suorum quibusdam, qui sibi dicto minime audientes essent, sed superbe et arroganter Imperatoriam Majestatem minuerent atque contemnerent; ad quod perficiendum, qui sibi suam operam et officium praestitissent, his se ut amicis et fidis clientibus gratiam relaturum confirmavit; ceteros, qui perfidiam juvissent, eodem loco quo sceleris principes habiturum.

VII. In eam sententiam paulo post, dimisso Concilio,

lio, edictum promulgavit mense Julio, quo magno tumultu Germania omnis concussa est, omnibus enim Lutheranis suspecta erant Caroli Caesaris consilia, ne bellum, non in paucorum Principum, sed in ipsorum omnium malum pararetur. Quam opinionem maxime confirmavit nuntius ex Italia de copiis auxiliaribus, quae a Paulo Pontifice Maximo parabantur, perlatus. Itaque Lutherani, qui adversus Catholicos conspiraverant, consiliis communicatis, manus cogere coeperunt, facto ab Augustanis initio, quae civitas bellum eo nomine se comparare praedicabat, non quod vellet Caroli Caesaris conatibus obsistere, sed ut Germaniam adversus Pauli Pontificis injuriam tueretur, qui ad eam opprimendam exercitum ex Italia mitteret.

VIII. Coacta igitur peditum duodecim millium manu, qui viginti quatuor signa militaria sequebantur, et quingentis equitibus, tormentisque triginta, Sebastianus Schertellus praefectus ex Augusta proficiscitur ad Alpium fauces et viam, quae ex Italia per Tridentum et Oenspruchum in Germaniam Bavariamque ducit, obsidendam; haec autem via est duplex, quippe ab Oensprucho (id est, si interpretari libeat, *Oeni ponte*) sese in duo itinera scindit, quorum dextrum per secundam Oeni fluminis ripam Cofstainum fert, Tirolis munitissimum castellum, alterum per Erebergum munitissimam arcem, quae post longam vallem faucibus ipsis in finibus Fernandi Regis Romanorum est imposita; qua tanti exercitus terrore facile ad deditionem compulsa, Schertellus nuntios et litteras Oenspruchum perque omnem Tirolis Comitatum dimittit, ut eam gentem,

com-

commune periculum proponendo, in Carolum concitaret; quem hoc agere Lutherani praedicabant, ut, externo milite inducto, Germaniam vicinasque gentes, nisi suae libidini et iniquis imperatis paruissent, omni clade belli vexaret, ac in servitutem redigeret; dimissisque nuntiis, copias Oenspruchum inducere parat, ut, si hortando nihil profecisset, armis niteretur. Hoc enim oppido in potestatem redacto, magna facultas erat utramque viam obsidendi, et Italici militis transitum in Germaniam impediendi. Sed oppidanorum virtute ac fide, et Castellalti viri magno rei militaris usu atque consilio praestantis industria, quem Carolus hujus rei causa miserat, firmo praesidio perpaucis diebus comparato, oppidum munitum fuit, sic, ut hostes, expugnatione desperata, incoepto desisterent; atque eo magis, quod Caroli provisione trecentos Hispani generis scloppetarios ad Cofstainum itineris angustias custodire, et populares Tirolensis Comitatus ad sexdecim millia in armis esse cognoverant. Arce igitur Erebergo Alpinis faucibus imposita, praesidio firmata, in agrum Augustanum redierunt, ut se ceteris copiis, quae undique conveniebant, conjungerent.

IX. Inter haec Carolus Ingolstadium praesidio muniri jubet; hoc enim oppidum in Bavariae finibus Danubio supra Ratisbonam impositum, multas ad bellum gerendum commoditates habere videbatur. Cum duobus igitur Germanorum millibus et Hispanis jaculatoribus perpaucis Petrus Guzmanus, qui praesidio esset, Ingolstadium ex Ratisbona missus, quae urbs in eisdem finibus ripaque Danubii sita est, earum, quae Impera-

to-

toriae nuncupantur, in Austriam contendentibus ultima, abestque ab Augusta passuum millibus circiter septuaginta, ab Ingolstadio ultimo Bavariae oppido quadraginta, unde ad Agrippinensem Coloniam omnis Germania erat Lutherana, paucis populis et Episcopis exceptis, qui et ipsi timore adducti commeatum hostibus non denegabant: quin etiam Dux Bavariae, qui Princeps fidem Catholicam tuebatur, tam cunctanter et timide sese initio gerebat, et tot dies deliberando consumsit, dum sibi utrasque partes respiciendas putaret, ut diu Caroli rationibus obsisteret, ne res bello necessarias expediret.

X. Itaque nondum Carolus hominum decem millia coëgerat, in quibus erant Hispanorum duo millia quadringenti ab Alvaro Sandio praefecto ex Hungaricis praesidiis deducti, et jam Lutherani exercitum confecerant, qui numerum peditum septuaginta et equitum decem millium compleret, cum bellicis tormentis centum. Dux enim Saxoniae, Hessiaeque Lantgravius, quibus summa imperii omnium consensu delata fuit, in cogendis undique foederatorum copiis nihil sibi reliqui fecerant ad summam curam et diligentiam. Quae copiae omnes ad Tonabertem convenerunt, Imperatorium oppidum, quod nuper ad Lutheranos defecerat, in Danubii ripa supra Ratisbonam passuum millium circiter sexaginta intervallo situm, loco ad bellum gerendum duorum amnium opportunitate commodissimo, interlabente Lyco, qui Sueviam et Bavariam disterminat. Ex Ulma enim et Jertemberga, quod Danubii praesidium interpretantur, magna facultas erat secundo

Danubio commeatus subvehendi: quem locum occupandi, et Ratisbonae oppugnationem tam imparatis Caroli Caesaris rebus omittendi consilium declarat, Germanos, apud quos magnum est et venerabile nomen Imperatoris, non de opprimendo Carolo inter initia cogitasse, sed de obsistendo conatibus ejus, si vim faceret, aut etiam ipsum ab incepto deterrendo; quamvis postea, cum sibi magis metuere coepissent, nihil omiserunt, quod ad Carolum cum suo exercitu delendum conducere videretur.

XI. Dum haec apud Lutheranos geruntur, Carolus, Fernando Toleto Albano Duci proxima sibi imperandi facultate tradita, res bello necessarias, quas sero difficultatibus, uti diximus, impeditus parare coeperat, urgere; ac ut Italicae copiae jam iter ingressae properarent, praefectos per litteras et nuntios cohortari coepit; ex quibus Hispanae cohortes ex Neapolitanis praesidiis deductae cum praefecto Alfonso Vive, navibus ex Apulia in Dalmatiam et fines Fernandi Regis trajecerant, ut breviore via in Germaniam properarent. Ceteri per Tridentum et Oenspruchum iter direxerant, ut Alpinis faucibus et Erebergo arce imposita vitatis, quae hostili praesidio tenebatur, per Oeni ripam in Bavariam contenderent, quo in itinere Lanzuete oppidum est in Bavariae finibus, loco ad progressum venientium ex Italia copiarum impediendum peropportuno; de quo invadendo et occupando cum hostes consilium inire Carolus per exploratores cognovisset, haud sibi cunctandum putavit, quin omnibus rationibus hujus oppidi occupationem anteferret.

Ra-

XII. Ratisbonae igitur quatuor millium Germanorum Hispanorumque trecentorum praesidio cum parte tormentorum, quae jam ex Vienna per Danubium adducta fuerant, relicto, et his omnibus Pyrrho Columna praefecto, ipse cum reliquis copiis profectus, Lanzueten biduo pervenit, castrisque juxta oppidum munitis, copias Italicas et conscriptos Germanos, qui nondum convenerant, ibi exspectare, et hostium, si forte lacesserent, impetum sustinere constituit; sic enim Carolus statuerat, et palam saepe confirmaverat, se Germania nulla ratione cessurum, sed in ea mortuum aut vivum, donec bellum conficeretur, remansurum.

XIII. His rebus cognitis, hostes, qui eumdem locum occupandi gratia castra moverant, in itinere inter Ingolstadium et Meningam viginti circiter a Lanzuete passuum millibus consederunt. Hinc hostium duces bellum more Germanico indicendi gratia caduceatorem, et puerum, qui virga fissa epistolam gerebat, in castra Caroli miserunt. Quibus Dux Albanus, cum essent in ejus tentorium inducti, accepta epistola, quam Carolus aspernatus legere noluit: *Necem*, inquit, *quam vestra temeritate meruistis, vobis Carolus Imperator condonat; non enim vobis, sed ducibus, a quibus missi estis, succenset; redite igitur, et pro epistolae responso hanc illis chartam reportate*; et chartam tradit, in qua erat edictum Caroli Caesaris, de quo supra demonstravimus, excusum.

XIV. His paucis diebus Italicae copiae in Caroli castra pervenerunt, peditum duodecim millia, et equites sexcenti, et scloppetarii, qui equis invehebantur,

trecenti; quam manum a Paulo Pontifice missam ejus ex filio nepos Octavius Farnesius, idemque Caroli Caesaris gener ducebat, alebatque ejusdem Pontificis impensa, qui nummorum praeterea scutatorum trecenta millia Carolo in usum militarem summisit. Pervenere item equites ducenti, quos Dux Florentiae Cosmus Medices, et centum, quos Dux Ferrariae mittebant, et Hispanorum veteranae cohortes, tum ex Cisalpina Gallia cum Arze praefecto, tum ex Regno Neapolitano. Itaque accedentibus, qui ex Pannonia inferiore venerant, Hispanorum numerus ad octo millia crevit, Germani quoque numero ad sexdecim millia, cum iis, qui Ratisbonae praesidio relicti fuerant, convenerunt, equites vero cataphracti duo millia, levioris armaturae cum Italicis mille quingenti.

XV. His copiis coactis, Ratisbonam redit, et triginta sex magnis mediocribusque tormentis expeditis, et inde abstractis, mille hominum praesidium relinquens, Ingolstadium, qua parte hostes vagabantur, movet, postridieque Neustadium Danubio, qui ponte ibidem committitur, impositum oppidum venit: qua dum parat exercitum tribus pontibus trajicere, duobus scilicet super naviculas, quae carris vectabantur, constructis, nuntiatum est, hostes ex altera fluminis parte ad Ratisbonam occupandam contendere. Itaque Carolus Germanos mille, Hispanos scloppetarios quadringentos praesidii supplendi gratia Ratisbonam properare jubet, qui proxima nocte urbem ingressi, omnem ejus potiundi spem hostibus ademerunt. Cum Carolus biduo copias Danubium trajecisset, nuntiatum est, hostes post In-

Ingolstadium ad passuum sex millia castra munivisse; qui quamquam numero erant superiores, nam peditum amplius septuaginta, equitum decem millia, tormenta vero supra centum triginta esse dicebantur, Carolus tamen, ne libere vagarentur, neve oppida occuparent ad bellum ducendum opportuna, castra idoneo loco castris conferre constituit, praelio etiam, siqua esset occasio, decertaturus, cujus rei gratia Joannes Baptista Castaldus militum magister, qui castris locum deligeret, praemissus, duo loca notaverat, alterum ante Ingolstadium quatuor millia passuum, alterum post minimo intervallo disjunctum, qui Carolo magis placebat, tum ut hostibus esset propinquior, tum ut eos intercluderet Ingolstadio, unde hostes, si oppidum occupassent, magnam haberent facultatem copias, quas Comes Burensis inducebat, ne cum Carolo jungerentur, distinendi.

XVI. Triplici ergo acie instructa profectus, sic incedebat, ut agmen a laeva, qua impedimenta ferebantur, Danubius, a dextra clauderet equitatus. Ex itinere autem Principem Salmonae, et Antonium Toletum cum parte equitatus et ducentis scloppetariis Hispanis, qui et ipsi equis inveherentur, antecedere, et quid hostes molirentur, explorare jubet; ipse quoque, Duce Albano et paucis equitibus comitantibus, agmen antecessit, ut castris destinata loca consideraret; sed antecursores cum in conspectum se dedissent, hostibus obviam progressis, leve certamen commiserant, quod cum jam diremtum esse videretur, ex altera parte redintegratur, tanto numero invadentibus hostibus, ut omnis

ex-

exercitus adventare Carolo nuntiaretur. Itaque relicto Albano, jussoque, ut de tumultuario certamine deque hostium progressu crebris nuntiis se certiorem faceret, ad citeriorem locum, qui castris idoneus, uti diximus, visus fuerat, revertit, (hic enim primum agmen ceteros intervallo subsequentes spectare jusserat) et instructas acies aequo loco disposuit, ibique hosti facultatem summis copiis depugnandi facere constituit; qui hostis, si ad eum locum, licet sibi iniquum, progressus signa contulisset, magnum discrimen exercitus Caesarianus propter sui paucitatem aditurus esse videbatur; sed hostium duces tantopere suorum multitudini ac rerum omnium apparatui confidebant, ut sibi ad bene pugnandum numquam tempus defuturum esse existimarent: quin ipse Philippus Lantgravius brevi tempore se Carolum vel omni Germania depulsurum, vel vivum mortuumve in suam potestatem redacturum, magnificis verbis professus fuerat. Qua fiducia Lutherani populares quasi ad exploratam victoriam agminatim in castra confluere, et civitates bello necessaria liberaliter suggerere non desistebant.

XVII. Cum crebris nuntiis Carolus a Duce Albano, quid hostes moliri viderentur, cognosceret, diuque ipsorum adventum exspectasset, cognito tandem ipsorum in castra receptu, ordine servato progreditur, et locum alterum, de quo diximus, castris ad Ingolstadium accomodatum cepit, quem locum a tergo Ingolstadii moenia, a laeva Danubius et paludosa loca tutabantur; a reliquis partibus ut ducta fossa communiret, eam curam adhibuit Albanus, ut, cum dies illuxit,

xit, parum operis superesset, quamquam ea fossa perparum vel altitudine, vel latitudine patebat. Hostes autem, nostrorum paucitate contemta, castra oppugnare cum statuissent, tria passuum millia progressi, idoneo loco consederunt; ad eos infestandos sequente nocte scloppetarii mille Hispani cum Alvaro Sandio mittuntur. Hi tertia vigilia silentio progressi, et excubiis concisis, cohortes, quae in statione erant, adhorti, multos peremerunt; totoque exercitu conturbato, et ad arma concurrente, tribus omnino suorum desideratis, sese receperunt.

XVIII. In ea castrorum propinquitate unus tamen fluvius interlabebatur; sed parvus, et qui multis in locis pedibus transiri posset. Hoc trajecto, duces hostium oppugnationi destinato die, qui fuit pridie Kalendas Septembris, de quarta vigilia acie instructa movent. Cum parte tormentorum equitatus antecedebat; peditum acies cum ceteris tormentis subsequebatur, eoque ordine, donec intra teli jactum ventum est, processerunt; quo cognito et animadverso, Carolus milites cohortatus, manus suum quamque locum tueri jubet. Hispani ad laevam circa paludosa loca constiterunt; post eos ad dextram acies una Germanorum, cui Georgius praeerat, adjuncta scloppetariorum Hispanorum cohorte. Hos Italicorum major pars contingebat: nam ceteri munitiones intra paludosa loca comparatas tenebant; deinde altera Germanorum acies cum Mandrucho praefecto constiterat; spatium vero ab his usque ad oppidi moenia pertinens nullae munitiones defendebant. Itaque in una parte pro vallo naviculae fue-

fuerunt objectae, quae naviculae ad fluvios ponte committendos castra sequebantur; in altera equitatus consistere jussus.

XIX. Hostes cum a laeva ad mediam fere partem castra cinxissent, magno impetu eadem oppugnare coeperunt, tam crebris tormentorum telis, tantoque fragore micantibus, ut tonare de caelo et fulminare crederes, aeneisque et lapideis globis grandinare. Carolus nunc suorum acies inter volantia tela obequitare, verbisque, sed magis sua praesentia confirmare, nunc ante acies intrepido animo consistere, cujus periculum multos non minus quam suum sollicitabat, plurimorum enim et oculos et animos in se convertebat. Toletus autem rebus, quae ad statariam pugnam mox, si hostis, ut exspectabatur, impetum fecisset, usui essent, imperatis, ante aciem Hispanorum consistebat, jussis jaculatoribus nullum ante telum, ne irritum caderet, emittere, quam hostes castris brevi intervallo appropinquarent, praeter Hispanam scloppetariorum cohortem, qui extra munitiones ad paludosa loca excedere jussi, cum hostibus scloppetariis ad villam quamdam, quo illis perfugium erat, in tormentorum praesidium collocatis, eminus dimicabant.

XX. Nec interim Caesariana tormenta jaculari cessabant, quorum sex suo impetu confracta sunt, et eorum uno quinque milites Hispani peremti, duo vulnerati; sed hostilia, ut numero erant longe plura, sic commodiore loco disposita, factum est tamen ope divina, ut cum jam novem circiter horas non modo acie, sed ne milite quidem ullo sese loco movente, castra

stra in hunc modum oppugnarentur, minimum tamen detrimentum a nostris acciperetur. Constat enim eo die, qui fuit omnium gravissimus, vix homines viginti ex copiis omnibus eo teli genere cecidisse. Itaque hostes jaculando defessi, et nostrorum tolerantia constantiaque deterriti, et quam parum proficerent demirati, oppugnatione destiterunt, nec castra, ut facturi putabantur, invaserunt; sed ducta fossa, quae tormenta tueretur, cum ad noctem acie instructa in armis constitissent, in castra sese receperunt, quae ad ripam parvi fluminis, de quo diximus, ita munierant, ut ab ea parte, quae villam memoratam attingebat, nostrorum castris magis appropinquarent, vix ut quingentorum passuum intervallum relinqueretur, cum ex altera duobus millibus distaret.

XXI. Ea nocte Carolus castra diligentius muniri, et materia fruticibusque ex proximo petitis, vallum excitare, fossam producere, duos aggeres locis opportunis erigere, et omnia facere jubet, quae ad tutiorem castrorum defensionem pertinere videbantur, militibus omnibus ad laborem intentis et occupatis, nullaque noctis parte intermissa; nam recens et praesens suum suorumque periculum, quid ratio posceret rei militaris, Carolum admonuit in magno et publico ducum hujus aetatis errore. Nam olim Romani strenui ac rerum bellicarum peritissimi duces, etiam cum nulla esset periculi suspicio, consuetudine tamen et quasi lege, ubicumque consedissent, tamquam hoste propinquo, castra vallo fossaque opinione citius muniebant, cujus rei causa gregarii milites, praeter arma et aliquot dierum

viaticum, sarculum, corbemque sive cistam, serram et securim singuli gerebant; nec ea facientes, verebantur, ut nunc, ne nimis cauti ac timidi esse viderentur; sed prudenti et usitata diligentia se non facile capi posse docentes, hostium fiduciam minuebant.

XXII. Postero die scloppetariorum manus ex hostilibus castris emissa, nostros ad parvum certamen provocare coepit. Contra hos ex nostris scloppetarii Hispani nongenti immittuntur, consertoque praelio, hostes laborantibus suis equites mille tripartitos submiserunt, quorum primi numero ad centum non conferti, sed rari, aequitate loci confisi (erat enim apertus et campester) magno impetu Hispanorum tertiam partem, qui antecesserant, et ipsi quoque rari depugnabant, adoriuntur. Cum autem male accepti pedem referrent, secunda turma majore numero succedit; sed hi quoque, nostris scloppetariis intrepide ac strenue dimicantibus, repelluntur, et item tertii, quos iidem nostri scloppetarii usque ad priorem fossam (nam ea duplici hostes castra munierant) insectati, multis hominibus equisque prostratis ac vulneratis, jam nocte appetente, sese receperunt: qua nocte Carolus fossam alteram propius hostilia castra produci jubet, quae a villa, quam demonstravi, et illa castrorum parte minus quadringentis passibus distabat, ut in locum quemdam paulatim sua castra produceret, unde recepto illo aedificio, quod hostes muniverant, facile poterant hostilia castra tormentorum telis infestari. Cum autem illuxisset, hostes, productis tormentis, latiusque in suam sinistram explicatis, Caesariana castra magno impetu ex pluribusque par-

partibus oppugnare coeperunt ; sed haec oppugnatio, quamquam in postmeridianam et nonam diei circiter horam eodem paene tenore continuata est, perparum tamen nostris detrimentum inferebat : nam vallo altius erecto, milites succedentes vim telorum evitabant.

XXIII. Hoc die Carolus ad vallum inter Hispanos rei divinae interfuit, cibumque sumsit ; eodemque tempore ejus tentorii conclave et cubiculum, ubi lectus stratus erat, tormenti telo perforatum est. Cum autem tormentorum impetus sese remisisset, et hostes scloppetariorum manum immisissent, in hos Toletus quingentos scloppetarios Hispanos cum Alfonso Vive immisit, qui, conserto praelio, hostes in sua castra compulerunt, usque ad ipsas munitiones prioremque fossam consectati. Deinde proxima nocte majore numero immissi scloppetarii, nunc hanc, nunc illam partem castrorum magno cum strepitu invadentes, hostes sub armis insomnem noctem traducere coëgerunt.

XXIV. Sequenti die cum utrique se castris continerent, et tantum ex aggeribus et locis editis tela bombardis hinc inde contorquerentur, Germanus pedes hasta procera, quam *picam* nostri vocant, gladioque armatus, hostilibus castris egressus, nostris contemtim accedebat, non recta, sed huc et illuc in obliquum saliens, quo directa scloppetorum tela mobilitate frustraretur, hastamque ferociter vibrabat provocanti similis, siquis audeat secum viritim dimicare. Hujus insolentiam non ferens nostrorum jaculatorum quidam strenuus Hispani generis miles, qui *Tamajus* cognominabatur, scloppeto deposito, hastam hostili similem ex pro-

ximo hastato sumit, et ceteris utrinque spectantibus, fit obviam venienti, consertaque pugna, uno et item altero ictu celeriter illato, Germanum prosternit, prostratumque gladio pernecat; sic ipse, nullo accepto vulnere, victoria exuviisque laetus, in locum, unde excesserat, revertit.

XXV. Ceterum quanta pertinacia quatuor continuis diebus nostra castra tormentorum telis oppugnata sint, hinc aestimari potest, quod intra munitiones praeter multos transmissos mille septingenti globi collecti, et ad tormentorum praefectum relati fuerunt; sed et noctem consecutam hostes insomnem traduxerunt, ipsorum castra scloppetariis nostris infestantibus, quod per vices partitis temporibus cunctis noctibus faciebant. Ita cum in magna castrorum propinquitate noctes et dies in armis esse cogerentur, nec somnum capere permitterentur, et jam inciperent cibariorum inopia premi, equitatu nostro vias obsidente, et eos commeatibus prohibente, castra movere, locoque cedere constituerunt. Gravioribus igitur tormentis praemissis, et agmen equitatu cum levioribus tormentis subsequente, de quarta vigilia profecti, binis castris Neuburgum venerunt. Hic biduo quieti dato, relictoque mille quingentorum militum praesidio, Tonabertem totidem castris progrediuntur; ad ripamque Danubii considentes, stativa munierunt, trajectis tamen duodecim millibus cum aliquot tormentis, et ad Raynum oppidum in ripa Lyci amnis castrametari, et ponte Lycum committere jussis; haec enim loca ad bellum gerendum opportuna visa, et ad Augustam Ulmamque tutandam et commeatibus pro-

prospiciendum accommodata.

XXVI. Carolus, qui cum hoste longe numero superiore signa conferre temeritatis esse judicabat, copias exspectare constituit, quas Comes Burensis ex Belgio jam Rheno trajectas ductabat. Hae autem erant Belgarum duodecim millia, Hispani vero mille ducenti, Italici octingenti, quorum ducenti equites scloppetarii erant, utrique ex iis, qui bello Gallico Britanni Regis stipendia meruerant. Praeterea equitum tria millia, quibus se mutui auxilii gratia quatuor alia conjunxerant, quae tres Principes Albertus Brandeburgensis Marchio, Prusiae Magister, et Maximilianus Archidux Austriae submittebant. Ad has copias distinendas, et Rheni transitu prohibendas, duces hostium decem et octo peditum millia, et equites mille ducentos cum Comite Aldamburgensi praefecto obviam venientibus miserant; sed Burensis Comes, noctu hominum quinque millium manu per locum supra hostes quindecim circiter millia passuum, ipsis inscientibus, trajecta, oppidum occupavit, cujus opportunitate reliquas copias, illis invitis et prohibere non valentibus, trajecit.

XXVII. Missis igitur litteris nuntiisque regionis ac viarum peritis, Carolus Comitem de hostium discessu, et quibus in locis essent, et quibus itineribus tuto agmen ducere posset, certiorem facit, utque ad se pervenire properaret, hortatur. Quod cum ille diligenter administrasset, paucis diebus copias incolumes Ingolstadium ad decimum septimum Kalendas Octobris perduxit. His copiis Carolus auctus laetusque, hostem insequi constituit, si prius Neuburgum oppidum in ripa

Da-

Danubii, quod hostium praesidio tenebatur, nec a tergo impacatum relinquere volebat, recepisset; cujus situs cognoscendi gratia Carolus ipse cum equitatu et scloppetariorum Hispanorum parte progressus, inter volantia tormentorum tela, quae ex moenibus contorquebantur, tamdiu versatus est, donec loci naturam diligenter explorasset; tam intrepide, ne dicam temere, sese periculis objiciebat; eodemque die in castra revertit. Postridie duobus praeterea ex naviculis pontibus (nam sublicius unus erat Ingolstadio conjunctus) Danubium committi jubet; itaque tribus pontibus eodem die exercitum trajecit.

XXVIII. Eo triduo Carolo, cum Neuburgo appropinquaret, Magistratus, qui more Germanico *Burgomagistri* nominantur, obviam ad tria passuum millia, ubi consederat, processerunt, urbem certis conditionibus dedituri; quas Carolus aspernatus, hos ad Ducem Albanum, qui cum parte equitatus propius urbem situs considerandi gratia processerat, rejecit; eoque puram deditionem ex Caroli voluntate postulante, tandem urbem praesidiumque communi omnium voluntate in Caroli potestatem sine conditione permiserunt, nocteque proxima Germanorum mille praesidium in oppidum receperunt. Postridie Carolus, admotis copiis, praesidium hostile in proximam insulam, quam prope arcem efficit Danubius, exire jubet, et armis milites praefectosque exutos, et jurejurando adactos arma contra se non esse resumturos, abire permisit, oppidumque recepit.

XXIX. Hic Carolus suas copias recensuit, repertaque sunt equitum novem millia, peditum triginta novem;

vem ; multos enim vulnera vel morbus absumserat. Triduum ad Neuburgum Carolus immoratus, Magistratibus constitutis, et rursus Danubium per veterem ejus oppidi pontem et alios naviculis ex more confectos trajectas copias, Tonabertem versus in hostes movet, et ad Marquesenam vicum quatuor ab hoste millibus passuum in ripa Danubii castra ponit, intercedente tamen nemore et confertissima silva, quam penetrare, nisi per duas aut tres vias, vix qua singuli currus inveherentur, difficillimum erat, eademque parte castra hostium munitissima erant natura loci. Quo explorato, Carolus, ut expeditiore via hostibus appropinquaret, Bendingam occupare, ibique castra loco ad frumentandum pabulandumque et hostes ex ea parte commeatibus intercludendum idoneo ponere constituit. Carolus enim, qui se superioribus annis mathematicarum disciplinarum studio dediderat, Astronomia, Geographiaque delectatus, non solum quia Germaniam peragraverat, sed etiam quia situm ejus scite in tabula et accuratissime descriptum saepe considerabat, regionum atque locorum magnam cognitionem habebat.

XXX. Hinc igitur profectus postero die inter Bendingam, quae se illi appropinquanti in potestatem permiserat, et Norlingam consedit, hoc ordine ex consuetudine servato : cum agmen triplici acie instructa procederet, acies prima in locum castrorum progressa, in armis, donec media perveniret, consistebat ; tum media eodem modo postremos exspectante, primi in suum quisque locum discedebant; deinde ceteri eodem modo, ne hostis, si forte inter considendum impetum faceret, occu-

occupatos et imparatos offenderet. Huc perlatum est, Norlinganos praesidium ab hostibus missum eodem die in suum oppidum recepisse; ipsos autem hostes adventare non ante cognitum est, quam proxima nocte equites explorandi causa per vias in hostilia castra ducentes dimitterentur; a quibus cum renuntiatum esset, se peditum equitumque magno numero, atque item impedimentis occurrisse, quo tamen contenderent, ignorare, Carolus Albano imperat, ut, cum illucesceret, totus exercitus esset in armis.

XXXI. Quarta vigilia hostes agmen in castra dirigere, nec procul abesse, ab exploratoribus nuntiantur; propere igitur jussi milites arma capiunt, et intentis animis hostis adventus atque dies exspectatur; sed is tam nebulosus illuxit, ut a nocte parvo discrimine discerneretur. Carolus quamquam podagra ex pede dextro laborabat, equum tamen conscendit, molliore linteamine pedem pro stapeda sustentante: cumque copias obequitasset, in tentorium Albani Ducis divertit, ibique corpus jentaculo curavit; et consilio communicato, placuit, acies, antequam nebula discuteretur, instrui, ut hoste, quemadmodum exspectabatur, adveniente, et lacessente, collatis signis dimicaretur. Hostes autem usi noctis ac nebulae beneficio, difficilia quaedam et iniqua loca praetergressi, jam collibus occupatis, Norlingae appropinquabant, cum discussa nebula meridie a nostris conspici potuerunt.

XXXII. Instructis igitur aciebus, Dux Albanus, qui in hostium conspectum quid consilii caperent considerandi gratia processerat, reversus Carolo renuntiat, hostes

stes sibi visos esse pugnae sese comparare. Hoc nuntio Carolus delectatus, ut erat equo insidens, nam propter podagram ad pedes desilire sine dolore non poterat, thoracem et brachialia induit, exercitumque hostibus obviam ire jubet, qui hoc ordine procedebat: in prima acie, ubi Dux Albanus curabat, erant copiae, quas Comes Burensis ductabat; cumque his Hispanus omnis peditatus. In secunda Carolus ipse cum praetorianis et aulicis equitibus eorumque praefecto Philiberto Sabaudiae Principe, itemque Maximilianus Archidux Austriae, et Joannes Brandeburgensis Marchio, utrumque suis equitibus assectantibus, pedites item Italici, et ii Germani, quibus praeerat Mandruchus. Acies vero tertia Germanorum erat, quibus Georgius Renspurgus, et equitatus, cui magnus Prusiae Magister, et Albertus Brandeburgensis Marchio praeerant. Summa copiarum primae aciei peditum millia decem et septem, equitum vero tria: mediae peditum quindecim millia, equitum altera tria: postremae, peditum ad octo, equitum ad duo millia. Quamquam acies tertia non relinquebatur a tergo, sed pariter paene cum secunda procedebat; hoc enim datum est ambitiosis tertiae praefectorum precibus, ne praelio, ut fore putabatur, commisso, ipsi a periculo longissime abesse viderentur; sed non longe progressum agmen in fluvium incidit, qui paucis locis pedibus transiri poterat, sed ita ut pedites vix pectore ex aqua exstarent, nec plusquam viginti equites pariter trajicere possent.

XXXIII. Huic flumini et collibus ab hoste occupatis planities erat interjecta, locus neutris, trajecto flu-

vio, ad pugnandum iniquus; sed utrique alteris transitu fluminis impeditis, multum nocere poterant. Huc Carolus cum exercitu progressus, dubiusque consilii, fluvium trajiceret, an hostem exspectaret, animadvertit hostes recta Norlingam contendere, nec de praelio cogitare. Quamvis enim ab equitatu, quem Princeps Salmonae ductabat, praelio ante discussam nebulam incepto, continenter lacesserentur, et item ab scloppetariorum manu, qui flumen trajecerant, telis eminus appeterentur, non tamen in planitiem elici potuerunt. Itaque acies consistere jussas Carolus paulo post in castra reduxit, hostibus in illis colliculis usque ad Norlingam castra diligentissime opportuno loco suo more munientibus. Observatum est enim, nullam esse Germanorum majorem curam in bello, quam ut castra idoneo loco et magnis operibus muniant, quo sint a repentinis incursionibus tutiores, et eosdem se tuendo, quam hostibus nocendo diligentiores et solertiores esse.

XXXIV. Postridie Carolus, ut castra castris conferret, in hostem movet, duorumque millium passuum intervallo consedit; quo die equestri praelio commisso, Joannes Brandeburgensis Marchio ejusque turma fortiter dimicavit, et ex hostibus Dux Branzvicensis letalem plagam, qua paulo post ad Norlingam defunctus est, accepit. Hic dum dies aliquot moratur Carolus, parva praelia vario eventu fiebant, hostes tamen in aciem non exibant, sed intra munitissima castra se continebant; quos cum difficillimum esse intelligeret commeatibus eo loco prohibere, castra movere constituit, eo consilio, ut oppida, quae Danubium attingunt, atque

que pontes, qua in Bavariam et Sueviam transitus erat, occuparet, eaque ratione hostes maxima parte commeatuum intercluderet, et facile posset Augustae Ulmaeque principibus adversariorum civitatibus detrimentum et vastationem inferre.

XXXV. Sed primum omnium immissis copiis, Tonabertem tentare placet: itaque Octavium Camerini Ducem cum Italico equitatu et peditatu et parte Germanorum tormentisque duodecim prima vigilia silentio proficisci, et Tonabertem, quod oppidum passuum millia quindecim aberat, contendere jubet, et quae fieri vellet, ostendit. Eo cum improvisi ante lucem pervenissent, suburbium, quod et ipsum moenibus cinctum erat, conscenso muro, nec adhibitis tormentis, occuparunt. Hoc timore perterriti milites, qui cum duobus signis militaribus praesidio ab hostibus relicti fuerant, profugiunt. Oppidani vero nulla interposita mora urbem dedunt; qua recepta, nostri, octingentorum Germanorum praesidio imposito, in castra revertuntur. Haec autem omnia quam prudenter constituta et imperata sunt, tam diligenter administrata, ut prius oppidum esset in potestatem redactum, quam hostes possent, quid rei gereretur, intelligere.

XXXVI. His rebus gestis, Carolus castra movet, et eodem, quo profectus est, die Tonabertem exercitum perduxit, hoste, quamquam equitatu abundabat, nec insequente, ut impeditis locis urgeret, nec iter consuetis rationibus remorante. Postridie mane per ripam adversi Danubii Telingam, oppidum cum ponte commodissimo Cardinalis Augustani ditionis, quae ho-

stili praesidio tenebatur, contendit, eodemque die inter Danubium a laeva, a dextra vero arboribus confertissimam et latissimam silvam, quae ad castra hostium pertinebat, procedit. Accedenti Hochstenta oppidum cum arce in ripa Danubii, et paulo post Telinga, missis legatis, sese dediderunt. Proxima nocte ad Laugingam consedit, quod oppidum hostes propter pontem, quo ibi Danubius committitur, mille ducentorum hominum praesidio firmaverant, quibus quadringenti, dedita Telinga digressi, sese conjunxerant.

XXXVII. Hi, cum per caduceatorem fuisset a Carolo denuntiatum, ut oppidum dederent, nisi vellent hostilia pati, ferociter responderunt, et in posterum diem auxilium a suis exspectare dixerunt; tamen eadem nocte cum Xertelo, qui huc cum equitibus sexaginta Augustam contendens diverterat, per aversum pontem digressi, oppidum relinquunt. Hoc ex oppidanis, qui statim oppidum dediderunt, cognito, Carolus ad illos persequendos Joannem Baptistam Sabellum cum Italico equitatu, simulque Aldanam et Aguileram praefectos cum suis manipularibus scloppetariis Hispani generis, qui equis vehebantur, et cum Italicis Nicolaum Siccum properare jubet. Ii rem diligenter administrantes, peditum agmen in via consequuntur (nam Xertelus cum equitatu longiore intervallo anteibat); commissoque praelio, et multis vel occisis, vel sauciatis, in fugam conjecerunt, et cum tribus tormentis, quibus eos exuerant, in castra revertuntur.

XXXVIII. Carolus, eodem die Gundelfinga, quod oppidum est in Prensae fluminis ripa, per voluntariam de-

deditionem recepta, et octingentorum Germanorum praesidium Laugingae relinquens, eodem flumine trajecto, in ejus ripa ad Soltem, vicum quindecim circiter millia passuum citra Ulmam, consedit, quam urbem obsidere atque oppugnare eo consilio decreverat, ut vel desertam ab hostili exercitu, expugnatis vel deditis oppidanis, occuparet, vel si auxilio venisset, aequo loco summis copiis dimicaret: sed postridie profectionem paranti, speculatores hostem adventare tardius quam oportuit, nuntiarunt. Jam enim impedita quaedam loca transierat, ad quae si Carolus venientibus occurrisset, vel oppressisset distentos, vel cum ipsorum incommodo et famae, qua bella constant, dispendio pedem referre coëgisset. Ceterum, sive imperantium negligentia fuit, sive equitum exploratorum culpa, hostes, nullo accepto incommodo, in locum castris juxta Guingem castellum in ripa Prensae destinatum et opportunum pervenerunt, consederuntque, et castra castris quatuor millium passuum intervallo contulerunt, Helvetiorum tribus millibus et Ulmensibus mille quingentis, qui Ulmae praesidio essent, praemissis.

XXXIX. Hoc cognito, Carolus consilium de obsidenda Ulma mutavit. Hic cum diurnis levioribus praeliis frequenter lacessendo et male habendo, hostem Carolus cautiorem cunctantioremque reddidisset, noctu invadere, et castra per occasionem, qua parte negligentius servabantur, et minus erant munita, improviso invadere oppugnareque statuit. Hispanum igitur peditatum, et Germanorum eam manum, cui praeerat Mandruchus, et item equitatum, quem Magister Prusiae,

et

et Albertus Marchio ductabant, arma expedire, et linteas subuculas, ut candore per nocturnas tenebras dignoscerentur, superindui jubet, cumque his copiis Albanum Ducem castris silentio proficisci, et hostes imparatos lacessere, et rei bene gerendae occasionem, siqua esset, urgere jubet. His digressis, ceteras copias in armis et paratas esse praecipit; ipse cum equitum nobilium comitatu extra castra idoneo expeditoque loco nuntios, quibus ab Albano de rebus omnibus, ut erat imperatum, certior fieret, exspectans, noctis longitudine et frigoris magnitudine cohortante, in curru tecto, quem Pannonii *Gochem* vocant, ut erat armatus, se somno dedit, ut tempore poscente, vegetior esset ad rem gerendam, et quae usui forent, imperandum. Sed Albanus magna celeritate usus, copias cum induxisset, nec quingentos amplius passus a castris hostium abesset, hostiles excubias stationesque solito frequentiores diligentissime invigilare animadvertens, agmen consistere jubet. Ab antecursoribus quoque, propius inspectis castris, hostes omnes in armis esse renuntiatum est; ut dubitari non posset, (id quod postea compertum est) quin multo ante de consilio et adventu nostrorum per exploratores facti essent certiores. Itaque nostri, sublata occasione, qua uti cogitabant, re infecta, in castra, antequam illucesceret, redierunt, hostibus in armis totam noctem permanentibus, quos iidem nostri, imperante Carolo, per eos dies multifariam infestare non desistebant.

XL. Sed jam eum locum hibernus humor pluviaque et lutum, perincommodum cum reddidisset, Caro-

rolus in priora castra ad Laugingam exercitum migrare jubet, et paulo post ob eamdem causam in sicciorem et hostibus propinquiorem locum traduxit. Nam ut tecta subiret exercitus saeva hieme, quales esse solent in illis regionibus, et ex oppidis bellum gereret, plerisque omnibus suadentibus, cum jam esset mensis November, adduci Carolus non potuit, ne curam aut spem victoriae, quam urgebat, animoque praeceperat, remittere videretur; sed undique in magna castrorum propinquitate quotidie fere parvis equestribus pedestribusque praeliis contendebatur, quae nostri magna ex parte secunda faciebant. Nec ullam occasionem hostes male habendi Caesariani praetermittebant; itinera, qua in hostium castra commeatus importabantur, incursionibus infestare; ipsos nocturnis invasionibus et magno tympanorum strepitu et scloppetorum fragore solicitare, nec dies nec noctes somnum capere permittere.

XLI. Ad cetera igitur incommoda, quae Germani molestissime ferebant, cum accederet, ut eorum exercitus, interclusis commeatibus, fame tentaretur; paucis diebus factum est, ut militum ac popularium animis pristinam alacritatem ac ferociam remittentibus, duces etiam de sua salute cogitare cogerentur; praesertim cum allatum esset, Ducis Saxoniae fratrem a Fernandi Regis exercitu praelio fuisse superatum, et Mauricium bonam Saxoniae partem occupasse. Nam ad utrumque Carolus jus ejus Principatus, si armis occupare possent, transtulerat. Qua de re hoc etiam diligentius in castris Carolus tormentorum bombis gratulationem fieri jussit, ne hostes pateretur suorum malam pugnam

gnam ignorare. Placuit igitur ducibus, litteris de pace missis, animum Caroli tentare: quod ut fieret cum majore timoris dissimulatione, non suo nomine, nec ad ipsum Carolum litteras miserunt; sed nomine Adami Tropi, viri nobilis et gravis, qui erat a libellis Marchionis Brandeburgensis Electoris, ad Joannem hujus fratrem, qui Caroli castra sequebatur; cujus epistolae summa fuit.

XLII. „Non possum non vehementer dolere, optime ac prudentissime Marchio, Germaniam nostram, „cui, ab immanissimo hoste Principe Turcarum aegre „induciis impetratis, vires bellis superioribus attritae, „nunc erant pace et concordia reficiendae et confir„mandae, intestinis contentionibus agitari, ut pericu„lum sit, ne mutuis vulneribus confectis, et opibus ex„haustis, bellum externis hostibus, quod ipsi tempore „induciarum reparare solent, affectum exhibeamus. Quo„rum malorum non est hujus temporis causam et ori„ginem quaerere, sed remedium, siqua ratio iniri „possit, adhibere. Quod cum rebus tam exulceratis „praestare difficile fore videatur, ego tamen tum in „singulari Caroli Caesaris humanitate et aequitate, tum „in nostrarum partium Principum atque Ducum ani„mis magnam hoc temporis occasionem videre videor „minuendi controversias, siquis vir ista, qua tu es, „dignitate et gravitate sese in pacificationem interpo„nat. Joannes enim Federicus Dux Saxoniae, et Phi„lippus Lantgravius non partium, aut rerum suarum „diffidentia (nosti enim nostrarum copiarum et robur „et numerum ac ceterarum rerum apparatum); sed

„com-

„ communium malorum pertaesi, et pereuntem patriam „ miserantes, hoc animo sunt, quemadmodum ex ipso- „ rum sermone cognovi, ut nec abhorreant a concor- „ dia, et nullas pacis conditiones paulo modo aequio- „ res sint aspernaturi. Nam quae Dux Mauricius in „ causa religionis, ex cujus dissensione, si verum quae- „ rimus, orta sunt omnia mala, ab eis impetrare non „ potuit, cum se concordiae interpretem Caroli volun- „ tate praeberet; haec ipsos non gravate eidem Carolo „ concessuros existimo, si ab armis discedere, et ipsos „ in suam fidem et gratiam recipere Carolus animum „ inducat. Quibus de rebus ut, Ducibus ipsis nec in- „ sciis, nec invitis, te certiorem facerem, officii ac „ pietatis esse duxi, ut ipse pro tua virtute atque pru- „ dentia animum intendas, consideresque, num qua ra- „ tio iniri possit patriae hoc ejus difficillimo tempore „ consulendi, et communibus malis prospiciendi: quod „ negotium ut suscipias, agasque cum optimo et hu- „ manissimo Principe Carolo, et omnia ex tua fide et „ sapientia coneris ac modereris, te tua virtus ac pie- „ tas in patriam adhortari debet. Quod ut facias, te „ supplex etiam atque etiam oro, et per Deum im- „ mortalem, cui nihil est pace et concordia gratius, „ obtestor. Vale. Ex castris. “

XLIII. Ad hanc epistolam per caduceatorem missam, cum eam Marchio Joannes Carolo Caesari legisset, et quid fieri vellet, exquisivisset, pauca ex ejus voluntate respondit: „ Adami animum, cujus in pa- „ triam pietatem et boni publici studium ex litteris ejus „ agnovisset, sese vehementer probare scribit, et suam

„ operam et diligentiam , siquid ad rem conficiendam „ praestare possit, liberaliter pollicetur. Ducum laudat „ consilium, quod ad pacem spectare, et aliquando ad „ sanitatem redire videantur. Nam contra Principem, et „ suum et potentissimum, bellum gerere, praesertim „ siquis exercitu nitatur, cujus precarium habeat impe- „ rium, nec esse pium, nec magnae prudentiae. Cum „ Carolo Caesare, exposita Ducum voluntate, se dili- „ genter egisse, animadvertisseque ipsum a pace et con- „ cordia nihilo magis quam illos abhorrere; sed ea pa- „ ce, quae insidiarum nihil, fidei ac firmitatis multum „ sit habitura. Respondisse igitur, ejusque orationis „ exitum fuisse, ut Duces iidem, depositis armis, se „ suaque in ipsius potestatem permittant; sic se non „ tam juris, quam aequitatis et humanitatis memorem, „ publicae quieti consulturum. Quae Caroli postulata „ quamvis in alio Principe suspectiora videri possent ac „ duriora, in eo tamen ne sint metuenda, facere ipsius „ humanitatem, et cunctis perspectam clementiam ma- „ gno Juliacensis Ducis exemplo, qui nuper cum ab „ irato Carolo justis armis urgeretur, hanc certissimam „ salutis et dignitatis retinendae viam invenisset, ut se „ suaque Caroli clementiae permitteret."

XLIV. Hoc cum esset Ducibus renuntiatum, rursus per eumdem Adamum litteris ad Joannem Marchionem missis, petunt, ut, quando Carolus Caesar pro sua singulari humanitate a concordia et pace non abhorreat, ne gravaretur duos viros graves, Burensem Comitem, et ipsum Joannem Marchionem cum mandatis in locum medium mittere, qui cum ipsis Saxoniae Du-

ce

ce et Hessiae Lantgravio colloquerentur, et de pacis conditionibus transigerent. Ad haec Carolus nihil colloquio aut legatis opus esse respondit; nam, nisi facta, quam dixisset, Ducum deditione, sese pacem eis non esse daturum. Hoc accepto responso, Duces deditionis consilium ad extremum casum reservantes, conandum sibi statuerunt, si bellum ducendo, aut alia ratione Carolum possent ad aequiores pacis conditiones inducere; atque eo magis, quod hiems multum processerat, quo anni tempore bellum, nisi incommodissime, in illis praesertim regionibus geri non posset.

XLV. Igitur ad decimum Kalendas Decembris cum Carolus castra hostium oppugnare pararet, ea nocte castra illi movisse ab exploratoribus circa meridiem nuntiantur, qui densissima nebula oppressi, in multum diem aberraverant; quod cum nebula discussa cognitum esset apertius, et inania castra conspecta, paucis equitibus praecurrere, et iter hostium explorare jussis, Carolus cum equitatu Belgico, quem Comes Burensis ductabat, proficiscitur, ceteros vero equites et septingentos Hispani generis jaculatores subsequi, reliquum vero peditatum arma sumere, et itineri ac praelio paratum imperium ipsius exspectare jubet. Hostium castra praetergresso, tribus circiter passuum millibus hostes abesse ab antecursoribus cum nuntiarentur, partem equitatus praemittit, qui extremum agmen carpendo, hostes morarentur, ac Duci Albano deposcenti Belgas equites scloppetariosque tradit, ut antecursoribus haereret, et ipse cum reliquo equitatu subsequitur.

XLVI. Hostes autem, qui pridie vesperi, impedimen-

mentis tormentisque gravioribus praemissis , de tertia vigilia castris discesserant , hoc ordine contendebant : pedestre agmen equitatus cum levioribus tormentis cogebat , praesidioque erat . Itaque commisso equestri praelio , nihilo secius agmen procedebat , et ad montem , quem dispositis tormentis occupaverant , properabat . Hoc quo fieret expeditius , citeriorem colliculum mille scloppetariis muniverant ; sed eo Caesarianis equitibus accedentibus relicto , omnes monti , de quo demonstravi , per interjectam duorum millium passuum planitiem succedere properarunt , et Dux Albanus colliculum occupavit ; quo Carolus progressus , cum animadverteret , hostes in objecto colle multis ignibus accensis castra ponere , et jam esset serum diei , Albanum jubet , quem locum castris idoneum ceperat , cum equitatu et scloppetariorum manu tueri , seque ibidem exspectare . Ipse , ineunte prima vigilia , cum paucis equitibus in castra redit , eamque curam et diligentiam adhibuit , ut ante confectam tertiam vigiliam exercitum cum tormentis in locum illum castris destinatum perduceret , densissima nebula noctis tenebras augente , et mortalibus vehementissimo frigore rigentibus .

XLVII. Hostes vero , frequentibus ignibus ad speciem factis , nullam partem noctis itinere intermisso , Prensam flumen trajecerunt , et ad ejus ripam et Haidem munitissimum castellum opportuno loco castra munierunt . Nec de eorum discessu ab exploratoribus ante extremam quartam vigiliam nuntiatum est . Ceterum vi frigorum , et nivis jam dudum decidentis magnitudine, et defatigatione nocturni militum laboris , et equorum ,

rum, qui pabulo caruerant, inedia factum est, ne fugientes insequeretur; quae tamen difficultates non obstitissent, quominus Carolus castra castris insectaretur; sed ratio commeatuum in ea loca penetrare non patiebatur, quae exercitus hostilis superioris temporis vicinitate exhausta erant, et inde remota, unde cibaria nostris suggerebantur.

XLVIII. Exercitum igitur, cum advesperasceret, in castra reduxit, biduoque commoratus, hostes bipartitos discessisse cognovit, et milites quidem civitatum Ulmam et Augustam versus contendere, Lantgravium autem et Saxoniae Ducem cum suis in Franconiam iter direxisse; quae regio, si ab hostibus fuisset occupata, magnam eis ad bellum gerendum facultatem propter rerum omnium copiam praebitura videbatur; quod ne accideret, Carolus sibi rebus omnibus conandum, et ab ea parte hostibus occurrendum esse statuebat, qui per Rotemburgum iter facturi esse videbantur. Huc igitur properans, binis castris Bosingam parvum castellum processit, idque et Norlingam vicinum oppidum per voluntariam deditionem recepit; praesidium autem octingentorum militum Norlingae ab hostibus impositum, in magnam et permunitam arcem in propinquo sitam, quae totidem militum praesidio tenebatur, concessit. Sed haec quoque arx, misso cum milite Comite Burensi, deditionem fecit, permissis militibus, quo ferret animus discedere; sed traditis quatuor militaribus signis, quae Comes ad Carolum reportavit.

XLIX. Jam tempus anni erat difficillimum: nix geluque omnia repleverat; itinera erant luto et aqua im-

impeditissima; frigora in aperto militibus, praesertim caelo clementiori assuetis, intolerabilia. Itaque rursus magna pars Ducum tectis succedendum esse, et Norlingam oppidaque ad Danubium recepta circumque Ulmam et Augustam, appetente jam bruma, discedendum, et ex oppidis bellum gerendum censebant, Caroloque auctores erant. Ille vero, donec conterriti hostes dilaberentur, nihil de bello remittendum statuebat. Regioni ergo, quae Comitibus Hetingae Lutheranis parebat, horum fratrem, qui Catholicus erat, praefecit; et Norlingae imposito praesidio, et Augustano Cardinale commeatuum parandorum gratia relicto, progreditur, Albanumque Ducem cum tormentis et Hispanis Germanisque militibus praemittit, qui Tinspinum, quod oppidum nullam legationem de pace miserat, tentaret. Albanus, copiis inductis, caduceatorem mittit, qui oppidanis denuntiaret, oppidum sine mora dederent, frustra tunc pacem petituri, si tormentis collocatis oppugnationem exspectassent; quo timore perterriti, hi quoque sese et oppidum Carolo jam appropinquanti per suos Magistratus in potestatem permiserunt.

L. Hinc Carolus, diem unum commoratus, praesidioque relicto, binis castris Rotemburgum venit, et item voluntaria deditione recepit. Duces hostium cum de adventu Caroli cognovissent, iter a Franconia in laevam avertentes, tormentaque in finibus Viertembergensis Ducis castellisque relinquentes, magno circuitu per montes arduos bipartiti domum discesserunt; quorum Philippus Lantgravius, cum Francafortem, ducentis equitibus assectantibus, praeteriret, rogatus a magistra-

stratibus, quid ipsis consilii in ea rerum iniquitate daret, censere sese respondit, ut suae quaeque vulpes caudae prospiceret; patrio proverbio, suae quemque saluti consulere oportere significans.

LI. His rebus cognitis, Carolus Burensem Comitem copias, quas induxerat, in Belgium reducere jubet, et ex itinere Francafortem urbem magnam et opulentam tentare. Fama fugae Ducum per Germaniam celeriter dissipata, multae civitates, legatis de pace Rotemburgum ad Carolum missis, se in ejus potestatem permiserunt. Ex Rotemburgo Carolus binis castris Hallam Sueviae urbem dedititiam processit, ubi podagra impeditus, dies aliquot necessario substitit. Huc Federicus Comes Palatinus, Caroli propinquus, qui partes popularium secutus fuerat, legatos ad ipsum pacem oratum misit; et ipse paulo post, cum de Caroli non aliena in se voluntate cognovisset, affuit; ad quem constituto die introductus, cum lacrymis et magna supplicis et poenitentis animi significatione, pauca in erroris sui excusationem locutus, cum eis se parum sublevari intelligeret, peccasse sese in Carolum confitetur, idque sibi magno dolori esse confirmat; orare et obsecrare, ut pro sua humanitate et insita clementia det veniam poenitenti, et praeterita delicta pluribus et majoribus officiis, si facultas adsit, compensaturo.

LII. Ad ea Carolus, „Ego vero, inquit, Federice, tuam prudentiam et officium non sine dolore „quodam propter nostram necessitudinem desideraveram. Quis enim probet, te hominem mihi consanguinitate propinquum, et mecum in domo mei pa-

„tris

„ tris educatum , multisque nostris officiis devinctum, „ tam leviter ab officio discessisse? Et qui, affecta jam „ aetate, poteras honeste medius sine alterutrius partis „ injuria quiescere, in me arma temere sumsisse, ar- „ mataque auxilia in meorum hostium castra misisse, „ diuque tuis sumtibus aluisse? Haec cum ita sint, ego „ tamen veteris amicitiae et consanguinitatis, quam re- „ centium injuriarum meminisse malo, et praeterita er- „ rata praesenti, quem praefers, animi dolori et poe- „ nitentiae non invitus condono, teque in pristinam „ gratiam et benevolentiam recipio, fore sperans, id „ quod policeris, ut a te praeterita commissa officiis „ et certe bona in nos voluntate gratoque animo de- „ leantur.“

LIII. Huc quoque legati Ulmenses affuerunt, qui cum se ad Caroli pedes genibus flexis dejecissent, qui principem locum obtinebat, in hanc sententiam locutus est: „ Ulmenses, Carole Caesar, nostrae civitatis, cu- „ jus legatione fungimur, nomine, graviter in te de- „ liquisse confitemur; sed in magna nostra culpa, quae, „ quod pravis quorumdam consiliis abstracti sumus, pa- „ rum sublevatur, parique animorum dolore et poeni- „ tentia nos tua cunctis perspecta clementia, et singu- „ laris in Deum pietas ea spe maxime solatur, fore, „ ut Dei, quem magna pietate colis, misericordiam, „ quae poenitentibus et veniam poscentibus numquam „ defuit, pro tua consuetudine non gravatus imiteris. „ Ergo te per Deum Christum obsecramus, da nostris „ erratis veniam, nosque in tuam fidem recipe, nullo „ umquam tempore nec fidei ne officio defuturos; et

„ quod

„quod antehac defuit, diligenter et cumulate, non „sumtui, non labori, non periculo parcentes, siqua „occasio erit, expleturos." Ad haec Carolus pauca respondit: „Confessionem culpae cum poenitentia apud „se plurimum valere. Ulmenses igitur, damnata, ut „facere viderentur, superioris temporis culpa et incon„stantia, fidem atque officium suum sibi in poste„rum, ut fidos clientes deceret, praestarent; se, hac „spe concepta, civitati praeterita errata condonare, „eamdemque in suam fidem recipere, qui in eam ce„terasque civitates, quae ad sanitatem redivissent, ni„hil novi vellet statuere, nisi quod ad publicam Ger„maniae quietem et pacem pertinere videretur."

LIV. Ex Halla Carolus cum parte exercitus Albanum Ducem praemittit, qui fines Viertembergae Ducis invaderet. Hic enim nullos legatos de deditione miserat. Ipse cum copiis reliquis subsecutus, ad Alprunum oppidum consedit. Huc nuntiatum est, cuncta fere Viertembergensis ditionis oppida in potestatem ab Albano fuisse redacta, perpaucis exceptis arcibus, quae inexpugnabiles esse viderentur. Quibus incommodis adductus Viertembergensis Dux, et res suas ad extremum casum deductas esse animadvertens, legatos ad Carolum pacem oratum misit; quam his tandem conditionibus impetravit, ut imperata facere pollicitus, tribus arcibus et castellis munitissimis, quae Carolus delegit, tradendis, fidem faceret se in officio permansurum, simulque nummorum aureorum, quos *ducatos* dicimus, bis centum millia in stipendium militare numeraret.

LV. Hic quoque litteris Burensis Comitis certior

factus est Carolus, ab ipso Francafortem urbem in deditionem acceptam firmo praesidio teneri; et paulo post eadem et aliae praeterea septem civitates huc ad Carolum legatos miserunt, qui veniam orarent, seque dederent, et imperata facere pollicerentur: quas omnes ille, eadem humanitate et liberalitate data venia, in suam fidem recepit; nec fuit urbs aut oppidum ex omni Suevia, praeter Augustam, quin legatos de deditione mitteret. Ex Alpruno Carolus movens, senis castris Ulmam venit, ducentibus civitatis legatis alteris, qui ad ultimos ejus fines obviam progressi, ipsum accedentem ad genua demissi, Hispano sermone supplices salutarunt, et allocuti sunt, voluntatem et operam civitatis suamque liberaliter rursus deferentes, hoc fore magis gratum sermonem rati, si eum lingua, qua maxime utebatur, alloquerentur. Itaque Carolus Hispano quoque sermone ipsos resalutavit, liberaliterque respondit.

LVI. Nondum Ulmam pervenerat Carolus, cum Augustani legati ad ipsum affuerunt, qui imperata facere, urbemque dedere pollicerentur; sed ita, si non modo civitati, sed etiam Sebastiano Xertello, quem suis copiis adversus Carolum praefecerant, ignosceret. Quam conditionem de Xertelli venia aspernatus Carolus, causantibus legatis, urbem a Xertello, cui bona pars popularium studeret, duorum millium hominum praesidio teneri, ut eo invito, Senatui principibusque civitatis urbem dedere, aut ipsum pellere non liceret; se vero respondit cum exercitu prope diem affuturum, et civitatem eo metu ac difficultate explicaturum. Quo re-

responso Augustam relato, cum in Senatu de his rebus agitaretur, Xertellus ipse, quem nihil latebat, curiam ingressus: „Scio, inquit, vos Patres de republica „deliberantes, meae salutis commodorumque habuisse „rationem, et nunc quoque meis rebus commoveri, „quominus libere de salute civitatis et re communi „statuatis. Ego vero vos ista solicitudine libero, et ur- „be cedo, vobisque omnia libera relinquo. Consulite „vobis rebusque vestris, nulla mearum habita ratione. „Nolo enim nec vobis de salute civitatis consilium „capientibus obesse, nec amplius Caroli Caesaris suc- „cessibus obstrepere; qui cum intellexerit, me ab ar- „mis, quae in ipsum temere sumsi, facile discessisse, „nec suis rationibus pertinaciter obsistere, forsitan „Princeps clementissimus veniam dabit meis erratis.“

LVII. Haec effatus, domumque reversus, silentio cum paucis urbe decedit. Augustani vero, missis iterum Ulmam legatis, sese Carolo dedunt, et praesidium in urbem recipiunt; idemque paulo post Argentinenses fecerunt. Has autem ceterasque civitates Comitemque Palatinum et Viertembergensem Ducem eis conditionibus in suam fidem Carolus recepit, ut pacem perpetuam foedusque facerent cum Austriae Principibus, Joannem vero Federicum Ducem Saxoniae et Philippum Hessiae Lantgravium pro hostibus haberent, inque suas urbes et oppida praesidia, quae Carolo singulis imponere placuisset, reciperent.

LVIII. Quo tempore Carolus cum Joanne Federico Saxoniae et Philippo Hessiae Lantgravio Germanorum ducibus bellum gerebat, Franciscus Rex Gallorum, qui oc-

occulte pro insito in Carolum odio Germanorum defectionem alebat, nummorum coronatorum ducenta millia eisdem ducibus, centena singulis, subsidio stipendioque militari cum misisset, paulo post pridie Kalendas Aprilis a vita migravit, cum regnasset annos triginta duos. Huic in Regnum successit Henricus filius, annos natus octo circiter et viginti. Eodem fere tempore Henricus Rex Britannorum suum diem obiit mense Januario, cum regnasset annos triginta octo, cui Eduardus filius annorum novem successit.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER VIGESIMUS QUINTUS.

I. JOANNES Federicus in Saxoniam reversus, non solum sua fere, quae a Rege Fernando et Mauricio fuerant occupata, recepit, sed aliqua etiam in illorum finibus partemque Bohemiae, popularibus non admodum repugnantibus, partim etiam volentibus, occupavit. Haec cum essent nuntiata, Carolus Albertum Brandeburgensem Marchionem cum peditum sex millibus et equitibus mille octingentis fratri Mauricioque subsidio, itemque pecuniam ad usum militarem misit; quo supplemento accedente, quamquam Rex Mauriciusque copiarum numero superiores erant, horum tamen litteris nuntiisque Carolus certior fiebat, maxime interesse ad rem conficiendam, ut ipse praesens bellum administraret. Quo consilio probato, Carolus, et rebus, quae ad continendas in officio civitates pertinerent, constitutis, profectionem parat, et Duce Viertembergensi, qui cum primum per valetudinem potuit, ad ipsum pervenit, supplexque veniam poposcit, in fidem recepto, Ulma proficiscitur; sed Norlingam progressus, articulari morbo vehementius ingravescente, necessario substitit.

Huc

II. Huc, paucis diebus interjectis, nuntiatum est, Albertum Brandeburgensem Marchionem, de quo supra mentionem fecimus, amissis fusisque copiis, vivum in Ducis Saxoniae manus pervenisse. Albertus enim nec cum Rege se, nec cum Mauricio, qui diversi in propinquo locis opportunis, hic ad Fraibergam, ille ad Tressem morabantur, conjunxerat; sed ad Roquelizum consederat, cui castello mulier vidua Philippi Lantgravii soror imperitabat. Haec dolose conviviis choreisque et tripudiis Germanico more tam indulgenter Albertum habebat, ut is curam rerum bellicarum, plusquam strenuum Ducem deceret, praesertim in tanta hostis propinquitate, remittere cogeretur. Dux enim Joannes Federicus ad Gartem non amplius duodecim millia passuum cum magno equitatu et peditatu aberat, qui de rebus omnibus et Alberti negligentia nuntiis litterisque mulieris cum fieret quotidie certior, silentio noctis profectus, antequam illucesceret, improvisus adest. Albertus autem, sive moenium infirmitati diffisus, sive ut suis laborantibus opem ferret (pars enim ad suburbium consederat), copias educit; temereque praelio conserto, equitibus quingentis amissis, et reliquis copiis fusis, multisque vulneratis et captis, ipse quoque, licet se fortiter manu defenderet, vivus tamen in potestatem hostium pervenit.

III. Argentinenses quoque magistratus legatique Norlingam ad Carolum venerunt; et quamquam Argentinenses cum superioribus Imperatoribus superbe se et arroganter gesserant, nec ulli plane in clientelam dicaverant, a Carolo tamen veniam supplices petiverunt,

ei-

eique fidem et jusjurandum dederunt civitatem obedienter, quae Carolus et successores imperassent, esse facturam; et certis aliis conditionibus acceptis, in fidem a Carolo recipiuntur. Carolus, nondum satis recepta valetudine, Norlinga proficiscitur, praemisso cum exercitu Albano Duce, quem ad Norembergam consecutus est. Hic Carolus a civitate magna cum gratulatione exceptus, ad arcem suo more divertit, et quinque aut sex dies confirmandae valetudinis, et exercitus colligendi gratia immoratus, Egueram contendit, urbem in Saxoniae confinio sitam, ad Bohemiae Regnum pertinentem, sed extra Hercyniam silvam, qua omnis fere Bohemia velut in area interjecta continetur.

IV. Huc enim Regem Fernandum Mauriciumque cum copiis convenire jusserat; sed in itinere nuntium a Rege Fernando accepit, suum Mauriciique iter scelere Bohemorum, Duce Gaspare Flucho ex Regni proceribus, impediri, qui succisis arboribus in Hercynia silva, vias, quacumque ipse pergeret, obtruderent; petere a Carolo, ut sibi manum scloppetariorum Hispanorum submitteret, quorum praesidio ad iter conficiendum uteretur. Quod cum ille protinus imperasset, Rex tamen cumque eo Mauricius, aliorum procerum opera et industria, alia expedita via, licet longiore circuitu, quod silvosi et impediti itineris supererat, antequam Hispani pervenirent, confecit, et ad Carolum Eguerae appropinquantem, mille septingentis equitibus comitatus pervenit; quorum nongenti erant Hungari ex Pannonia scilicet inferiore, viri bellicosissimi, longis crassisque hastis armati; et scutis ab imo usque ad medium latio-

ri-

ribus , deinde fastigiatis , et in summo incurvis , item galeis et thoracibus aeneis , quidam etiam malleis longiore manubrio ; nam pedites praeter admodum paucos tum Rex ipse , tum Mauricius , quem equites mille subsequebantur , in praesidiis reliquerant.

V. Ad Egueram Carolus dies aliquot est commoratus religionis causa. Haec enim civitas in Bohemiae, quae magna ex parte Lutherana erat, et Saxoniae, quae omnis eo morbo laborabat, confinio sita , universa tamen in fide Catholica permanserat, Carolique adventus in eos dies inciderat, quibus Christi Passionis et Resurrectionis memoria recolitur, et anniversaria solemnitate celebratur. His autem diebus exactis , praemisso cum Hispanis omnibus cohortibus et parte equitatus Albano Duce, in Saxoniam movet, et Ducem Saxonem , qui , per suae ditionis opportuna oppida dispositis praesidiis, ipse cum exercitu ad Maissem urbem , a se paulo ante in Mauricii finibus occupatam , consederat , idoneo scilicet loco, qua fluvius Albis ponte committitur , ut facultas esset ultro et citro commeandi, et auxilia trajiciendi , quae cum Tumezhierne ex Bohemia exspectabantur, cujus Regni partem per hunc praefectum in potestatem , non repugnantibus Bohemis , ut supra memoravimus , redegerat. Per Saxoniam procedens Carolus, oppidis et castellis frequentem regionem, omnibus fere, quacumque iter haberet, in potestatem redactis, in locum, qui a Joanne Federico duodecim circiter passuum millibus aberat , denis castris progressus, consistit; duobusque diebus quieti datis , illum ad Maissem , incenso ligneo ponte , castra movisse cognovit , et iter secundum

dum flumen Viertembergam habere, urbem opere et natura munitissimam, et ad bellum ducendum peropportunam. Quod ne accideret, Carolus, qui nihil magis quam belli diuturnitatem metuebat, maturandum sibi statuit, et rebus omnibus conandum, ut Albi trajecto, hostem in via consequeretur, praelioque lacesseret.

VI. Haec animo agitanti, ab Aldana centurione Hispano, qui cum paucis suis manipularibus scloppetariis equitibus Albim explorandi causa equis nantibus trajecerat, hostis non longe abesse nuntiatur, et ad Milburgum, quod castellum a castris Caroli duodecim passuum millibus aberat, ad fluminis ripam, qua vado transiri diceretur, consedisse. Carolus cum statuisset vado aut ponte exercitum trajicere, nulla interposita mora, tormenta et naviculas cum reliqua pontis faciendi materia praecedere jubet; et motis de tertia vigilia castris, hora diei circiter tertia circa ripam Albis e regione Milburgi hostiliumque castrorum copias induxit; quibus consistere, castraque facere jussis, ipse, Rege Fernando Mauricioque comitantibus, ad fluvium locorum naturam explorandi gratia progressus, animadvertit, ulteriorem ripam, quae citeriore multo erat editior, ab hoste teneri, tormentis scloppetariisque dispositis, ut nostros, si vado transire conarentur, prohiberent, et fluvium, qua parte vadosus esse nullo certo auctore dicebatur, latissime patere, et magno impetu deferri.

VII. Haec animo perpendenti Carolo, et de ratione trajiciendi solicito, cujus rei gratia peritos eorum

locorum conquiri jusserat, Dux Albanus, qui summam diligentiam adhibuerat, adest, laetusque renuntiat, repertum esse hominem regionis peritum, qui ultro oblatus, vadum se libenter commonstraturum polliceretur, ut latrones, a quibus fuisset duobus equis spoliatus, ulcisceretur. Hoc nuntio delectatus Carolus, ad agmen revertitur, et tormenta jubet inter densos frutices disponi, et Hispanos scloppetarios mille juxta collocari, qui eodem tempore telis emissis, et hostibus conturbatis, in ripae marginem, unde commodius possent hostes loco submovere, procurrerent. Quo diligenter administrato, et jaculatoribus nostris ad aquam usque celeriter progressis, magna contentione utrinque tormentis scloppetorumque telis eminus dimicatur. Cum hostes non solum ex terra, sed etiam ex naviculis, quas pontis causa secundo flumine deferebant, dimicarent, Carolus, qui, ut sibi in periculis minime parcebat, cum scloppetariis simul ad flumen fuerat invectus, totidem ejusdem generis scloppetarios Arzem militum magistrum suis auxilio inducere jubet. Hostes vero, jaculatorum nostrorum numero duplicato, ferre impetum non valentes, languidius agere, et naviculas deserere coeperunt, quibusdam etiam incensis, cum interim nostrae ad flumen usque deveherentur: quibus naviculis perficiendo ponti in tanta fluminis latitudine non sufficientibus, eosdem Hispanos Carolus hortatur, ut, siqui essent natandi periti, desertas naviculas abducendas curarent. Itaque ipsorum decem nihil cunctati, vestimentis depositis, et gladios ore gestantes, inter hostilia tela naviculis adnatarunt, et hostibus nonnullis, qui ceteris

vel

vel occisis vel digressis metu sese in eis occultaverant, confossis, ipsas abduxerunt. Ex equitibus etiam Hispanis tres eodem tempore, ut erant armati, hujus rei gratia sese in flumen immiserunt, quorum unus summersus interiit.

VIII. Dum autem naviculae deinceps longo ordine disponuntur, ut directa materia injecta contextae et constratae pontem ad peditatum trajiciendum conficerent, Carolus ex Germanis peditum quatuor millia et equites mille castrorum impedimentorumque praesidio manere jubet, ceteros equites vado transire; et ex his tum Pannonicos, tum eos, quos Princeps Salmonae ductabat, qui leviter erant armati, singulos scloppetarios in equos recipere et transportare praecipit. His praecedentibus, Dux Albanus cum equitibus Hispanis ex Regno Neapolitano deductis, et Mauricius cum suis flumen ingrediuntur; deinde Carolus Fernandusque frater cum reliquo equitatu. Erat autem vadum inaequale, ac hujusmodi, ut equites aqua vix a genibus exstarent, interdum etiam equi per brevia spatia natare cogerentur. Carolus ducem vadi rusticum hominem, quem demonstravimus, sequebatur, cui, trajecto flumine, nummos aureos centum numerari, et duos equos pro totidem amissis tribui jussit.

IX. Jam hostes et ripam et Milburgum deserentes, in interiorem Saxoniam, ut se in munitum aliquod oppidum reciperent, contendebant, Pannonicis et reliquis equitibus, qui scloppetarios sustulerant, et ad ripam exposuerant, urgentibus, ac iter remorantibus, quos paulo post Dux Albanus et Mauricius consecuti sunt. Hos

autem Carolus celeritate, quanta maxima equites cataphracti uti poterant, subsequebatur: nam pedites ponte trajicientes exspectare longum esse cum videretur, solo equitatu hostem, licet numero militum haud paulo superiorem, insequi, praelioque lacessere constituit: summa enim hostilis agminis erat peditum sex millium, equitum duorum et sexcentorum; nam ceterae copiae cum Tumezhierne aberant, et partim fuerant per oppida praesidii gratia dispositae: Caesariani vero equites levioris armaturae octingenti quinquaginta, qui vero scloppetis utebantur, sexcenti; cataphracti autem mille octingenti.

X. Erat in via, qua Carolus contendebat, imago Christi crucifixo similis, quam hostium aliquis, ut erant omnes Lutherani, plus scilicet quam haeretici, in pectore scloppeti telo impietate barbarica confoderat. Hoc intuens Carolus, ducto suspirio, caelumque suspiciens: *Si vis*, inquit, *Christe, facile potes tuos hostes ulcisci*. In magna igitur utrorumque festinatione, cum nubes excitati pulveris in nostrorum oculos vento adverso obvolveretur, Carolus, ne sui ordine perturbato opportuni fierent injuriae, parumper constitit, et equitibus cataphractis collectis et instructis, rursus accelerat.

XI. Interea Dux Albanus Mauriciusque hostes consecuti, tam vehementer eos urgebant, ut Saxo consistere cogeretur; qui, ut facultas esset idoneum locum in nemore paludoso, et quo penetrare propter viarum angustias perdifficile erat, occupandi, equites scloppetariosque jubet primos nostrorum adoriri. Hoc dum illi

illi gnaviter ac diligenter administrant, et Dux ipse idoneum locum capere contendit, Albanus pugnandi occasionem haud praetereundam ratus, Carolum, qui jam aderat, certiorem facit, se Mauriciumque ea parte hostem invadere; proinde cataphractos ipse immitteret, ut conterritus hostis omnibus ex partibus urgeretur. Ita uno tempore cuncti magno animo magnaque alacritate, alii *Imperium*, ut mos est, alii, quorum fuere Hungari, quibus nomen Imperii propter veteres simultates non est ita jucundum, *Hispaniam* inclamantes, procurrunt. Hostes nostrorum primum impetum ferre nequeuntes, se fugae mandarunt, qui magna ex parte a nostris fuerunt in fuga vel concisi, vel capti, praesertim ab eis, qui levius erant armati. Hi enim ultra passuum decem millia fugientes sunt insecuti. Ex nostris quinquaginta circiter perierunt. Carolus ipse, quem Rex frater comitabatur, ad passuum millia quinque fugientes insectatus, in nemoris prato, ut suos colligeret, constitit.

XII. Huc Ducibus ac proceribus convenientibus, Joannes Federicus Dux Saxoniae captus esse nuntiatur. Quo nuntio delectatus Carolus, quippe ea ratione bellum confectum esse intelligebat, eum ad se deduci jubet. Sed quoniam primam laudem capti Ducis sibi diversi Hispani, Italici, et Hungari vindicabant, nequa seditio ex contentione oriretur, Ducem Albanum eo properare jubet, qui, judicio controversiae ad ipsum Carolum rejecto, illum ex equitum manibus ereptum, ad se deduceret. Joannes igitur Federicus Dux loricatus, et insuper thoracatus, ut erat, equoque invectus, et

et sanguine ex vulnere sinistra gena accepto manante, cruentus deducitur; qui Albani laevo lateri cohaerens, cum in conspectum Caroli pervenisset, ad pedes desilire parat, ut supplex eum consueta caerimonia veneraretur: sed conantem Carolus prohibuit, non, ut opinor, honoris, sed humanitatis causa, ne homo lassitudine et vulnere aegritudineque animi fatigatus, et corporis vastitate (erat enim corporaturae inusitatae) tardus et impeditus inanem et ingratum laborem caperet. Tum ille aperto capite: „*Imperator*, inquit, *invictissime et humanissime, captivus tuus sum, jube me ut* „*captivum, sed tuum captivum, tractari*." Et Carolus: „*Nunc me*, inquit, *Imperatorem vocas; at non sic diebus* „*superioribus; tu igitur, ut es meritus, tractaberis*." Hic scilicet et Lantgravius bello superiore Carolum non Imperatorem ex dignitate, sed ex patria *Gandavensem Carolum* per contemtum nominabant. Jussus igitur diligenter ab Hispanis custodiri, in castra deducitur.

XIII. Eodem die, qui fuit ad octavum Kalendas
N. M.D.XLVII. Majas ejus anni, qui Christi nati millesimus quingentesimus quadragesimus septimus numerabatur, captus item Ernestus Branzvicensis Dux, simulque custodiae traditus. Capta tormenta viginti unum, et signa militaria, quae peditatus sequebatur, decem et septem, equestria novem. Carolus, cum advesperasceret, copias in castra per navalem pontem reduxit. Hac parta victoria, Carolus tria illa verba, quibus Julius Caesar, victo magna celeritate Pharnace Rege, usus est, tertio pie nonnihil immutato, apud amicos usurpavit: *Veni, vidi, et ope Divina vici*.

Bi-

XIV. Biduo ad ea castra moratus, et Torgao per deditionem recepto, Vitembergam movet, urbem non procul Albi, opere et natura munitissimam, quaeque jam trium millium armatorum praesidio a Joanne Federici liberorum natu maximo, qui ex praelio, dextra et capite accepto vulnere, eo se receperat, tenebatur. Quo in itinere ex captivis compertum est, Tumezhiernem Ducis Saxoniae praefectum, de quo supra meminimus, cum copiis, quas in Bohemiam abduxerat, et praeterea Bohemorum peditum octo millibus auxiliaribus, et magno equitatus subsidio fuisse Duci propediem affuturum, nisi fuisset ille tanta celeritate debellatus. Dum trajecto rursus Albi, Vitembergam Carolus oppugnare parat, Brandeburgensis Marchio, unus ex iis, quorum suffragio deligitur Imperator, et Guiliermus Cleviae Dux gener Fernandi Regis, et uxoris capti Ducis frater, amici causa laborantes, ac, nequid gravius in eum statueretur, metuentes, Carolo supplices fuerunt, et precibus omnibus oraverunt, ut mortalitatis et conditionis humanae memor esset, quae fortunae temeritati multifariam exposita sit, quaque homo homini, Princeps Principi debeat esse commendatus; proque sua singulari clementia et humanitate vitae parceret captivi Ducis: in ceteris vero, quin sua voluntate statueret, se nihil impedire dixerunt; tametsi, quidquid misericordiae ac benignitatis in eum contulisset, hoc non uxorem tantum et liberos, sed multos etiam cognatos et amicos esset demeriturus, quorum non pauci ipsius Caroli gloriae, quae non minus clementiae ac benignitatis, quam bellicae virtutis opinione cresceret,

ret, ac dignitati cupidissime faveant, qui ut nuper superbo et impie in ipsum bellum gerenti succensuissent in crimine, sic nunc supplicis in calamitate misererentur.

XV. Tali oratione et amicorum precibus permotus est Carolus, et a suscepto consilio revocatus. Ipse enim sponte sua nihil nisi de ratione irrogandae legitimae poenae, deque loco et die cogitabat; jamque consilium cum Mignatone Praetore Aulico (ut mihi Praetor idem affirmavit) communicaverat, nisi quod is pro sua prudentia in irroganda poena capitali, quae poenitentiae nonnumquam hoc in genere salutari nullum locum relinquit, properare minime censebat. His autem conditionibus Ducis vitae pepercit, ut is, donec aliter Carolo visum esset, castra ejus in custodia secuturus, jure ferendi suffragii in deligendo Imperatore privaretur, et omnia oppida et castella, quae huic juri sunt annexa, ex vinculis traderet, cetera, quae patrimonii ejus essent, retineret. Item, ut Mansfaltensibus et Sulmanensibus Comitibus, quidquid castellorum et possessionum eripuisset, statim restitueret; idem faceret monasteriis et ecclesiis, quas per Saxoniam possessionibus et vectigalibus spoliaverat, deque damnis, a Carolo aestimatione facta, satisfaceret.

XVI. Quibus conditionibus non a Duce tantum, sed etiam a filiis et uxore acceptis, Vitemberga cum magnis tormentis plus centum viginti tradita est, acceptumque praesidium. Gotha vero arx munitissima et inexpugnabilis, ne invitamentum esset ad defectionem, solo aequata; nam et hoc fuerat in conditionibus, Alber-

berto Marchione, qui huc custodiae gratia deductus fuerat, in libertatem vindicato; qua in arce magna et tormentorum, et earum rerum, quae his usui sunt, multitudo reperta; deinde cetera, prout erat constitutum, administrata. Itaque uxor Joannis Federici Ducis ex Vitemberga cum uno ex filiis in castra venit, Fernandi Regis filiis et Marchione Brandeburgensi, et aliis Germanis Principibus officii gratia deducentibus. Quae supplex Carolum cum salutasset, se et sua omnia in ejus potestatem permittere dixit, et maritum ei demississime commendavit. Eam Carolus non secus, ac si fortuna nihil ei per mariti crimen et calamitatem detraxisset, benigne appellavit, et honorifice tractavit; quin et Vitembergam, marito salutato et convento, reversam, postridie cum urbem inspicere placuisset, causa honoris invisit.

XVII. Hoc bellum Carolus magna ex parte celeritate confecit. Nam si dispersae copiae, et quas ex Bohemia Tumezhiernes inducebat, quod intra diem duodecimum fore exspectabatur, convenissent, Dux idem poterat, ut ipse postea confirmavit, cum peditum triginta, equitum vero septem millibus, nostris numero multo inferioribus occurrere. Quas enim copias huc Carolus induxit, vix peditum sexdecim, et equitum quinque millium numerum explebant.

XVIII. Ad Vitembergam Carolus jus suffragii, et huic annexa oppida, quibus Joannem privaverat, in Mauricium Henrici Saxoniae Principis filium, Philippi Lantgravii generum, magna caerimonia transtulit; et milites Hispanos, qui hostiles naviculas ad Milburgum nan-

nantes abduxerant, singulis sericis vestimentis coccinei coloris, et tricenis aureis nummis virtutis gratia donavit; equitibus Hungaris, inferioris scilicet Pannoniae, propter egregiam operam navatam stipendia ejus mensis duplicavit, eorumque praefectis torques aureos ponderis trecentorum aureorum nummorum in singulos tribuit. Hinc quoque Rex Fernandus cum parte copiarum in Bohemiam proficiscitur, ut victoriae fama, quae in bellis plurimum potest, ad homines seditiosos, et tumultuantes populos coërcendos atque pacandos (id quod facile consecutus est) uteretur. Nam Duce Saxone debellato, Carolus omnem Germaniam tantopere conterruit, ut Philippus Lantgravius, unica jam spes eorum, qui Carolum occultis odiis prosequebantur, rebus suis prorsus diffidens, ad Caroli clementiam confugere constitueret. Itaque duobus deprecatoribus usus, Delectore Brandeburgensi et Mauricio Duce genero suo, veniam a Carolo his conditionibus impetravit, ut Philippus se suaque, ac in primis quatuor urbes primarias in Caroli potestatem permitteret; utque ex munitissimis arcibus, quidquid Carolo visum esset, solo aequaretur; ut oppida cuncta ditionis Philippi, jurejurando ipsius voluntate dato, imperata Caroli facere; et, si quando Philippus a Caroli fide defecisset, eum capere, et vivum in Caroli potestatem tradere pollicerentur; ut nummorum aureorum, quos *florenos* vocant, centum quinquaginta millia mulctae nomine numeraret; aenea tormenta, qui magnus erat numerus, traderet; ut Henricum Ducem Branzvicensem, quem ante tres annos captum custodia coërcebat, liberaret; ut res alienas, quas-

quascumque injuste occupaverat, ecclesiasticas et profanas, quemadmodum a Carolo aestimatum et judicatum fuisset, restitueret. Multa enim ecclesiastica bona tum hic, tum Joannes Dux Saxoniae per injuriam occupaverant, quae ne reddere cogerentur, divina et humana permiscentes, Lutheranam impietatem alebant, et publicae Christianorum et Ecclesiasticae quieti et concordiae pertinaciter obsistebant. Carolus hoc tantum pollicitus est, se nec in Philippum capitaliter amimadversurum, nec eum perpetua custodia cohibiturum.

XIX. His dictis et acceptis conditionibus, Philippus Halam oppidum Saxoniae ad Carolum venit, et ad pedes ejus cum majestate sedentis, genibus flexis, obvolutus, apertoque capite, non per se, sed per scribam suum, more Germanico, in hanc sententiam est locutus: „Si mea in te commissa spectanda forent, „Imperator invictissime, qui non solum impia in te „arma cepi, sed multos etiam alios in hujus criminis „societatem ut asciscerem, cunctis rationibus elabora„vi, nullus erat, fateor, cui causatius succenseres, „nemo, in quem justius quam in me iracundiam ex„erceres, cujus me culpae atque delicti etiam atque „etiam poenitet. Dignus igitur omni mulcta et anim„adversione me meaque omnia in tuam potestatem „permitto. Erit tamen humanitatis tuae, et magnis „documentis perspectae cunctis hominibus clementiae, „veniam dare meis erratis, et magno meo dolori ac „poenitentiae partem aliquam culpae, quemadmodum „jam te pro tua singulari benignitate facturum osten„disti, condonare, ut liceat mihi tua voluntate sic

„ meis clientibus, qui se tibi tamquam supremo Prin-
„ cipi, me quoque volente, tradunt, praeesse, ut tuis
„ imperatis sine ulla exceptione pareamus. Ego enim
„ sic fore promitto, et tibi omne meum studium, fi-
„ dem officiumque polliceor. Nam quo gravius in te
„ deliqui, hoc data mihi venia erit tua clementia ma-
„ jor; cui non grato animo per omne officium ac pie-
„ tatem respondere, impium esset atque nefarium. “

XX. Ad haec Carolus per unum ex Belgis Consiliariis in hunc modum respondit: „ Philippum Lantgra-
„ vium, ut scirent omnes, et ipse confiteretur, ita de
„ se meritum esse, ut, quidquid de hoc statuisset,
„ nulla poena justo gravior futura fuisse videretur; ta-
„ men cum idem supplice ac poenitente animo seque
„ et sua omnia in potestatem permiserit, ipsum quo-
„ que pro sua natura de severitate remissurum, qui
„ humanitatis magis, quam injuriarum in supplicibus a-
„ nimis, libentiusque meminisse soleret; pro sua igitur
„ consuetudine, simulque ut viris Principibus interces-
„ soribus, quorum in se voluntatem secundam atque
„ fidem perspexisset, gratificetur, Philippo vitam, quam
„ optimo jure auferre posset, bonaque condonare; et
„ quem aqua et igne interdixisset, in pristinum sta-
„ tum restituere; nec eum velle perpetuo carcere coër-
„ ceri, sed ita haec omnia fieri, quemadmodum datis
„ legibus fuisset constitutum. Praeterea se Lantgravii
„ clientes in suam fidem recipere, et jusjurandum ac-
„ cipere, quod tum ipsi, tum Philippus idem darent,
„ ipsos numquam ab officio discessuros, et quidquid
„ ad Caroli, ejusque in Imperium successorum dignita-
„ tem

„tem et commoda pertinere putabunt, omni ope at-
„que fide curaturos; confidereque eosdem Lantgravium
„et clientes, qui crimen admisissent, capite et bono-
„rum publicatione jure gentium sancitum, vitae ac
„dignitatis bonorumque ipsis condonatorum memoriam,
„ut pollicerentur, perpetuam retenturos."

XXI. Hoc accepto responso, Philippus, qui genibus flexis, apertoque capite permanserat, sese erexit. Cui Carolus nec dextram Germanico more porrexit, nec honorem habuit alia quapiam caerimonia. Tunc accedens Dux Albanus, Philippo secum abire jusso, duos quoque Delectores ad coenam in arcem, quam ipse habitabat, invitavit; peractaque coena, Lantgravio locum in arce, quo secederet, ut erat imperatum, attribuit, ejusque custodiam Joanni Guevarae centurioni Hispano cum suis manipularibus tradidit.

XXII. Hoc Philippus initio impatientissime tulit; nam cum non vi captus esset, ut Dux Saxoniae, sed sua voluntate et memoratis conditionibus sese Carolo permisisset, custodiam sui multo laxiorem fore putaverat, ut ne a venationibus quidem excluderetur. Carolus autem, qui hominis ingenium mobile et ad res novandas propensum noverat, malorum occasiones atque licentiam minuendas esse putavit, donec res in meliore statu, quo erant redactae, confirmarentur. Eademque causa arces omnes in finibus Lantgravii, ut Gotham in Saxonia, demoliri jussit, una excepta, quae Lantgravio reservaretur; et undique tormenta bellica, quaeque his usui sunt, Francafortem, atque inde in Belgium conferre praecepit, praeter centum ex Vitem-

ber-

berga detracta, quorum quinquaginta Neapoli, totidem Mediolano destinavit. Itaque quadringenta in Belgium perferri placet, centum, quae civitatibus dedititiis, cum eas in fidem reciperet, imperaverat, et centum altera ex Gottha, ducentaque ex arcibus Lantgravii, ut ex hac summa trecenta ad Belgii tutelam relinquerentur, centum vero cum aliis centum quadraginta, quae prius in hoc comparata fuerant, in Hispaniam transportarentur.

XXIII. Dum harum rerum expediendarum causa Carolus ad Halam commoratur, inter Germanos Hispanosque ex levi, ut fieri solet, causa inter duos milites exorta seditio est, quae tantopere creverat, dum suis quisque opem ferre studeret, ut nec praefectorum nec principum virorum opera et auctoritate posset compesci, donec Carolus ipse, non sine suo magno discrimine inter utramque aciem volantiaque tela irrumpens, sua praesentia et auctoritate furentium animos cohibuit, et pugnam orationis gravitate diremit. Huc quoque Paulus Tertius Pontifex Maximus Nuntium litterasque ad Carolum, de victoria gratulatum, misit, in quibus litteris Caroli *Maximi et fortissimi Imperatoris* titulus ascriptus erat. Ex Hala Carolus proficiscens, ne a Bohemia, dum Fernandus frater eam gentem sedatis tumultibus pacaret, quod brevi Caroli nominis et secundorum praeliorum fama suffragante perfecit, longius discederet, per Turingiam et Pambergam Nurembergam contendit; quo in itinere Joannis Ducis Saxoniae natu maximus filius ei obviam venit, et quas leges patri Carolus dederat, ipse quoque accepit, et ratas habuit.

buit. Ex Nuremberga Carolus, dies ibi aliquot commoratus, Augustam Vindelicorum, quo Germaniae totius Concilium indixerat, pervenit.

XXIV. Per idem tempus Genuae, cum ea civitas esset in fide et clientela Caroli Caesaris, et in eadem plurimum Andreas Doria gratia et auctoritate polleret, motus repentinus exstitit, cujus excitandi princeps et auctor fuit Comes Joannes Aloisius ex Fliscorum familia adolescens, vix annos viginti quinque natus, qui invidia et imperandi cupiditate inductus, rebus novis studere coepit, consiliumque inivit, ut Andream Doriam et Joannetinum fratris filium, seni auctoritate proximum, et in classe ducenda Vicarium, ceterosque Dorias concideret, eisque de medio sublatis, et triremibus in suam potestatem redactis, urbem a Carolo Caesare ad Regem Gallum, quem initio sui consilii certiorem fecerat, deficere coactam, occuparet ipseque ut Galli praefectus obtineret; consiliumque cum Hieronymo et Ottobono, natu minoribus fratribus, et praeterea paucis, quos a Carolo Caesare et Andrea Doria alienos animos gerere intelligebat, communicavit, quorum fuisse creditus est Paulus Pontifex et Petrus Aloisius filius, qui Parmae et Placentiae id temporis imperitabat. Nam et Romam adiisse Fliscum, et cum Paulo Pontifice ejusque intimis collocutum fuisse, constat; et inde naves aliquot triremes ex Pontificiis abduxisse, quas sibi emtas fuisse piraticae causa praedicabat, idque cum multis, tum in primis ipsi Andreae Doriae persuaserat. Ut enim rem occultius et commodius conaretur, manusque sine eorum, quibus malum

pa-

parabatur, suspicione cogeret, Andream ipsum, quo familiariter utebatur, alloquitur, sibique in animo esse confirmat non otio torpere ignavorum more, sed Andreae ipsius exemplo, longis navibus comparatis, fortunam maris experiri, et navales occasiones quaerere, quibus ad opes et gloriam via soleat viris fortibus aperiri.

XXV. Hoc consilio et animo per Andream, nihil fraudis subesse suspicantem, probato et collaudato, Fliscus inceptum confidentius urgere pergit, conscios appellare, comparare necessaria, manus cogere, quae per speciem instituendae piraticae domum ipsius frequentabant, ita ut Joannetino res in suspicionem veniret Fliscum male cogitare, Andreamque solicitus admoneret. Sed ille nec Joannetini verbis, nec litteris Fernandi Gonzagae ex Mediolano missis fidem habuit; in quibus litteris scriptum erat: Ex Gallia per exploratores ad se perlatum esse, ad aulam Regis occultum sermonem emanasse, Genuae civem quemdam magnae auctoritatis ex Fliscorum familia, de urbe occupanda, et Regi Gallo tradenda consilium inivisse: proinde a Fliscis caveret Andreas Doria, maxime a Comite Joanne Aloisio, qui se ita gereret, ut res novas moliri non sine causa videretur; quamobrem sibi civitatique consuleret, neve committeret, ut dolo et insidiis caperetur. Sed Andreas, cui jucunda erat familiaris Comitis consuetudo, id quod sibi persuaserat, respondebat: Ab adolescente simplicis animi et natura jucundi nihil insidiarum esse metuendum. Ceterum ea res ut ab Andrea neglecta fuit, qui ab adolescentibus amicis et fami-

miliaribus timendum sibi non putabat, sic Joannem Aloisium, quem Andreas de epistola non celavit, impulit, ut negotium maturaret.

XXVI. Rebus igitur necessariis comparatis, ex castellis et vicis, quibus in agro Genuensi imperitabat, clientum manum occulte coëgit, et ea ceteris, qui quotidiana consuetudine domum ejus frequentabant, adjuncta, et in aedium suarum secessu latitare jussa, civium amicorum turbam ad coenam vocavit, et in his Andream ipsum Doriam et Joannetinum hostili scilicet animo invitavit. Sed Andreas valetudinem excusavit; Joannetinus contra officium fore sibi videri dixit, si ab Andrea Principe discederet. Peracta coena, Joannes Aloisius, convivis in partem aedium interiorem coactis, hujusmodi ad eos orationem habuit: „Non ego, „viri fortes, ad eas tantum epulas vos nominatim vo-„cavi, quae ignavis juxta et fortibus civibus apponi „solent; sed alias vobis paravi dapes, quibus liberi „celsique animi aluntur, et quibus sublatis, vitam sibi „acerbam esse putare solent. Hae vero sunt vestra pa-„triaeque libertas. Quis enim, cui modo reliqua sit „aliqua virtutis paternae scintilla, aequo animo ferre „potest, civitatem nostram, quae aliis imperitare so-„lebat, jam tot annos uni Doriarum familiae servire, „et multos ex ea tyrannos regnare? Hos ubique Rei-„publicae facienda omittendaque praescribere? Sive bel-„lum gerendum est, omnia Doriarum voluntate admi-„nistrantur: sive societas et amicitia cum Principibus „ineunda, cuncta Doriarum commodis et rationibus „diriguntur. Ceteri, quorum majorum virtute et glo-

„ ria res Genuensis auctoritasque crevit, viri fortes et „ probi, etiam nobiles et honorati, quasi vulgus igno- „ bile, in obscuro sumus, et quae ipsis libuerit, decer- „ nere, aut decretis et jussis per dedecus suffragari co- „ gimur: ita quibus minime oportebat, contemtui su- „ mus atque ludibrio. Quam indignitatem diutius per- „ peti, nec fortium est, nec ingenuorum hominum. „ Expergiscimini igitur aliquando, viri fortes, et vos „ patriamque in libertatem, me vel duce, vel commi- „ litone, vindicate. Res est in expedito, incepto dum- „ taxat opus est. Ego enim ad rem tum initio confi- „ ciendam, tum tyrannis exactis Principum auxilio con- „ firmandam atque tuendam, necessaria comparavi. "

XXVII. Haec cum dixisset, ceteris omnibus assentientibus, duo dumtaxat, Baptista Cataneus Baba, et Baptista Justinianus, viri nobiles, periculosum et anceps consilium sese minime probare dixerunt: itaque his in cubiculum inclusis, et foribus obseratis, ceteros numero circiter trecentos armat, et domo circa mediam noctem educit. Erant in portu triremes naves omnibus rebus et militum numero majore, quam pro triremium consuetudine, instructae, quas Paulus Pontifex ipsi Comiti in hunc, ut creditum est, usum commodaverat, de quibus supra memoravimus. Aloisius igitur, copiis partitis, fratrum alteri negotium dat, ut triremes has in locum juxta navalis ostium ad rem gerendam accommodatum impelleret; alteri, ut portam urbis praetorio hortisque Andreae, quibus ipse et Joannetinus diversabantur, proximam, quaque illi, exaudito tumultu, in urbem venturi esse putabantur, obsideret. Ipse cum

re-

reliqua manu ad navale, ubi triremes Andreae in ultimo sinus, qui portum efficit, secessu et loco circumductis aedificiis munito, cum paucis custodibus hibernabant, contendit; et qua erat per terram aditus, cum magno tumultu magnoque clamore ad libertatem vocantium, irrumpit. Quo excitatus Joannetinus Doria, cum paucis, qui aderant, in urbem, qua proximum ei erat, accurrit, et per portam, de qua diximus, a conjuratis, qui priores custodes, clavibus sublatis, removerant, admissus, et in insidias praecipitatus, occiditur.

XXVIII. Comes autem Aloisius triremes, custodibus pro sua paucitate parum repugnantibus, oppugnare aggressus, dum ab una triremi in alteram per injectam tabulam transcendere conatur, fallente vestigio, in mare decidit, gravantibusque armis, cum emergere non posset, suffocatur. Interea frater, qui Joannetinum occiderat, per urbem cum conjuratis popularibus discurrit, magnis clamoribus cives ad libertatem vocando. Andreas Doria, ubi de Joannetini nece cognovit, rebus desperatis, tenebrarum et scaphae, quae consuetudine aderat ad terram alligata, beneficio sibi utendum ratus, fuga ad salutem contendit. Magistratus, qui, Duce paulo ante defuncto, reipublicae in eo interregno cum summa potestate praeerant, exaudito tumultu, metu perculsi, se intra praetorium cum suo non ita magno praesidio et paucis evocatis civibus continebant.

XXIX. Conjurati vero diu nequidquam tumultuati cum fuissent, et de Joannis Aloisii casu, qui ca-

put auctorque tumultus fuerat, cognovissent, die jam appetente, conatu destiterunt, dehortantibus amicis magnae auctoritatis civibus, qui se in pacificationem interposuere; deinde a Magistratibus venia certis conditionibus impetrata, urbe discesserunt. Quamquam postea per otium causa diligenter cognita, Hieronymus Fliscus, cum Ottobonus in Galliam se fuga subtraxisset, expugnato Montolio castello, quo se receperat, captus, et capite plexus est, et castella ceteraque trium Fliscorum fratrum bona publicata.

XXX. Hunc Joannis Aloisii Flisci casum secutus est post aliquot menses eodem anno Petri Aloisii Farnesii, qui ad Placentiam necatus fuit, interitus, cujus haec causa et origo fuisse ferebatur. Post obitum Alexandri Medices, qui Ducis titulo Florentinis nolentibus imperitabat, quique Margaritam notham Caroli Caesaris filiam uxorem duxerat, Paulus Pontifex Maximus, qui Clementi demortuo suffectus fuerat, impetravit a Carolo Caesare, ut eamdem filiam Octavio Farnesio nepoti suo in matrimonium daret, ea conditione, ut Paulus in Regno Neapolitano, tutissima scilicet Italiae regione, trecentis ducatorum millibus castella praediaque coëmeret, quorum fructibus Octavius se ac familiam aleret cum Margarita conjuge, quae ex possessionibus et clientelis tum ex superiore matrimonio relictis, tum a patre traditis, plus viginti ducatorum annua millia capiebat.

XXXI. Sed Paulus, centum quinquaginta ducatorum millibus castella et possessiones a Carolo mercatus, ut quod summae deerat, suppleretur, Camerini Ducatum,

tum, ex ditione Ecclesiastica subductum, Octavio in perpetuam clientelam attribuit, sperans videlicet Margaritae Florentiae Principatum quasi dotalem fore; qua spe destitutus propter Florentinorum in Cosmo Medice in demortui Alexandri locum sufficiendo consensum, coepit de Senensium libertate exemplo Florentinorum opprimenda, et eam rempublicam in unius Octavii Farnesii imperium convertendo cum Carolo diligenter agere, nec tamen impetravit; tum de Mediolanensi Ducatu, magna vi pecuniarum ad usum militarem oblata, ejusdem animum tentavit. Sed cum ne hoc quidem procederet, Parmam et Placentiam, quae civitates tunt Romanis Pontificibus parebant, filio Petro Aloisio eposteris cum titulo *Ducatus* in perpetuam ditionem tradere constituit, Camerini Ducatu in Ecclesiasticam ditionem restituto; id saltem Carolum necessitudini et acmicitiae daturum confidens, ut in hoc negotium, quod ad filiam et posteros pertineret, suam auctoritatem interponeret ad minuendas litium controversias, et contentionum occasiones tollendas, propter veterem Ducum Mediolanensium et Pontificum Romanorum de harum duarum urbium ditione et jure controversiam.

XXXII. Sed cum ne hoc quidem a Carolo potuisset impetrari, Paulus Pontifex Petrusque Aloisius filius, Octavii pater, ab amicitia Caroli sese multum averterant, et per occultas legationes cum Henrico Galliae Rege, qui erat Imperii Caroli Caesaris aemulus in Italia, consilia communicabant, et adversus Carolum inibant, et eas urbes praesertim Placentiam magnis operibus firmabant; atque ipse Petrus Aloisius, qui Placentiae

tiae morabatur, externo praesidio sese muniverat, ceteraque in morem tyrannorum comparabat, quorum proprium est optimatum vitae et opibus insidiari. Quod animadvertentes, metuentesque quatuor ex primoribus civitatis, sibi patriaeque libertati consulendum rati, in Petri Aloisii caput conspirarunt, cujus conjurationis Augustinus Laudius et Joannes Angusola principem locum obtinebant.

XXXIII. Cum igitur sese in ejus amicitiam insinuassent, constituto die, qui fuit ad quartum Idus Decembris, singuli more dierum superiorum cum quaternis comitibus adsunt, gladiis et thoracibus occultis armati, et arcem, custodibus nihil tale suspicantibus, intrant. Tum ceteris ad militum praesidiariorum vim, si forte accurrissent, repellendam intentis, et ipsorum hastis, quas securi ad parietem deposuerant, occupatis, Joannes Angusola, stricto gladio, in conclave irrumpit, quo Petrus Aloisius paulo ante pransus continebatur, eumque, ut erat infirma valetudine et morbo articulari afflictus, nihil repugnantem confodit. Edito facinore, conjurati per arcem imperium et libertatem conclamantes discurrunt, et ligneum ponticulum, quo fossa circumducta committebatur, ad reliquos praesidiarios milites, qui per urbem vagabantur, excludendos attollunt; quibus cum magna civium turba ad clamorem et tumultum concurrentibus, corpus per fenestram in fossam, ubi pueris ludibrio fuit, dejecerunt; quo spectaculo deterriti milites, avertuntur, diversique urbe discedunt.

XXXIV. Postridie vero quingentorum hominum ar-

ma-

mata manus, quae in propinquo jussu Fernandi Gonzagae paucis illis diebus per speciem supplendorum praesidiorum confecta fuerat, Placentiam inducitur, atque ipse Gonzaga tertio die cum equitatu affuit, et urbem in fidem Caroli Caesaris, volentibus et petentibus oppidanis, recepit: quae res multorum animis suspicionem injecit, eam caedem, non insciente nec invito Fernando Gonzaga, patratam fuisse: nam de Caroli voluntate, ut obscurior conjectura, sic levior suspicio fuit.

XXXV. Pacata Germania, et Joanne Federico Saxoniae Duce et Philippo Hessiae Lantgravio captis, custodiaeque datis, Carolus Augustam Vindelicorum venit, praemisso edicto in omnes partes Germaniae, ad quem diem in eadem urbe Principes et civitatum legatos cum liberis mandatis praesto sibi esse vellet. Qui undique cum ad diem convenissent, in frequentissimo conventu Carolus verba facit: „Contentiones civiles quot quan„taque mala parere soleant, et quam sint civitatibus „perniciosae, proponit. Sed eas maxime omnium fu„giendas esse docet, quae a dissensionibus Religionem „attingentibus oriuntur. Nam praeter cetera mala, quae „sint cunctis civilibus contentionibus communia, illud „esse hujus generis peculiare, quod magna ex parte „ortum habent a pudendis et indignissimis auctoribus, „leviculis et ambitiosis, rerumque novarum cupidis „hominibus, qui, cum se levitate forsitan animi in „arctiorem vivendi rationem conjecerint, hoc maxime „curant, et per dolos fraudesque nituntur, ut se in „vitam liberiorem asserant, et peccandi licentiam: quod prae-

„ praesente rerum statu cum assequi non possint, res
„ novas per scelus et nefas moliuntur contra sanctorum
„ Patrum sententias et receptos Ecclesiae mores; postre-
„ mo adversus communia Christianorum decreta et san-
„ ctiones, sacrarumque scripturarum interpretationes im-
„ pudentissime ac sceleratissime disputantes. A quibus
„ leviculas mulierculas et pravos homines, qui eidem
„ peccandi licentiae student, aut praesente statu salvi
„ esse non possunt, nihil mirum sit in suam sententiam
„ scelerumque societatem perduci; quippe qui non de
„ Religione, quam violare multis sceleribus non desi-
„ stunt, soliciti sint, sed flagitiorum impunitatem quae-
„ rant. At viros probos et graves, veraeque pietatis sin-
„ ceros cultores in istorum impias nugas animum inten-
„ dere, et majorum consuetudini sanctorumque Patrum
„ decretis et universalis Ecclesiae auctoritati scelerata
„ commenta et nefarias argutias anteferre, turpissimum
„ esse confirmat, et sanorum hominum, nedum pruden-
„ tium et constantium, gravitate indignissimum. Illud
„ quoque, quod sit extremae dementiae, in his conten-
„ tionibus praecipuum esse demonstrat, quod armis de
„ iis rebus disceptatur, quae vim nullam patiuntur, et
„ omnium maxime ratione et scripturis Divinis publicis-
„ que Christianorum et Ecclesiae institutis per Conci-
„ lium ecclesiasticum generale dijudicari debent; id est,
„ per Antistites religionis, et gravissimos, sapientissimos
„ et sanctissimos Patres more majorum constitui, qua
„ perversitate quid posset esse dementius? Aliam esse
„ rationem, si quis in Christiani nominis hostes arma
„ pia sumat, vel publicam causam suscipiat adversus
„ eo-

„ eorum temeritatem et arrogantiam, qui studio rerum „ novarum inducti Ecclesiam Catholicam, id est, universalem, impugnant, et communem Religionis statum „ convellere nitentes publicam Christianorum pacem „ perturbant. Ex quo rerum in Religione novandarum „ studio maxima et maxime omnium civitatibus perniciosa mala saepe exstitisse, si res esset dubia, negat „ sibi fore difficile multis exemplis confirmare, quae „ partim a doctis hominibus acceperit, partim ipse in „ historiis legerit: sed nihil opus esse externis documentis, cum ipsi Germani suis malis edocti sint, et ceteris esse possint clarissimo exemplo et testimonio. Sic „ igitur censere, hortarique et rogare Germanos, ut superiorum dissensionum obliti omnes de religione controversias ad Concilium Ecclesiasticum generale dijudicandas rejiciant, ejusque judicio stare constituant et „ polliceantur. Quod Concilium ut primo quoque tempore cogatur, sese omni ope conaturum promittit „ atque confirmat; interim vero dum Concilium cogitur, et in eo de rebus dubiis et controversis deliberatur, ritus Catholicus per omnem Germaniam in „ pristinam consuetudinem revocetur, et ab eo nec publice, nec privatim ullo loco discedatur. Hoc jus esse et „ fas; hoc commodis et dignitati Germanorum convenire; hoc eorumdem constantia et gravitate dignum „ esse; ad summam hoc omni ex parte ad Germaniae „ bonum publicum pertinere."

XXXVI. Huic orationi Caroli cuncti, qui aderant, annuerunt, nec fuit omnium quisquam nec Princeps, nec legatus, qui ejus voluntati ac sententiae refragaretur.

Itaque constitutum est communi sententia, ut omnium de Religione controversiarum judicium ad Concilium Sacerdotum generale deferretur, et interim Religio Catholico ritu coleretur. De his consultis atque decretis cum esset scriptura publice per tres Episcopos confecta, rursus Principibus atque legatis in locum unum coactis, Carolus Germanos iterum ad concordiam paucis verbis, sed gravissimis cohortatus, libellum palam omnibus recitari jubet. Qui cum esset lectus, Moguntinus Archiepiscopus, qui principem locum inter omnes Germaniae Principes tum sacros, tum etiam profanos tenet, pro cunctis locutus est, et publico Germaniae nomine et auctoritate decretis collaudatis et approbatis, gratias verbis amplissimis egit Carolo Caesari, qui tantum curae pro patria suscepisset, tantum laboris, ut Germaniae Reipublicae saluti et dignitati difficillimo ejus tempore consuleret, hausisset. Deinde libellus ille, Latino et Germanico sermone descriptus, per omnem Germaniam evulgatus est. Praeterea tres Episcopi a Paulo Tertio Pontifice Maximo in Germaniam cum mandatis et potestate missi, qui redeuntibus ad sanitatem Germanis superioris temporis delictorum et impietatis gratiam facerent.

XXXVII. In eodem Conventu de sumtibus, a Carolo Caesare bello Germanico factis, disputatum est. Quod bellum cum ad Germaniae salutem et dignitatem maxime pertinere visum esset, ut ea jactura et impensae sarcirentur, imperata Germanis sunt, ut quidam rationem inierunt, nummorum aureorum decies et sexies centena millia, quae tum a Principibus, tum a civita-

ti-

tibus contributa et exacta fuerunt.

XXXVIII. Eodem anno Carolus per Gerardum Veltuichum legatum inducias quinque annorum cum Solymano Principe Turcarum fecit. Philippus Hessiae Lantgravius, cum in custodia ad Mechliniam teneretur, impatiens morae, rebusque suis diffisus, fugam comparabat. Jamque Conradus Bredestenus et Joannes Romelius ejus familiares, cum quibus consilium communicaverat, equos velocissimos ab Hessiae finibus Mechliniam usque disposuerant, et dies venerat fugae destinatus, cum famuli cujusdam temeritate, qui particeps consilii et administer erat, res emanavit. Is enim Mechliniae, cum familiariter de Lantgravio cum amico colloqueretur, nescio qua mentis caecitate vel amentia impulsus, fore dixit, ut Lantgravius intra paucas horas liberaretur. Hoc cum ille alter ad custodiae praefectum in ipso propemodum temporis articulo, quo fuga conscensis equis erat capessenda, detulisset, praefectus cum custodibus militibus occurrit, ejusque interventu negotium supprimitur, duobusque ex administris statim interfectis, ceteris comprehensis, qui postea capite multati sunt, Lantgravius, qui adhuc liberius asservabatur, in arctiorem custodiam detruditur.

XXXIX. Cum eo querelarum et odii ventum esset utrinque, ut Lantgravii liberatio minime tuta, sed multarum seditionum causa fore videretur; illa plerisque ratio malis occurrendi expeditissima et tutissima videbatur, si Lantgravius in custodia lentiore veneno, quo res occultius fieret, necaretur, invidiaque de medio tolleretur. De quo Carolus saepe a quibusdam suorum

admonitus ; cum a Joanne Guevara jam venenum ex Mediolano praeparatum et advectum esset : *Desinite*, inquit, *vosque meque fatigando frustra niti ; ego enim viro principi nihil indignius, nihil turpius esse statuo, quam veneno pugnare ; et mortem etiam justam dissimulanter perque fraudem inferre, sceleris instar et pusilli animi esse semper reputavi.*

XL. Hoc quoque anno ad urbem Neapolim adversus Petrum Toletum, qui pro Carolo Caesare Regnum procurabat, tumultuari coeptum est. Tumultuandi causa fuit novae legis de causis haereticorum Hispano ritu cognoscendis promulgatio. Carolus enim animadvertens tum alia crimina, tum ea in primis, quibus pietas, contemta Religione, violatur, impunitate crescere, severiore poena et metu coërceri, providendum statuit ; ut illo quoque in Regno suo huic quasi morbo in dies latius serpenti iis rationibus iretur obviam, quae Hispaniae periculosis temporibus saluti fuissent. Audierat enim, ad eas regiones multos ex nobilitate potissimum impia quadam licentia et arrogantia de Religione non bene sentire, nec satis ex Christiana pietate loqui, ad Ethnicorum impietatem deflectentes, quod faciunt ambitiosa quadam impietate, ut ceteris ingeniosiores et liberiores esse videantur, si humanum sensum ac intellectum, quem lege Divina in servitutem redigere in obsequium Christi jubemur, oraculis Divinis, quae fuerunt, ut Paulus ait, sequentibus signis, id est, miraculis firmata, praeferant, quod est impium atque nefarium.

XLI. Id cum esset in vulgus editum, legem ad no-

nobilitatis potissimum coërcitionem et punitionem spectare, populares initio rem ad se parum aut nihil pertinere existimantes, a recipienda lege non admodum abhorrebant. Quo animadverso, sibique metuentes nobiles, ne a plebe deserti, periculum, quod maxime verebantur, adirent, consiliis communicatis, docendos esse populares statuerunt, periculum a lege ipsos non minus quam nobiles adire, idque non solum advocata concione multis verbis disseruerunt; sed in omni sermone jactabant, nobilibus, qui publicae libertatis custodes et populi praesidium essent, debilitatis, atque, quod Petrus Toletus primum moliretur, dejectis, nihil negotii fore plebem per se infirmam, totamque civitatem in tyrannicam servitutem redigere et spoliare, quo tota molitio Toleti referretur: ac Demosthenis Atheniensis apologo id declarari praedicabant, quo vir ille prudentissimus Philippi Regis Macedoniae dolum et insidias, quas libertati Atheniensium tenderet, indicavit.

LXII. Philippus enim cum Athenas obsidione cinxisset, apertoque Marte expugnare diffideret, ad artes conversus Atheniensibus denuntiatum mittit, non se in civitatem bellum suscepisse, a qua nulla fuisset affectus injuria, sed in Demosthenem et paucos alios, quos animos in se inimicos gerere haberet exploratum. Hos igitur sibi ab Atheniensibus dedi postulare: quod si fecissent, confestim se obsidione destiturum, perpetuamque sibi cum civitate pacem fore polliceri. Erant autem, ut Demosthenes, sic ceteri, quos Philippus nominatim petebat, cives primarii, quorum consilio et industria civitas tyrannicis Philippi conatibus obsistebat.

Quo

Quo cognito Demosthenes, advocata concione, de suis et ceterorum, quos Philippus ad necem peteret, officiis reipublicae salutaribus, deque illius fraudibus doloque disserit; sed illud in primis confirmat, hoc agere Regem versutissimum, ut, custodibus et excubitoribus de medio sublatis, infirmam et incustoditam civitatem circumveniat et adoriatur, qui simile quiddam apologo luporum excogitasset; sic enim esse in fabulis, quibus salutaria monita nonnumquam a prudentissimis hominibus subobscure traderentur: „ cum de „ pacificatione inter lupos et oves ageretur, expostu- „ lantibus ovibus, ac hostiles et intolerabiles injurias „ lupis objicientibus, respondisse lupos et confirmasse, „ sibi cum ovibus nihil odii vel simultatis intercedere, „ totum odium et bellum ipsis esse cum canibus, qui „ pro sua improbitate lupos nihil de se male meritos „ hostiliter infestarent; hi si communis salutis causa sibi „ dedantur, sempiternam pacem se ovibus, icto sanctis- „ simo foedere, daturos. "

LXIII. Talibus verbis talibusque monitis cum nobilitas plebem in suam sententiam perduxisset, magno consensu ab omnibus repudiata lex fuit, affirmantibus ac praedicantibus, non se peccandi licentiae aut ejus sceleris impunitati studere, metuere tamen, nequid in ea lege lateret, quod civitati grande aliquod malum importaret; non igitur recusare, quominus in haereticos pro sceleris gravitate vindicetur, siquis usitata ratione per leges communes causa dicta, et per Episcopos ac judices Ecclesiasticos ipsorum administros cognita, legitime fuerit convictus: at illam severitatem,

quam

quam *Inquisitores* vocati in Hispania causis cognoscendis adhibere perhiberentur, sibi minime placere, qua periculum esset, nequis ad opprimendos cives, praesertim locupletes, et magnis patrimoniis cum eorum magna infamia spoliandos abuteretur. Nam severitatem Hispanorum Inquisitorum nobiles modis omnibus exaggeraverant. Atque haec quidem in concionibus et circulis Neapolitani, passimque non sine fremitu et tumultu pronuntiabant, et de Proregis injuriis querebantur, quem legis auctorem fuisse videri volebant, et, quominus Imperatoris animus derivata in administros invidia offenderetur, praedicabant.

LXIV. Neque vero solum cives, qui ad urbem aderant, arma sumserunt, sed exsules etiam revocarunt, et inimici, ut in communi periculo, in gratiam redierunt. Itemque armatorum hominum quinque millium auxiliarem manum conduxerunt, cum a Prorege praesidii supplementum in arcem acceptum esse intellexissent; accedente ad timoris tumultuandique causas severa ejusdem Proregis in tres adolescentes animadversione; qui unum hominem a Praetoris administris comprehensum, dum ad custodiam duceretur, illis invitis eripuerant, et liberum abire jusserant. Hos enim Prorex, ira flagrans (ut se in Magistratibus et Ministris contemtum esse judicabat) capi, et ex carcere in arcem deduci jusserat, et ex quinque, quorum maximus natu nondum sexdecim annos explevisse fertur, tres paene indicta causa necari, deinde ante arcem ex pedibus raptari praeceperat. Id enim factum Neapolitani, quod crudele et immane judicabant, ab ira profe-

fectum esse interpretabantur, quam ille ex repudiata lege concepisset, et, ne talis casus ad se ex levi causa recideret, quisque metuebat, vel ex eo ipso, quod cum legi refragantibus consensisset. Sed eo maxime die timor oppidanorum animos incessit, cum falsus rumor increbuisset, trecentos milites scloppetarios ex arce prodivisse, ut certos cives, qui rejiciendae legis principes et auctores fuissent, comprehenderent, et in arcem animadvertendi causa deducerent. Tunc enim magno fremitu concursum est, et campanae bombo populus ad arma vocatus, ventumque in arcis prospectum, atque eminus tumultuario praelio tormentis et scloppetis dimicatum. Quod cum fieret, ac Hispani ex arce magna voce *Hispaniam* et *Imperium* conclamarent, oppidani quoque *Hispaniam* et *Imperium* ingeminabant, ut docerent, se non a Carolo Imperatore et Hispaniae suoque Rege defecisse; sed suae libertati et saluti consulere, Proregis injuriis propulsandis.

LXV. Hoc cum dies aliquot continenter factum esset, quidam ex civibus primariis, quibus Petrus Toletus ipse familiarius utebatur, a civitate missi, inducias ab eodem impetraverunt, dum missis utrinque ad Carolum Caesarem legatis, de voluntate ipsius, causa cognita et re deliberata, cognosceretur, a qua voluntate civitati certum esse non discedere. Itaque a Prorege Vallis Marchio, arcis, quae *Castellum novum* dicitur, praefectus, ad Carolum legatus mittitur; a Neapolitanis duo, Placidus Sandus, et qui principem legationis locum tenebat, Fernandus Sanseverinus Princeps Salerni. A quibus causam edoctus Carolus, et precibus

bus placatus ac exoratus, sententiam de ferenda lege mutavit, non ignarus (id quod est a jure prudentissimis traditum) legis nullam esse vim, quae non fuerit judicio populi recepta. Ceterum legatis respondit se ad Proregem, quid suae voluntatis esset, scripturum; civitas tumultuari desineret, et arma apud Proregem deponeret: id cum fecisset, ab eodem Prorege de voluntate ipsius Caroli sciscitaretur. Atque hoc quidem responsum ab Imperatore Vallis Marchio et Placidus Sandus retulerunt: nam Princeps Salerni, qui rebus novis maxime omnium studebat, non ante in Italiam redivit, quam Galliam adiret, et cum Henrico Rege colloqueretur; unde manasse putatur ejusdem Principis defectio, qui non multo post tempore ad Gallos perfugit. Responso accepto, Neapolitani obedienter imperata Caroli fecerunt, et armis apud Proregem depositis, ex rescripto Imperatoris erratorum veniam ab eodem ac de lege silentium impetraverunt, dummodo haereticorum et impiorum scelerata temeritas et arrogantia communi ritu, cognitis causis, diligentius in posterum coërceretur.



JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS GESTIS

CAROLI QUINTI

IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER VIGESIMUS SEXTUS.

I. CONFECTO bello Germanico, Carolus Philippum filium in Belgium ad se vocare constituit, ut eas regiones ac gentes inviseret cognosceretque, et ab eis cognosceretur, quarum imperium ei esset hereditarium, et pro patris successore consueta caerimonia et jurejurando reciperetur, simulque diversarum nationum commercio et externorum hominum consuetudine usuque rerum edoctus ad prudentiam Regiamque facultatem fieret instructior. Hujus rei gratia Fernandum Alvarum Toletum Ducem Albanum in Hispaniam cum litteris et mandatis ad Philippum mittit; quo curante et administrante, omnia, quae ad profectionem et novam formam et ordinem familiae ac ministerii pertinebant, ex Caroli mandatis ad morem Burgundiae sunt instituta, quibusdam etiam munerum nominibus ad eam consuetudinem mutatis, ut hac quoque re Philippus se Belgis commendaret.

II. Itaque ad decimum octavum Kalendas Septembris, qui dies festus agitur Assumtae Virginis Mariae, initium factum est novi moris; et prandenti Philippo Dux

Dux Albanus officium praestitit administrorum praefecti, quatuor novis Philippi Oeconomis assectantibus, Petro Avila Navarum Marchione, Petro Guzmano Olivarium Comite, Gutierro Lupo Padilla, et Jacobo Azevedo. Aderant etiam caduceatores loricati et sceptriferi; omniaque cum solemni pompa, Regiaque caerimonia peracta sunt. Sed ne Hispania, quam Philippus pro patre procurabat, sine magnae auctoritatis procuratore relinqueretur, Maximilianum Archiducem Austriae, Fernandi fratris filium adolescentem, Philippi aequalem, cui filiam Mariam desponderat, in Hispaniam proficisci jubet, ut Regni administrationem a discedente Philippo traditam cum Maria uxore obiret.

III. De classis in terram Hispaniam appulsu et Maximiliani adventu cum Philippus cognovisset, praemisso Petro Corduba, Comitis Cabrensis filio, qui suis verbis Maximilianum salutaret, Petrum Fernandum Velascum Castellae Comestabilem ad se vocat, magnae virum auctoritatis, opulentumque et publicae dignitatis studiosum, eique negotium dat, ut cum se digno comitatu ad Castellae Aragoniaeque confinium obviam Maximiliano procederet; quo ille negotio libenter suscepto, se suosque, et, quae usui forent, magnifice comparabat. Maximilianus autem, qui Genuam per equos dispositos cum paucis venerat, dum inde in Hispaniam navigaret, in quartanam inciderat, Barcinonemque devectus multos ibi dies valetudinis causa, et ad montis *Serrati* coenobium consumsit. Assectabatur autem Maximilianum Christophorus Madruccius, Cardinalis Tridentinus idcirco cognominatus, quod erat

ejus civitatis Episcopus.

IV. Ex monte Serrato Maximilianus parvis itineribus Valdolitum, ubi Philippus sororesque commorabantur, contendit, quod iter ut commodius expeditiusque faceret, vitata turba, qua aestum et pulverem in magnis et diuturnis siccitatibus augeri necesse erat, Comestabilis longius prodeundi consilium mutavit; sed Valdolito appropinquanti, obviam cum magno procerum nobilissimorumque virorum, propinquorum, amicorum, clientumque comitatu procedit. Quorum fuere Ludovicus Roxas Dianii, et Joannes Tovarus Berlangae Marchiones; item Joannes Velascus Siruelae, Jacobus Gomezius Sarmentus Ribadaviae, Athanasius Ajala Salvaterrae, Petrus Velez Guevara Ognati, Comites. His igitur principibus viris et multis praeterea nobilibus stipatus Comestabilis Valdolito digreditur, praeterea Philippi cohorte assectante, ita ut comitatus quingentorum equitum numerum excederet, sequentibus ordine longissimo mulis trecentis amplius, qui non solum numero, sed ornatu etiam spectandi cibaria deportabant ad proceres cum suis familiis, ceteramque turbam, itemque Maximilianum ejusque comitatum alendum, ut aluit splendide diebus quinque, dum Maximilianus Valdolitum perveniret.

V. Duodecim passuum millibus confectis, Comestabilis ad Tutelam, castellum in Durii ripa, consedit. Postridie Olivares vicum totidem passuum millia processit; unde insequenti die profecto, cum prope adesse Maximilianus nuntiaretur, rationem sibi ineundam putavit, ut congressus in via vitaretur;

ne

ne ad pedes ipse ceterique proceres Maximilianum salutandi gratia descendere cogerentur, qua caerimonia optimates Hispani in suos tantum Reges Regumque uxores et liberos uti consuevissent; aut ex equis salutantes arroganter facere viderentur. Itaque Maximiliano, ut ad Quemadam diverteret, seque ibidem exspectaret, nuntiatum mittit; nam se itinerisque socios ipsius valetudini parcere, ne, si in via congrederentur, pulvere et aestu molestiam itineris augerent. Est autem Quemada praetorium juxta viam passuum millium duorum ab Olivaribus intervallo, quod, quia capacius et commodius erat, quam ulla intra vicum domus, idcirco ibi hospitium Maximiliano magnifice a Comestabili paratum erat, et laute rebus omnibus instructum, multis circa tentoriis, quae speciem castrorum praebebant, erectis.

VI. Huc Maximilianus cum deflexisset, paulo post Comestabilis affuit; ipseque et ceteri proceres Maximilianum venerabundi salutaverunt, vicissimque ab eo comiter et humane sunt excepti. Nocte sequenti Philippus ipse, officii et salutandi gratia, per equos dispositos cum paucis summatibus affuit. Hi autem fuere Fernandus Alvarus Toletus Dux Albanus et Caroli Caesaris familiae praefectus, itemque Manricus Lara Najarensis, Fernandus Gonzalus Corduba Suesanus, Beltranus Cueva Alburquerquensis, Jacobus Lupus Pachecus Scalonensis, Duces; Antonius Pimentelus Benaventanus Comes, Petrus Alvarus Osorius Astoricensis, Ludovicus Mendoza Mondejarensis, Petrus Avila Navensis, Marchiones; eademque nocte Philippus parumper moratus

coe-

coenatusque Valdolitum revertit.

VII. Quinto die, quam fuerat Comestabilis digressus, Valdolito accedenti Maximiliano, extra portam, quae *Campi* cognominatur, Philippus cum magno nobilitatis comitatu obviam processit, in Regiamque deduxit; ubi eadem nocte, apparatu solemni Regioque rebus omnibus comparatis, summa cum caerimonia magnaque procerum frequentia atque omnium ordinum gratulatione sponsalia per Cardinalem Tridentinum renovata sunt, quae prius ad Aranxuezium, praetorium ad ripam Tagi, Nuntio, cui Maximilianus de Mariae matrimonio mandaverat, astipulante, per Joannem Siliceum Archiepiscopum Toletanum facta, et a Gonzalo Perezio scriba Imperatorio in scripturam publicam redacta fuerant; et postridie mane eodem Cardinale administro facta res divina, et nuptiae celebratae: hoc laetioribus animis, quod optatissima pluvia et multos menses desiderata, quo die Maximilianus Valdolitum ingressus est, mortalium animos exhilaraverat: nam eo biennio maximae et inusitatae siccitates per omnem Hispaniam fuerant consecutae.

VIII. Paucis diebus interjectis, Philippus Regni procurationem imperandique summam Maximiliano Mariaeque sorori coram Regio Castellae Consilio tradit; rebusque ceteris ex litteris et mandatis Caroli constitutis, ad naves, quae ad Rhodopes portum convenerant, proficisci parat. Cetera igitur familia justis itineribus ad naves contendere jussa, ipse per equos dispositos cum parvo principum virorum comitatu iter accelerat. Horum fuere Cardinalis Tridentinus, Joannes Pogius, qui fue-

fuerat Nuntius Apostolicus, Dux Albanus, Dux Suesanus, Gomezius Figueroa cohortis praetoriae praefectus, Rodericus Gomezius Silva, Joannes Benavides. Ad montis Serrati sacrosanctum coenobium cum pervenisset Philippus, Deum egregia pietate, ut coepta secundaret, veneratus est, et sacramentum Confessionis Poenitentiaeque patravit, ceteris fere ejus exemplum libenter aemulantibus. Hic obvium habuit Franciscum Avalum Piscariae Marchionem, Alfonsi Avali Vasti Marchionis filium, qui cum decem comitibus suis familiaribus per equos dispositos Philippum salutandi gratia eodem percurrit.

IX. Barcinoni appropinquanti Philippo Joannes Fernandus Manricus, qui pro Rege Cataloniam procurabat, et Bernardinus Mendoza Hispanarum triremium praefectus cum magno nobilium virorum equitatu longius, deinde non procul ab urbe Consules et reliqua civitas solemni, sed consueta caerimonia obviam processerunt. Divertit autem ad aedes Stephaniae viduae, quae Joannis Zugnigae Philippi ejusdem nutricii uxor fuerat, gloria et decus foeminarum, et tali marito omnis generis virtute praestanti convenientissima. Tribus diebus ad Barcinonem Philippus moratus est, simul ut a pluviarum et lutosi itineris molestiis et labore corpus reficeret, simul ut spatium ad naves perveniendi daretur iis, qui longiore intervallo subsequebantur. Hinc profectus, justis itineribus pedibusque Gerundam urbem antiquam venit, quae civitas majori apparatu et pompa, et magna cum gratulatione ipsum accepit multis jam nobilibus stipatum et magno equitatu. Hanc enim ur-

urbem primum Philippus Regio more, duobus lictoribus cum sceptris antecedentibus, et totidem caduceatoribus ex more armatis subsequentibus intravit; Antonius quoque Toletus strictum ensem dextra ostentans Philippum anteibat. Hinc Castellionem progreditur, quod oppidum quatuor a Rhodope passuum millibus abest.

X. Postridie Philippus pransus Rhodopem processit, castellum vetustissimum in finibus Emporiensium veterum, Massiliensium, vel, ut aliis placet, Rhodiorum opus, cum portu multarum navium capace et commodissimo, cujus aditum Carolus Quintus Romanorum Imperator Hispaniaeque Rex arce firmissima, quam *Trinitatis* cognominavit, multis et magnis tormentis instructa muniverat. Huc enim classis magna omnis generis navium ad Philippum ejusque comitatum et militare trium signorum praesidium et Regium procerumque instrumentum et equos transportandum convenerat: vectoriarum enim onerariarumque navium magnus numerus fuerat compulsus; longae, quinquaginta octo; quarum erant praefecti, Hispanarum, quae quindecim numero erant, Bernardinus Mendoza; Sicularum, quae decem, Berenguellus Requesensius; Neapolitanarum septem, Garcias Toletus, a quibus Antonius Doria cum sex suis non discedebat; reliquas viginti suas ducebat Andreas ipse Doria, qui toti classi cum summa potestate praeerat. Is ad portum accedenti Philippo paululum in terram procedit obviam; et post suppliciter dictam perhumaniterque redditam salutem in scapha regaliter instructa exceptum, ad praetoriam quinqueremem deducit, navibus interim tormentorum primum hor-

horribili fragore et bombis, deinde tubarum tibiarumque dulcissimo cantu publicam laetitiam et gratulationem declarantibus.

XI. Philippus, classe libenter oculis lustrata, et diligenter considerata, Castellionem eodem die revertit, ut interjecto paucorum dierum spatio, qui subsequebantur, Rhodopem ad classem pervenirent. Sed eae tempestates consecutae sunt, ut necessario dies duodecim profectionem differret, dum paulo commodior tempestas ad navigandum exspectatur: quo tempore omnes, qui subsequebantur, Rhodopem Castellionemque pervenerunt, maxima scilicet nobilium illustriumque familiarum virorum multitudo, quos omnes nominatim recensere longum esset fortasse et nimis argutae sedulitatis: itaque satis erit eos, qui principalibus titulis anteibant, nominare. Aderant igitur ex nostris Fernandus Alvarus Toletus, et Gonzalus Fernandus Corduba, Albanus, et Suessanus Duces; Ludovicus Henricus, Almirantus Castellae; Petrus Alvarus Osorius Astoricensis, Petrus Avila Navensis, Ludovicus Peralta Falcensis, Marchiones; Petrus Guzmanus Olivarensis, Ludovicus Silva Centifontanus, Claudius Quignonius Lunensis, Ludovicus Manricus Castagnedae, Alvarus Portugallus Elvensis, Comites. Praeterea ex Ecclesiasticis, Petrus Castrus Salmanticensis Episcopus, Ludovicus Avila, et Ludovicus Requesensius Zugniga, Religiosorum equitum Alcantarae, et Castellae praefecti.

XII. Navibus distributis, praesidioque militari et equitatu ac rebus ceteris impositis, Kalendis Novembris, cum jam tempestas commodior successisse videretur,

tur, Philippus, ut omnes intelligerent instare profectionem, praetoriam quinqueremem conscendit, in quam ejusdem Philippi voluntate recepti sunt Dux Albanus, Ludovicus Avila, et Zugniga, Antonius Toletus, Antonius Roxas, Rodericus Gomezius Silva, Ludovicus Mendez Farius ex intimis familiaribus, Gomezius Figueroa cohortis praetoriae praefectus, Gonzalus Perezius a secretioribus epistolis et libellis scriba, et Joannes Morenus medicus primarius, et alii quotidianorum usuum administri; eodemque modo proceres in sibi attributas naves propinquos et amicos recipiebant. Postridie mane Andreas Doria, sublatis Regiae quinqueremis anchoris, datoque profectionis signo, discedit, ceteris longis navibus longo ordine sequentibus. Nam vectoriae et onerariae tres amplius aut quatuor dies, ut se in altum darent, commodiorem tempestatem exspectarunt.

XIII. Philippus igitur, Andreasque littora legens, nam tempestati non satis fidebant, tertio die portum Veneris intravit. Hic paulisper morata classis, cum triginta circiter passuum millibus in altum processisset, vento mutato, in eumdem Veneris portum sese recipere coacta est. Cujus morae occasione invitatus Philippus Perpinianum oppidum munitissimum, et bellis Gallicis nobilitatum, quod non procul inde abest, processit, libenterque consideravit. Postridie per Elnam ad naves revertit, quod oppidum cum magna oppidanorum gratulatione dum praeteriret, non mediocre periculum adit latere coctili, sive casu sive tormentorum concussu ex alta turri decedente, quo pedissequus ei proximus percussus fuit.

XIV.

XIV. Ex eo portu Philippus litteras ad Carolum patrem dederat, quibus eum de sua profectione et coepta navigatione certiorem faceret, ut paulo ante ad Maximilianum et sororem fecerat. Cum dies aliquot ibi commodiorem tempestatem frustra exspectasset, et iterum ex via fuisset rejectus, statuit in tanta rerum iniquitate dubiae fortunae sese committere, et littora legendo, quacumque ratione daretur, procedere. Aegre igitur remis contra ventos tempestatemque nitendo, ad stationem ventum fuit, quae est ad Fossam Marianam; ubi cum dies aliquot tempestatibus detineretur, rei frumentariae commeatibusque metuens (quamquam Galli cibaria communi pretio, siquis nostrum inde peteret, non denegabant) Genuam ad Gomezium Xuarem Figueroam Caroli Caesaris ad Genuenses legatum scribit, jusso tabellario terrestre iter accelerare, ut navem biscocto pane et reliquo commeatu onustam sibi primo quoque tempore mitteret obviam.

XV. Sedata tempestate, classis ad insulas, quae sunt ante Massiliam, progreditur. Hic quoque, ut fecerant ad Fossam Marianam, Gallis Henrici Regis voluntate liberaliter pollicentibus, et commeatus deferentibus, quorum internuntios et officia Philippus liberaliter remuneravit, ad Stoechadas insulas progressus, parumper ibi tempestatis causa commoratus est. Hic navis commeatibus onusta, de qua Philippum Genuam scripsisse supra diximus, satis opportune occurrit, cum jam classis inopia rei frumentariae tentaretur. Jam Leron Lerinamque parvas insulas transmiserat, laetisque omnibus classis e regione Niceae ferebatur, cum magna gratulatio

tormentorum bombis fieri coepta est, quae ex omnibus arcibus et maritimis castellis ad Genuam usque continuata fuit. Villamfrancam praetereunte classe (nam portum capere, ut erat constitutum, commodior tempestas, ne occasio navigandi intermitteretur, dehortata est) a Carolo Sabaudiae Duce amplissimum et gratissimum cibariorum munus in scaphis submissum est, phasianorum scilicet, perdicum, pavonum, gallinarum, venationis, ceterarumque carnium, et vinorum optimorum magna copia.

XVI. Vix Monachum erat praetergressa classis, cum ventus commutatur: itaque magno remigantium labore Savonam ventum est, cujus portum et urbem cum magna oppidanorum gratulatione Philippus intravit, biduoque moratus est. Huc octo primarii cives Genuenses legati a civitate missi venerunt, qui Philippo liberaliter pollicerentur. Affuerunt etiam officii gratia Franciscus Mendoza Cardinalis Ecclesiae Romanae et idem Episcopus Cauriensis, Fernandus Gonzaga Molfetae Princeps et Ariani Dux, qui Principatum Mediolanensem Caroli voluntate procurabat, praeterea Ludovicus Leiva Antonii filius Asculensis Princeps, et Franciscus Estensis Herculis Ducis Ferrariensis frater germanus, triremi advecti, quae metatores cum Michaële Velasco praefecto ad Rhodopem, antequam eo Philippus perveniret, sustulerat, qui quamquam properare jussi fuerant, tamen tempestatibus fuerant exclusi, ne ante id triduum Genuam pervenirent.

XVII. Ex Savona digressa classis, tranquillo mari dieque sereno, Genuensem oram citreis, oleis ceterisque

que frugiferis arboribus amoenissimam, laetis cunctorum animis legebat, cum triremis una ex Neapolitanis, qua cum Astoricensis Marchionis instrumento filius Alfonsus Osorius et Ludovicus Cerda et alii viri nobiles vehebantur, circa farum Genuae, quae vulgo *Lanterna* dicitur, casu nec opinato fracta est, cum in saxum aquis delitescens incidisset, quo in naufragio ex mortalibus quidem diligentia sociarum et proximarum triremium nemo perivit; ex instrumento rebusque Marchionis multa desiderata, quae partim in ea rerum perturbatione furto sublata sunt, partim aquis demersa vel corrupta et inutilia facta; triremis tamen ipsa, ut erat afflicta, reficiendi gratia remulco in portum Genuensem, qui prope aderat, deducta est.

XVIII. Genuensem portum eodem die, qui fuit septimus Kalendas Decembris, intrante classe, ex omnibus urbis propugnaculis editioribusque locis, quae tormentis erant communita, magna gratulatio salutatioque fieri coepta est, quam Regiae classis naves longae gravioribus tormentis primum, deinde trium signorum praesidiarii milites, qui eisdem vehebantur, scloppetis exceperunt. Divertit autem Philippus in praetorium suburbanum Andreae Doriae, quod erat plane regaliter adornatum, ubi magna et solemni cum caerimonia a Duce, qui supremus est, ceterisque magistratibus, itemque a Cardinalibus Genuensibus Doria et Cibo exceptus est.

XIX. Convenerant Genuam principum rerumque publicarum frequentes legati ad Philippum officii et salutandi gratia, cum de adventu ejus in Italiam nuntiatum esset, missi. Paulus Pontifex Materensem Archiepiscopum

pum Nuntii nomine legavit. Fernandus Romanorum Rex Lodromi Comitem legatum cum sex optimorum equorum Turcicorum munere misit. Senatus populusque Venetus legatos duos viros primarios; Cosmus Medices Dux Florentiae Franciscum filium stirpis maximum, et duos item legatos, alterum suo, alterum civitatis nomine, simulque munus amplissimum misit. Duces quoque Sabaudiae, Ferrariae, Mantuae, Parmaeque, et quidam Cardinales, Senenses praeterea, et Lucenses liberae civitates suos legatos miserunt. Civitas quoque Neapolitana tapetem muneri misit assuto serico raso rubri coloris, simulque pulvinum magni pretii ex serico pexo, item rubro, multis gemmis, adamantibus, smaragdis, et carbunculis exornatum atque distinctum, in quo medio Philippi insignia magno artificio intertexta erant, et item civitatis insigne. Messana urbs primaria Siciliae cum legato scutatorum nummorum tredecim millia misit; vicissimque Philippus ipse ad Paulum Pontificem Jacobum Azevedum; ad Senatum Venetum Joannem Nuzam virum nobilem ex suis familiaribus officii salutandique gratia legatos misit.

XX. Genuam quoque convenerant ex Belgicis praesidiis Hispanorum, qui equis et *Archibusis* militabant, duae centuriae cum praefectis Fernando Aguila et Alfonso Varga, qui custodiae causa Philippum assectarentur; quibus omnibus, et ceteris praetoriae cohortis peditibus tum Hispanis, tum et Germanis, itemque pedissequis et ambactis singula vestimenta ex versicolore serico pexo data sunt. Jam dies aliquot processerant, quos Philippus ad praetorium audiendis legationibus con-

consumebat, cum intra urbem tumultuari coeptum est, passim oppidanis tabernas claudentibus, et ad arma concurrentibus. Hispani enim, qui ad urbem aderant, causam tumultus ignorantes, partim ad aulam, partim ad naves, ut, quid a Philippo praefectisque juberetur, exspectarent, sese recipiebant. Nam praesidiarii trium signorum milites, quos classe advectos fuisse demonstravimus, extra urbem in proxima castella, qua erat iter futurum, deducti fuerant. Sed ut ex levi et incerta causa tumultus temere fuerat exortus, sic facile auctoritate potissimum Andreae Doriae sine certamine sedatus est, et ad curam perficiendorum arcuum exornandarumque viarum reversum. Genuenses enim, quod initio exclusi brevitate temporis praestare nequiverant, ut Philippum intra suam urbem magno regioque apparatu reciperent, id spatio dato dum ad praetorium Andreae Doriae commoratur, ut praestare possent, conabantur, arcubus erigendis, et imaginibus ingeniosisque inscriptionibus adornandis.

XXI. Quibus rebus comparatis, Philippus, quo die Conceptio Virginis Matris celebratur, urbem intrare et faciendae rei divinae ad aedem Laurentii sacrarum maximam interesse constituit. Cum magno igitur Cardinalium, Episcoporum, principumque virorum et procerum comitatu, multorum item militum praetorianorum, ut armis, sic ornatu serico versicolore conspiciendorum praesidio dextra laevaque stipatus, per vias et plateas pulcris tapetibus et pretiosis aulaeis ac vestibus ornatas laetus, perque arcus triumphalibus similes, multis aenigmaticis imaginibus, doctis et ingeniosis inscriptionibus

et

et versibus decoratos, procedebat. Sed pulcherrimum multarum rerum spectaculum non parum augebat pulcritudo et ornatus foeminarum, quae exspectandi causa ex fenestris eminebant. Constat enim Genuenses mulieres forma et corporis proceritate, sine qua proceritate pulcritudo non consistit, ceteris omnibus Italicis foeminis anteire. Ad aedem Laurentii ubi ventum est, Philippus tum ab Andrea Doria cum Duce summisque magistratibus, qui personam sustinent totius civitatis, tum a Clero solemni pompa et caerimonia exceptus est, et res divina Pontificio ritu patrata, Philippi cantoribus suavissime cum populi admiratione concinentibus; nihil tamen aeque demirabantur, ac Antonii caeci nati organis canendi suavitatem et artificium.

XXII. Re divina patrata, Philippus in praetorium aulamque, qua pompa venerat, revertit; proximoque biduo, dum profectio comparatur, Peretram Principis Doriae uxorem, item Marci Centurionis uxorem, Joannetinique Doriae viduam honoris causa invisit, et gemmis magni pretii donavit; sed maxime Peretram. Quindecim dies ad Genuam moratus est Philippus, et apud Andream Doriam diversatus, totoque eo tempore Andreas idem Philippum totamque familiam et Ducem Albanum, qui simul in idem praetorium, quod totum erat regaliter adornatum, divertit, regio apparatu et splendidissime aluit, nihil omnino cibariorum extrinsecus ab hospitibus importari passus.

XXIII. Discedenti Philippo Dux Genuensis summique magistratus rursus officii gratia praesto fuerunt, rursusque civitatis voluntatem et omnia officia liberalissime pol-

pollicentes detulerunt ; dictaque ab his et Doria redditaque salute , Philippus , qui se ad omnia perhumanum affabilemque praebebat , digreditur , die ventis et nivibus asperrimo ; ratio enim suscepti itineris longiores moras non patiebatur. Per viam igitur sponte sua difficillimam et arduam , ut sunt pleraque omnia in montibus Ligusticis , tanto labore et periculo praecipitandi agmen ferebatur , ut Philippus ipse et Cardinalis Tridentinus ceterique viri principes ad pedes descendere , et partem itineris suis pedibus facere cogerentur . Per Burgum igitur et Gabim Genuensium finium castella , ubi civitatis diligentia et liberalitate de re frumentaria reliquoque commeatu provisum erat , *Alexandriam* venit , quae *Pallae* cognominatur , in finibus Mediolanensis Principatus .

XXIV. Alexandriam accedenti Philippo non modo civitas solemni pompa cum praefecto Gonzalo Roderico Salamanca obviam progressa est , sed etiam equites cataphracti quadringenti ex praesidiis Mediolanensibus ; qui , adjunctis equitibus *Archibusariis* , de quibus supra demonstravimus , omnes sericis vestibus insignes Philippum per Tortonam et Papiam , quae urbs Ticinum quoque a praeterfluente fluvio nominatur , Mediolanum deduxerunt , exceptum ubique cum magna popularium gratulatione . Ceterum ad Tortonam Joannes Marchio Bergensis affuit , a Reginis amitis ad Philippum salutandi et officii gratia ex Bruxellis missus . Ad Papiam Philippus non solum aspectu urbis delectatus est , antiquae et studiis litterarum inclytae et magnis bellis praeliisque nobilitatae ; sed urbem egressus , septum muro lo-

locum, qui *Parcus* dicitur, libenter vidit, ubi Gallorum Rex Franciscus, fuso maximo exercitu, victus est, et cum eo multi Galli principes et proceres, a ducibus et copiis Caroli Caesaris Philippi patris praelio memorabili captus, quin etiam locus ipse monstratus ei est, ubi Rex in fuga captus fuerat ab equitibus Hispanis. Certosam quoque invisere placuit, nobilissimum Italiae Cartusianorum coenobium, ad quod Rex initio consederat; ibique Deum veneratus Binascum passuum millia a Mediolano decem processit.

XXV. Jam Mediolani cuncta erant ad Philippum recipiendum paratissima cura et diligentia Fernandi Gonzagae potissimum, qui hujus rei causa ex Genua ante Philippum discesserat. Erant multi arcus et imagines columnaeque erectae, cuncta inscriptionibus et versibus ornantibus; vias ac fenestras tapetes et conchyliata peristromata decorabant. Aditus in urbem faberrime et commodissime ita fabricatus, ut non per portam moenibus subjectam, sed per pontem et viam supra murum stratam Philippus intraret. Ad duodecimum igitur Kalend. Januarii Mediolanum appropinquanti Philippo Carolus Sabaudiae Dux, qui hujus rei causa Mediolanum venerat, longius occurrit, deinde Senatus Mediolanensis cum procuratore Gonzaga; cui cum occurrissent, dicta redditaque salute sic agmen compositum fuit.

XXVI. Philippi latera, Cardinalis Tridentinus dextrum, sinistrum Dux Sabaudiae claudebant; ante Philippum Fernandus Gonzaga, deinde Hispani proceres incedebant, cumque his Franciscus Estensis Ferrariensis,

sis, et Franciscus Avalus Piscariae Marchio; a tergo Philippi Dux Albanus ibat; post eum Veneti, Florentini, Senenses, ceterique legati; postremum agmen equitum cataphractorum erat, qui signa quinque sequebantur, serici pexi sagis induti, auro etiam ex parte decorante: in primo agmine equites levioris armaturae et equites *Archibusarii* antecedebant; ab utroque latere praetoriani milites, et post eos utrinque eodem ordine centum viginti adolescentes ex Mediolanensi nobilitate cum praefecto Mutio Sfortia ex Ducum Mediolanensium stirpe ferebantur; ante ipsum vero Philippum quatuordecim ex nobilissimis civitatis cum praefecto Andrea Gonzaga Fernandi filio pedissequorum et ambactorum ritu procedebant, omnes pretiosis et pulchris vestibus ornati.

XXVII. Urbem Philippo per pontem supra portam, uti diximus, aedificatum intrante, magna ex arce gratulatio tormentis fieri coepta est; tum per vias regaliter adornatas, sed frequentia hominum, qui undique spectandi causa convenerant, impeditissimas lentissime dum procederetur, publica laetitia multis modis declarabatur. Ad templum maximum ubi ventum, ad pedes descendit Philippus, et Ecclesiastica caerimonia a Clero exceptus est; Deumque veneratus, in aedes, quae in propinquo erant convenienter personae instructae et adornatae, divertit.

XXVIII. Insequenti die Philippus noctu Carolum Sabaudiae Ducem salutatum processit. Postridie natalis Christi ad templum maximum rei divinae interfuit; eodemque die vesperi Fernandi Gonzagae uxorem officii

gratia salutavit. Altero post die mane in arcem cum magna militum gratulatione progreditur, ibique pransus est, a Joanne Luna arcis praefecto acceptus apparatu splendidissimo; unde post prandium simulacrum equestris certaminis libens spectavit, quod in area, quae est ante portam arcis, a viris strenuis et rei militaris peritissimis equis et armis omnique ornatu insignibus scientissime commissum est, turmas ducentibus filiis Fernandi Gonzagae ac Mutio Sfortia, et Franceso Beamonte, aliisque Ducibus nobilissimis; cui spectaculo uxor et filia Fernandi, multaeque pulcherrimae et ornatissimae mulieres interfuerunt. Incidit autem adventus Philippi in tempus, cum Hippolytae Fernandi Gonzagae filiae, quam Fabritio Columnae Ascanii familiae Principis filio stirpis maximo desponderat, sponsalia et nuptiae erant celebrandae, ludisque et epulis exornandae; eodem igitur tempore Fernandus Philippo de adventu modis omnibus, Philippus Fernando de filiae sponsalibus et nuptiis gratulari studebat: itaque perpauci dies sine ludis vel comoediis aut epulis praeteribant.

XXIX. Kalendis quidem Januarii, qui fuit annus
ANN. M.D.XLIX. Christi millesimus quingentesimus quadragesimus nonus, in aedibus Fernandi Gonzagae splendidissimum et modis omnibus lautissimum epulum paratum est, mensis longo ordine, quo plures discumbere possent, dispositis; quia Philippus invitatus, ut nuptialem coenam decoraret, cum venisset, hoc ordine convivae accubuerunt: Philippus in capite mensae uxorem Fernandi Gonzagae a dextro latere, a sinistro Hippolytam filiam proximas habebat: Hippolytam Ascanius sponsus sequeba-

batur : hunc Almirantus Castellae : deinde Suessanus Dux , Astoricensis Marchio , et Marchio Piscariae , et Asculi Princeps. Ex altera parte contra Ascanium Franciscus Gonzaga Dux Mantuanus et idem Monferratensis Marchio , qui Philippum salutandi causa Mediolanum venerat , discumbebat : tum Dux Albanus : deinde ceteri proceres , primoresque viri ex utroque latere sequebantur , inter viros primariis foeminis interjectis. Ut autem erant omnia lautissime splendidissimeque apparata , sic miro ordine et expeditissime a ministris apponebantur. Nam id quoque summa diligentia Fernandi Gonzagae fiebat , qui omnia ipse curabat , nec ullum ad coenam pertinens imperium, ne minimum quidem, negligebat , ut enim accumberet , ne hortante quidem Philippo adduci potuit.

XXX. Ceterum peracta coena Fernandus aliis mensis simili apparatu instructis cum multis viris nobilibus accubitum discessit. Philippus principalisque convivarum caterva in aliud conclave secesserunt , jucundissimaque colloquia et saltationes ad multam noctem produxerunt , et Philippus ipse cum Hippolyta nova nupta, matreque , proceres cum matronis et virginibus principalibus per magnam laetitiam tripudiaverunt.

XXXI. Quarto post die militari pedestri certamine, quod *Torneum* aulica consuetudine nominatur , matrimonium Philippus celebrari voluit ; cui non solum ipse interfuit , sed etiam depugnavit , qui contrariae aciei Duce Suessano praeesse jusso ipse alteram duxit. Ultimum certamen equestre fuit , quod nostri *ludum arundineum* idcirco vocant , quoniam arundines pro telis missi-

silibus sunt; quod certamen in aulae cavaedio commissum est, quo die celebrabatur Epiphania, sex turmas totidem proceribus ductantibus, Almiranto Castellae, Suessano Duce, Marchione Piscariae, Principe Asculi, Comite Lunae, et Franceso Beamontio. Spectantibus autem Philippo ipso, et cum nova nupta et matre magna primarum et pulcherrimarum feminarum caterva, quae curribus triumphalibus cum veherentur, quorum Mediolani magna copia est equis et ornatu insignium, non minus jucundo et mirabili spectaculo equitibus Hispanis fuerunt, quam ipsi spectantibus fuerant in ludrico arundineo, quod ipsa quoque novitate Mediolanensibus fuit jucundissimum.

XXXII. His officiis ad Mediolanum et culto et perhumaniter functo Philippo, qui munera quoque novae nuptae matrique, personis convenientia, miserat, jamque profectionem paranti, Senatus Populusque Mediolanensis viginti duo *Scutatorum* nummorum millia muneri misit, qui nummus aureus ponderis est paulo infra ducatum. Paulo antequam Philippus Mediolano discederet, Alfonsus Aguilarius Petri Cordubae Feriae Comitis frater affuit, ex Bruxellis a Carolo Caesare missus, qui Philippo filio salutem suis verbis diceret, deque sua bona valetudine nuntiaret; qui statim eisdem de rebus litteras laetaque responsa referens ad Carolum eumdem, mutatis ad celeritatem equis, ut venerat, remeavit. Madrucius quoque Cardinalis, non exspectata profectione Philippi, Tridentum magnis itineribus contendit, ut ad Philippum recipiendum essent omnia ejus diligentia tempore comparata.

Ex

XXXIII. Ex Mediolano profectus Philippus Marignanum venit : accedenti Joannes Jacobus Medices, qui Marchionis titulo oppido imperitabat, obviam cum equitatu processit, et, quibus potuit, officiis suam optimam in Philippum voluntatem ac studium declaravit. Hinc per Laudem Pompejam et Cremonam urbes Mediolanensis Principatus, ad quas fuit nihilo secius cum magna gratulatione receptus, Canem venit oppidum in finibus Mantuanis, assectantibus a Mediolano cum cetero comitatu Duce ipso Mantuano et Fernando patruo. Huc obviam Philippo venit Hercules Gonzaga Cardinalis, qui absente Duce fratris filio rerum omnium curam susceperat, praesertim earum, quae ad recipiendum Philippum ejusque comitatum pertinerent; ideoque, Philippo salutato, statim Mantuam revertit, ubi ejus diligentia et cura erant omnia splendidissime et liberalissime comparata.

XXXIV. In medio ferme itinere a Cane profectis Villamagna, temporaria temporisque causa tunc aedificata, occurrit, in qua mensae erant liberaliter copioseque ad prandium omnis praetereuntis multitudinis instructae. Venerat Mantuam Hercules Estensis Ferrariensis Dux cum magno et splendide ornato equitatus et peditatus comitatu, ut Philippum salutaret : itaque venienti cum suis occurrit, et, quamvis dehortante Philippo, ad pedes tamen ipsum salutaturus descendit, comiterque et perhumaniter habitus est ab eo, et conscenso equo in latus receptus. Deinde Philippus a Mantuano Duce in urbem antegresso, cum Cardinale et Fernando patruis, ac civitate obviam progressis, exceptus.

Ubi

XXXV. Ubi ad urbis portam, quae *Perdella* dicitur, ventum est, a quinquaginta adolescentibus primariis albo serico indutis, et octo praeterea ex principibus civitatis, qui velamentum *Pallium* dictum tenebant, sub pallium exceptus; et ab eisdem, qui omnes pedites incedebant, usque ad arcem, quo divertit, deductus est, quem regali pompa incedentem, Hercules Gonzaga Cardinalis, et Dux Ferrariensis, qui latus dextrum Cardinalis, et Mantuanus, qui sinistrum claudebat, deinde ceteri pristino fere ordine sequebantur per vias arcubus, columnis, imaginibus, inscriptionibus, atque versibus in gratiam fere Philippi et Caroli patris excogitatis ornatas, itemque modis omnibus decoratas, non absimili Genuensis et Mediolanensis apparatus ratione. Nam singula referre ineptum fortasse fuerit, praesertim ad alia properantem; illud tamen fuit Mantuanorum proprium, quod primus arcus in urbis aditu Publio Virgilio Maroni dicatus erat, quo alumno Poëtarum Latinorum facile principe Mantua merito gloriatur.

XXXVI. Triduo ad Mantuam commoratus Philippus, eisdem Cardinale Ducibusque Ferrariensi et Mantuano deducentibus, proficiscitur; perque silvas et interjecta nemora feris frequentissima obiter venatus, et apris nonnullis exceptis et interfectis in praetorium venit superbe ac mirabili ratione a Ducibus Mantuanis animi causa aedificatum, ubi epulum erat a Mantuano magnificentissime et regaliter non Philippo solum et proceribus apparatum, sed toti agmini, ita ut mensae fuerint totum diem dapibus instructae, jussis ministris prae-

praetereuntes omnes vocare, et liberaliter accipere. Pransus est autem Philippus separatim, proceribus in altero conclavi longo ordine discumbentibus. Post prandium discedentem Philippum Cardinalis idem duoque Duces ad fines Venetos, qui aberant duo millia, deduxerunt; inde suppliciter dicta, perhumaniterque a Philippo reddita salute, Mantuam reverterunt.

XXXVII. Venetos fines intranti legati Venetorum occurrerunt, deque voluntate Senatus liberaliter polliciti, commeatus detulerunt, muneraque miserunt, et cunctis officiis et gratulationibus ad Villamfrancam, et quacumque intra fines Venetos praeteriret, coluerunt. Villafranca discedente Philippo, quo die Fernandus Gonzaga discesserat, Octavius Farnesius Dux Parmensis cumque eo Sfortia Sanctae Florae Comes, et pauci praeterea equites (venerat enim per equos dispositos) praesto fuit, quem Philippus pro affinitate perhumaniter tractavit. Huic enim Carolus Margaritam notham filiam in matrimonium collocaverat; sed is functus officio suo, postridie domum revertit; Philippus Doltium castellum in agro Veronensi progressus est, trajecto Atesi fluvio per pontem, quem Veneti super naviculas construxerant, et duobus arcubus et variis ornamentis decoraverant. A Doltio Veneti legati muneribus a Philippo donati discesserunt. Hinc quoque equites tum cataphracti, tum levioris armaturae ad Mediolanensia praesidia reverterunt.

XXXVIII. Ex Doltio profectus Philippus, ad vasta prata, quae sunt ante *Borgetum*, quod castellum primum occurrit ex iis, quibus imperat Madrucia familia,

obvium habuit Madrucium Cardinalem, qui Philippo suis in finibus primum occurrere voluit, cumque eo legatos Oënspruchenses primarios ejus conventus administratores, magno stipante equitatu, ita ut ea manus quadringentorum equitum numerum expleret, in quibus erant multi Comites virique principes ex eadem Madrucia domo. Paulo post peditum ad quatuor millium acies conspecta, quorum major pars *Archibusariorum* erat, tum paulo inferius acies altera tota *Archibusariorum*, quae acies, accedente Philippo confligentium intra se pulchram speciem jucundamque dederunt. Ad Halam proxima nocte consedit Philippus, ubi ad ipsum totumque agmen alendum cuncta erant Cardinalis liberalitate paratissima. Hinc Roberam venit, quod oppidum ad Tyrolis Comitatum pertinet, paretque Fernando Romanorum Regi, Philippi patruo, ubi cum singulari gratulatione et laetitia receptus est pro consanguinitate, quae Philippo cum Fernando intercedebat.

XXXIX. Jam Madrucius Cardinalis Tridentum reverterat, ut Othonem Cardinalem Augustanum et Mauricium Ducem Saxonem exciperet, qui per equos dispositos ad salutandum Philippum veniebant, atque Tridento appropinquare nuntiabantur, quo multi praeterea viri principes ex Tyrolensibus finibus, officii gratia missi, convenerant. Est enim Tridentum non magna quidem urbs Atesi fluvio apposita, sed gemina; cujus dimidium Episcopo paret, et loquitur Italice; dimidium alterum Archiduci Austriae; ejusque gentis utitur lingua. Tridentum accedenti Philippo magna equitum multitudo hoc ordine prodivit obviam: Madrucii Car-

di-

dinalis familia insigni ornatu antecedebat: hanc multi ex Tyrolis Comitatu Comites principesque viri sequebantur: post eos Nicolaus Madrucius Cardinalis frater, ex primis Caroli Caesaris ad exercitum praefectis (*Coronellum* militaris consuetudo vocat) et Guilielmus Augustani Cardinalis frater et Joannes Gaudentius Madrucii Cardinalis pater; multi praeterea ejus notae viri principes: tum Cardinalis Augustanus et Mauricius, uterque ex Imperatoriis Delectoribus: post eos Madrucius Cardinalis et Cardinalis Pachecus Giennensis Episcopus: deinde Antistites ceteri, qui ad Concilium Tridentinum convenerant: postremi Senatores primique civitatis incedebant.

XL. Agminibus in itinere congressis, Cardinalis Augustanus Mauriciusque Philippum supplices Germanica caerimonia dextram dextris contingendo ex jumentis salutaverunt; quos Philippus perhumaniter affatus ad latera recepit. Sic urbem per portam, quae *Sanctae Crucis* cognominatur, intravit cum magna Ordinum gratulatione, perque vias et plateas arcubus, columnis, colossis, pyramidibus, et variis imaginibus et inscriptionibus exornatas, et modis omnibus decoratas, deductus est primum ad templum maximum, quo pedibus intravit, supplexque Deum veneratus est, deinde in arcem, ubi diversatus fuit. Neque vero solum eo die ingens gratulatio facta est, sed etiam insequentibus. Nono enim Philippus Tridentum intravit, et quarto Kalendarum Februarii discessit; quo temporis spatio civitas, sed maxime Madrucius Cardinalis nihil sibi ad summam diligentiam et liberalitatem reliqui fecit, ut Philippi ad-

adventum tormentis, tubis, tibiisque, et ignibus, qui mirabili artificio tonitrua et fulgetra imitabantur, arcis oppugnationis et praeliorum simulacris edendis, praeterea epulis et officiis omnibus celebraret.

XLI. Tridento profectus Philippus Bolzanum venit, quod oppidum Tridento profectis primum occurrit in finibus Tyrolensibus. Hic omnis civitatis, id est, Comitatus nomine, magni ponderis argenteus nummus Philippo muneri datus est, sic ut aegre mulus, qui portabat, oneri sufficeret; ex altera parte imagine Philippi, ex altera tum ejusdem, tum civitatis insignibus impressis. Hinc per Tyrolenses fines Oenspruchum venit, qui Conventus est Tyrolis Comitatus, ubi Philippus sorores patrueles libentissime vidit, ab eisdemque laetissimis amantissime et fraterna indulgentia tractatus est. Huc Albertus Dux Bavariae gener Fernandi Romanorum Regis venit, ut Philippum salutaret, eumque per suos fines deduceret. Affuit etiam Ernestus Salseburgensis Archiepiscopus, hujus Alberti patruus.

XLII. Ex Oensprucho Philippus Rotembergam ad ripam Oeni fluminis cum processisset, naviculam, quae ornatu regali parata erat, conscendit, cumque eo Augustanus et Tridentinus Cardinales, eodemque modo ceteri viri principes paratas naviculas conscenderunt, Oenoque secundo biduum navigarunt. Peracta navigatione, in coenobium Abbatiam ad Eberspergam divertit, quo ceterum agmen pedestri via ex vicis, villisque, ubi ad Oenspruchum consederat, convenit. Hinc Municham processit, oppidum pulcherrimum et opulentum, sedem Bavariae Ducum; quo accedenti Guilielmus

Dux,

Dux, Alberti, quem modo nominavi, pater cum magno suorum equitatu obviam prodivit, et, Germanica caerimonia dextra dextram contingens, supplex salutavit, et in palatium cum magna civitatis gratulatione deduxit, ubi epulum erat lautissime apparatum.

XLIII. Ad conclave, ubi coenandum erat, venienti Philippo Jacoba Badema Guilielmi uxor cum Anna nuru et Mathilde filia et virginali comitatu prodivit obviam; dictaque et reddita humanissime et amantissime salute parumper interprete Madrucio Cardinali colloquuntur. Tum Philippus Annam sororem patruelem, inusitata pulchritudine feminam, manu prehendit, accubitumque procedit. Accumbendi autem hic ordo fuit: capite mensae vacuo relicto, Philippus ad latus dextrum accubuit; tum Jacoba Badema, Anna nurus Mathildis filia; deinde Dux ipse Bavariae Guilielmus Albertusque filius: ex altero latere Augustanus et Tridentinus Cardinales, deinde Mauricius, Dux Albanus, et ceteri proceres. Coenam tripudium secutum est, quo Philippus cum Anna et Mathilde saltavit. Dies posterus venatione et epulo ad proximum nemus consumtus est; ceterique dies cum magna omnium laetitia ad oppidum traducti, ubique Guilielmo magnificentissime omnia suggerente. Discessurus Philippus Jacobam, Annam, et Mathildem magni pretii muneribus gemmisque donavit.

XLIV. Ex Municha Philippus Augustam Vindelicorum venit, urbem opulentam et munitissimam, unam ex Germaniae primariis, quae Metropoles nominantur, ubi ad Antonii Fucaris magnificas aedes divertit, ut Carolus Caesar pater solebat. Die, qui Mathiae festus age-

agebatur, rei divinae ad templum maximum interfuit, unde in aedes Augustani Cardinalis prandii causa transivit, quod ab illo erat regaliter apparatum; ei prandio Tridentinus quoque Cardinalis et Mauricius et multi praeterea viri principes interfuerunt. Ad Augustam triduo moratus est Philippus, quo tempore consiliis communicatis placuit, ut deinde Hispani *Archibusarii*, qui Philippum ex Genua secuti fuerant, in aula ad corporis ejus custodiam noctibus excubarent. Jam discessuro Philippo civitas, quae commeatu liberaliter juverat, argentea duo pocula cum operculis inaurata, inque his mille nummos aureos, *Florenos* appellatos, misit. Clerus quoque Philippum nescio quo munere donavit.

XLV. Augusta discedentem Philippum Cardinalis Augustanus et Mauricius iter unius diei prosecuti sunt. Postridie mane, Philippo suppliciter salutato, ab eoque perhumaniter reddita salute, laeti domum reverterunt. Non procul ab Ulma Jacobus Arze militum tribunus Philippo cum duabus equitum levioris armaturae turmis ex praesidiis Vittembergensibus occurrit, ut ipsum ad Spiram usque deduceret. Hic quoque Philippus, ut ubique, cum gratulatione exceptus est, edito etiam in Danubio, cui apposita Ulma est, jucundissimo navalis certaminis spectaculo. Danubius enim Europae fluviorum maximus non longe a fonte Ulmam alluit, ortus scilicet, ut juniores edisserunt, in *Silva nigra* supra Ulmam, spatio, quod sit expedito iter unius diei, interjecto: nam veteres in Germaniae jugis montis Arnobae, ex adverso Aurici Galliae oppidi, tradiderunt; qui per Bavariam, Austriam, Hungariam, id est, per superiorem

in-

inferioremque Pannoniam et Mysiam utramque innumerasque gentes delapsus, acceptis fluminibus sexaginta, quorum triginta fere sunt navigabiles, sex vastis capitibus in Pontum Euxinum mutato nomine influit: nam unde primum Illyricum alluit, Ister nominatur.

XLVI. Ab Ulmensibus Philippus simili Augustanorum parique munere donatus est. Kalendis Martii Philippus Ulma discessit, primis civitatis ad extremos suos fines, nequa in parte officio deesse videretur, deducentibus; quo in itinere octo legati praesto fuerunt, ab Ulderico Vittembergensi Duce missi, ut ejus voluntatem Philippo deferrent, et omnia officia liberaliter pollicerentur. Silingham urbem Imperatoriam progressus, non solum commeatu, sed poculo iis, quae supra diximus, simili cum nummis muneratus est. Hinc digresso Philippo Magister equitum Teutonum Religiosae militiae cum magno equitatu praesto fuit, eumque Spiram usque prosecutus. Heidelberga oppidum est ad Hicii fluminis ripam, Comitum Palatinorum sedes, cui tunc temporis Federicus imperitabat, Comes Palatinus ex eorum numero, quorum suffragio Imperator deligitur. Is Dorotheam in matrimonio habebat Christierni Daniae Regis et Isabellae filiam, Caroli Caesaris sororis. Federicus igitur accedenti Philippo, cum magno nobilium et domesticorum equitatu libenter pro necessitudine et affinitate obviam processit, in oppidumque et arcem recepit, ubi Dorothea quoque conclave intranti prodivit obviam, et uterque maritus et uxor Philippum officiis omnibus coluerunt, et apparatu regio cum Cardinale Tridentino, qui colloquiorum erat interpres,

et

et ceteris summatibus accepit, edendisque ludicris militaribus certaminibus oblectavit.

XLVII. Spiram urbem primariam, quam *Nemetum* veteres appellabant, intraturis prius est Rhenus amnis trajiciendus, urbem brevi spatio relicto praeterfluens: Oritur autem, auctore Caesare in *Commentariis*, ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, et longo spatio per fines Mantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Triboterum, Trevirorum citatus fertur, et ubi Oceano appropinquavit, in plures influit partes, multis ingentibusque insulis effectis. Constat autem vetere Romanorum Graecorumque ratione, Galliam Belgicam a Germania Rheno flumine disterminari, ut intelligatur Spira in parte esse Galliae Belgicae vetusta ratione, quae hoc tempore Germanicis urbibus annumeratur, *Camera Imperatoria* dicta, et est sedes Imperatorii Consilii. Nunc enim illarum gentium consuetudine Germania longe latius patet. Nam olim Germania, ut Claudius Ptolemaeus docet, ab Occasu Rheno fluvio, a Septentrionibus Oceano Germanico, a Meridie parte occidua et capite Danubii terminabatur, ab ortu autem spatio, quod a flexu Danubii ad Carpem, qui maxime Borealis est, ad impendentes Sarmatiae montes pertinet, finiebatur. Nunc autem Germaniam video a quibusdam Germanis in complures provincias divisam esse tradi, Franconiam, Bavariam, Sueviam, Rheni tractum, et Burgundiam. His addunt inferiorem Germaniam, quam Gallia Belgica contineri volunt, Westphaliam, et Austriam, quae vetere vocabulo superior Pannonia dicebatur.

Cum

XLVIII. Cum Rhenum Philippus altissimum et rapidissimum flumen per pontem super magnas cymbas aedificatum trajecisset; Philippus Crojus Arescoti Dux praesto ei fuit cum mille cataphractis equitibus et mediocri numero levioris armaturae, a Carolo Caesare missus, ut filium ab Spira cum eo praesidio Bruxellas usque deduceret. Postridie quam Philippus Spiram intravit, ad templum maximum rei divinae interfuit, quam Philippus Episcopus Pontificio ritu patravit, vir grandis natu ex Maximiliani Imperatoris familiaribus. Hoc templum, quod per se augustum est et magnificum, sacello maxime decoratur, quod Imperatorium idcirco dicitur, quod in eo Imperatores octo cum uxoribus conditi sunt, quorum primus numeratur Conradus ejus nominis Secundus, ultimus Albertus Adolfi filius; quamquam hi Principes sepulcrorum inscriptionibus non Imperatores Romanorum dicuntur, sed Reges more Graecorum, a quibus Imperatores, ut sunt, sic Reges Romanorum appellantur, quoniam Romani, quibus post Reges exactos id nomen odiosum erat, mutata Reipublicae forma, et ad Regnum redeunte, Principes suos pro Regibus Imperatores improprie vocabant, quod nomen iis proprie tribuitur, qui exercitui cum summa potestate vel temporaria praesunt.

XLIX. Huc Sebastianus Neusestinus Moguntinus Archiepiscopus ex Delectorum numero Philippum salutandi gratia venit. Haec civitas et commeatu gratuito juvit, et poculum cum quingentis florenis dono Philippo misit. Hinc Arze tribunus militum equitatum in castra reduxit. Sarbruchum progresso Comitum Nassao-

rum oppidum, Joannes Isemburgensis Archiepiscopus ex Imperatoriis Delectoribus affuit, salutandi causa. Luxemburgum inde processit, oppidum magnum et munitissimum, sed bellis superioribus labefactatum, cujus ager nemorosus pars erat Arduennae vastissimae silvae, quae a Rheno fluvio per medios Trevirorum fines ad initium Rhemorum pertinebat. Luxemburgensis autem civitas *Ducatus* nomine censetur, estque Flandrensi imperio contributa, quo majore gratulatione Philippus, et laetior ipse a Senatu et oppidanis receptus est.

L. Ad Arlonem, oppidum in monte, qui dicitur *Ara lunae*, situm, legatus affuit ab Henrico Rege Gallorum missus, qui suis verbis Philippum salutaret, et liberaliter polliceretur. Ad Namur Emanuel Philibertus Caroli Ducis Sabaudiae filius, et Dux Adolfus Christierni Daniae Regis frater occurrerunt, ex Bruxellis, mutatis ad celeritatem equis, ut Philippum salutarent, advecti. A Namurensibus quoque, quae civitas Comitatus nomine censetur, Philippus pari ac Luxemburgensibus laetitia exceptus est, et ab utrisque, quamquam erant bellis exhausti, singulis scutatorum nummorum millibus muneratus. A Genua enim Bruxellas usque cum Principi adolescenti tanti Imperatoris filio, et tot tantorumque Regnorum et Principatuum heredi, pro se quisque studeret gratificari; non urbs, non oppidum, non castellum in tam longo itinere fuit, unde accedenti Philippo non prodiretur obviam, gratulatioque fieret, vel populus aliquo officio vel munere suam in eum secundam voluntatem declararet, ipso quoque Philippo munera deferentes administros liberaliter ubique

que remunerante.

LI. Ex Namure Philippus Vabram venit, quae leucis quatuor abest a Bruxellis, unde Kalendis Aprilis profectus ad Vuram divertit, vicum amoenissimum medio ferme itinere cum arce et praetorio, quo Maria ejus amita, Ludovici Hungariae Bohemiaeque Regis vidua progressa, regaliter apparato prandio, adventum ejus exspectabat. A prandio Regina Philippum in campum, qui *Arenosus* dicitur, deducit, ubi eadem Regina theatrum magnifice erigendum curaverat, unde Philippus et ipsa militare ludicrum spectarent; cujus ludicri ea ratio fuit.

LII. Aderant duo exercitus, qui castra castris contulerant, fossis, vallis, tormentis, omnique bellico apparatu munita, magnus utrinque peditatus, magnus equitatus cataphractorum et levioris armaturae, et in his complures non solum viri nobilissimi Belgae, Hispani, et Italici, sed etiam Principes, Duces, Comites, et Marchiones. Alterius exercitus vexilla ornatusque militaris et insignia albi coloris erant, cui Joachinus Riensis, ex intimis Caroli Caesaris familiaribus, cum summa potestate praeerat; alterius, coloris viridis, quem Philibertus Princeps Subalpinus ducebat. Commissum est autem praelium scientissime; quippe a rei militaris peritissimis, et cum magna spectantium admiratione et jucunditate, in duas circiter horas dubio Marte, et modo huc, modo illuc inclinante victoria, productum; diremtum vero, utroque Imperatore sponte sua receptui canere jubente, velut hostibus nec pertinacissimis, nec ita multum male meritis parceret, suosque lento

gradu in castra reducente.

LIII. Soluto ludicro, et antegressa Maria, Philippus cum solemni pompa et maxima tum oppidanorum, tum aulicorum gratulatione Bruxellas intravit, et ad aulam ab amitis Leonora Galliae, Maria Hungariae Reginis exceptus; iis deducentibus, laetissimus et optatissimus filius ad laetissimum et optatissimum patrem, peracto sexto a profectione mense, pervenit.

LIV. Tres circiter annos ad eas regiones Philippus cum patre commoratus est, quo tempore ab illarum regionum mortalibus pro successore legitimo Flandriae, Bravantiae, Holandiae, Zelandiae, Artesiae, Frisiae, Henoniae, Gueldriae, et ceterorum ejus tractus Principatuum et civitatum, quae sub imperio Caroli Caesaris erant, publice receptus et salutatus est, dato et accepto jurejurando civitates in officio permansuras, et cum ille in avitum imperium patri successisset, obedienter imperata facturas; Philippum vero illarum leges, privilegia, moresque majorum servaturum. Quas regiones dum obiret, omnia diligenter oculis et animo cum magna benevolentiae significatione lustrabat; nihil, quod ad conciliandos hominum animos facere videretur, omittere; tractabilem se ac perhumanum nobilibus et principibus viris exhibere; cum his equitare, jaculari, et equestris pugnae simulacra libenter obire; quod non sine suo periculo interdum faciebat, ut ei Bruxellis accidit, dum in curriculo ad Regiam equestri cataphractorum ludicro exerceretur.

LV. Nam infestis equis et firmis more regionis hastis cum Ludovico Zugniga Requesensio, aequali suo, ex

ex intimis familiaribus, cum concurreret, ictum accepit in capite galeaque tam vehementem, ut vecors ac dormienti similis parumper invectus ephippio delaberetur, et in caput armis superiorem corporis partem gravius deprimentibus caderet. Itaque semianimis pulvere spiritum intercludente jacuit, donec a suis sublevatus est. Tunc galea exutus, necdum satis nec mente nec animo receptis, in cubiculum lectumque deportatur; ac linteo vino madente fotus, sanguineque misso, in tertium diem jacuit. Ad quem pater, qui laboribus et morbis plus quam pro aetate consenuerat, eo nuntio perculsus cum venisset, deque valetudine et dolore exquisivisset: „¿Quid tu, inquit, Philippe, an fragili- „bus hastis hic quoque, ut in Hispania, te congredi „putas? Qui si tibi non parcis, tamen meminisse de- „bes, me adeo consenuisse, ut nec filios jam procrea- „re possim, et longum sit nepotes, quibus decedens „Regnum tradam, exspectare." Tunc Ludovicum Zugnigam, quem magnopere conturbatum, et summo animi dolore affectum cognoverat, accersitum consolatur, animumque recipere jubet: „Conturbasti nos, in- „quit, invitus, Ludovice, sed ipse magis conturbatus „es, multoque magis patrem tuum, si vivus adesset, „conturbasses." Erat enim Ludovicus Joannis Zugnigae jam defuncti filius, quo nutricio magistroque morum usus fuerat Philippus.

LVI. Paulus Pontifex de nece Petri Aloisii filii, deque occupata Caesariano praesidio Placentia ad Perusiam cum cognovisset, magno dolore perculsus Romam non sine timore insidiarum revertit, ac dolori in-

indulgens, iraque flagrans, quomodo in auctores noxiae vindicaret, animo agitabat; sed primum omnium Placentiam sibi recuperandam esse statuebat. Hac enim recepta, praeterquam quod jactura ex parte sarciretur, cetera in proclivi fore confidebat. Cujus rei causa ad Carolum Caesarem hujusmodi legationem misit: „Non „se dubitare, quin Carolus Caesar pro sua humanitate „et justitia miserabilem Petri Aloisii sceleratorum ci„vium insidiis crudelissime ad Placentiam necati casum „acerbe molesteque tulerit, quem ipse Paulus, quo „posteritati utriusque communi consuleret, Parmae et „Placentiae Ecclesiasticae ditionis urbium suo jure Du„cem constituisset; proinde rogare, et pro amicitiae „necessitudinisque jure postulare, ne gravaretur Placen„tiam, a praefecto Fernando Gonzaga militibusque suis „occupatam, sibi et Ecclesiae, ut jus et fas esset, re„stituere." Sed ea legatio parum benigne audita est a Carolo, Placentiam Ecclesiastici juris esse negante.

LVII. Paulus igitur, doloris ac iracundiae causis augescentibus, conandum sibi statuit, ut Concilium Tridentinum dimitteretur, quod levissimis illatis causis, et multis Episcopis reclamantibus, ipso per Legatos suos, qui Concilio praesidebant, moliente translatum fuerat Bononiam, Ecclesiasticae ditionis urbem, quo essent omnia in ipsius potestate; tum ut Carolo Caesari, quem a consilio Petri Aloisii necandi, et Placentiam occupandi non abhorruisse sibi persuaserat, rem faceret ingratissimam; tum ut Concilii restituendi invitamento ad extorquendam ei Placentiam abuteretur. Itaque Bononiam ad suos Legatos Concilii praesides mittit, et quid

quid fieri velit, demonstrat. Illi singulos Episcopos prensando, et proponenda Pontificis voluntate, pollicitisque solicitando, in suam sententiam Pontificisque voluntatem omnes, qui aderant, induxerunt. Multi enim vel domum ex Tridento discesserant, vel nondum Bononiam venerant, et Hispani ac ceteri fere, quibus reclamantibus Concilium translatum fuerat, remanserant, et Caroli voluntate usque ad Pauli ejusdem obitum, ipso invitissimo, Tridenti permanserunt.

LVIII. Ergo cum primo consessu Bononiensi nihil esset actum, secundo Joannes Maria Montius, qui legationis principem locum obtinebat, omnibus Episcopis in curiam ex more convocatis, retulit ad Patres, num consessum, cui dies proximus dictus esset, in vagum et indefinitum tempus, cum eidem Concilio visum fuisset, rejici placeret; quamquam rem non consilii esse videri, sed necessariam turbulentis et periculosis tempestatibus, tum ob alias causas impendentibus, tum ob miserandum et atrocem Petri Aloisii casum. De quo Episcopi sigillatim rogati, omnes in praesidis sententiam pedibus ierunt; quibus domum discedentibus Concilium intermittitur.

LIX. Hac occasione fretus Paulus inceptum urgere, Carolum per litteras et nuntios solicitare, et cum ipso precibus pollicitisque agere; sed eam conditionem in primis ferre, si Carolus suis aequissimis postulatis, prout mutuae voluntatis ac necessitudinis et communis posteritatis ratio postularet, annuisset, nihil in se futurum nec morae nec cunctationis, quin cum de ceteris rebus, tum de restituendo Ecclesiastico Concilio se ju-

jus studio et voluntati morem gereret.

LX. Ad ea Carolus constanter paucisque deliberata respondit: si certis et legitimis probationibus fides sibi facta fuerit Placentiam juris esse Ecclesiastici, fore, ut libens Pontificis postulationi concederet; sibi tamen longe aliter a viris rerum jurisque peritis persuasum esse, nec modo Placentiam, sed etiam Parmam ad Mediolanensem ditionem pertinere. Quod cum ita sit, tamen ut tollantur controversiae, simulque posteritati, de qua Paulus meminerit, consulatur, conditionem ferre, si Parma et Placentia ditioni Mediolanensi restituantur, se Octavio Farnesio, cui omnia parentur, abunde satisfacturum, ipsique et posteris aliquot in Sicilia castella et agros, qui aureorum ducatorum quadraginta millia in annos reddant, in perpetuam ditionem et possessionem tributurum.

LXI. Hanc conditionem Paulo pertinaciter aspernante, Octavius tamen et Alexander Farnesius Cardinalis et Vice-cancellarius nepotes, accipiendam judicabant; negotioque diu extracto, Octavius insciente Pontifice Parmam paucis comitibus per equos dispositos proficiscitur. Accedenti Camillus Ursinus, quem urbi praesidioque Paulus praefecerat, obviam progressus est, et urbe receptum officiis omnibus prosequebatur; sed cognita ipsius fraude, qui arcem occupandi gratia praefecti ejus animum tentaverat, militibus praesidiariis coactis, Octavio denuntiatum mittit, uti nulla interposita mora oppido discederet; quod si facere recusaret, se, cujus fidei Pontifex Parmam custodiendam, et ab omni vi doloque tuendam commisisset, officio non defu-

futurum; quo timore ductus Octavius urbe discessit. Harum rerum certior factus Paulus molestissime tulit, quod nepotes a sua voluntate et consilio suaque dignitate abhorrere viderentur. Itaque missis litteris gravibusque viris, qui Octavium ex vico Parmensi, quo se receperat, revocarent, ipse in morbum incidit, quo non multo post absumtus est, anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo nono mense Novembri, et in ejus demortui locum Julius Tertius suffectus. An. M.D.XLIX.

LXII. Cum ad Belgium Germaniamque Carolus jam diu commoraretur, Hispania tamen omnis tranquilla pace fruebatur, nemine nec externorum, nec Hispaniae procerum, ut superioribus temporibus acciderat, publicam quietem et otium solicitante, non solum propter justam Philippi primum, deinde Maximiliani et uxoris Mariae procurationem, sed etiam propter maximam ipsius Caroli potentiam et auctoritatem, qua principes optimatesque cum popularibus in juris aequabilitate et officio continebantur; nisi quod ora maritima subinde Turcarum piraticis infestabatur, praesertim Dragutis Ibericum, Tyrrhenum, Siculumque mare cum longarum navium classe infesta pervagantis. Hujus perfugium et receptaculum erat Aphrodisium in Africae ora maritima, non longe a Sicilia, urbs agri fertilis et amoeni, opere et natura loci permunita; quippe in saxea lingula sita erat, ac ducentorum circiter passuum spatio a terra relicto, eoque duplice muro munito, cetera alluente mari, peninsula fiebat.

LXIII. Haec civitas, cum esset sub imperio et ditione Regum Tunetensium, ab Hazeno crudeli et ava-

ro Rege durissimo ejus tempore defecit, cum is a Charadino Barbaroxa Tunete pulsus fuisset, et Solymano Turcarum Principi sese in potestatem clientelamque dicavit. Solymanus autem Chanchirivium Charadini fratris filium civitati praefecit; sed hoc quoque ob eamdem causam, quod avare et crudeliter imperaret, exacto, Aphrodisienses loco munitionibusque fidentes sese in libertatem vindicarunt. Ceterum Dragutes praedo natione Turca per oppidanorum discordiam et quorumdam proditionem tyrannidem civitatis ejus invasit; et proximis castellis occupatis, ibi sedem ad praedandum Christianosque vexandum peropportunam constituit, unde Siciliam, Italiam, quibus Aphrodisium imminebat, et Hispaniam excursionibus vexare non desistebat. Gallis enim parcebat, propter initam cum ipsorum Rege Francisco, et hoc mortuo confirmatam cum Henrico filio Turcarum amicitiam.

LXIV. His malis Carolus ut occurreret, ad Andream Doriam scribit, ut triremium coacta classe Dragutem insequeretur, deque medio tollendum, et classem ejus delendam cunctis rationibus niteretur. Andreas, suscepto negotio, milites Hispanos mille et octingentos ex Mediolanensibus et Neapolitanis praesidiis sibi attribui postulavit; quibus deductis, et ad Spediam Neapolimque impositis, praeterea Cosmi Medices Florentinorum Ducis longis navibus tribus, totidemque Julii Tertii Pontificis Maximi sibi adjunctis, in Siciliam navigavit; ibique cum Joanne Vega Prorege congressus, ab eodem quingentos item Hispanos veteres milites accepit cum Alvaro Vega filio praefecto; ad Depranum quo-

quoque quatuor Hierosolymitanae Religionis triremes accesserunt. Quibus praesidiis munita auctaque classe, Doria nihil ad summam diligentiam reliqui sibi faciebat.

LXV. Ceterum Dragutes homo callidus et rerum maritimarum peritissimus, speculatoribus quoquoversus dimittendis, et stationibus subinde mutandis, periculisque cavendis, conatus ejus frustrabatur. Doria fugitantem diu nequidquam insectatus, ne longi temporis operam et laborem frustra consumsisse videretur, in Africam convertitur, et Monasterium oppidum in ora maritima non longe ab Aphrodisio oppugnare aggreditur; captoque oppido non ita munito, arcem quoque expugnat. Tum successu invitante, Aphrodisium quoque praedonum, uti diximus, receptaculum, per occasionem absentis Dragutis majore apparatu tentare constituit; sed quoniam sine voluntate et ope Joannis Vegae, Siciliae Proregis conatum frustra fore intelligebat, consilium cum eo communicandum ratus, Fernandum Vegam filium stirpis maximum ad se vocat (nam hic quoque, ut Alvarus frater, ex Sicilia conscensa praetoria Sicularum triremium Doriam secutus fuerat) et sui consilii certiorem facit, hortaturque, ut ad patrem proficiscatur, et suum consilium judiciumque deferat.

LXVI. Per hunc igitur cum Prorege patre agit, et Aphrodisium quanto opere Italiae, ac Siciliae ceterisque adjacentibus insulis immineat, considerare jubet, et quantum facultatis Turcis praedonibus praebeat ad Christianos insectandos, admonet, et publicae salutis plu-

rimum interesse docet Carolum Caesarem Aphrodisio potiri, et, quid sibi placeat, ostendit, hortaturque, ut ipse quoque negotium suscipiat, et res bello necessarias ad Siciliam pro suo imperio et prudentia comparari jubeat, ut res communi utriusque opera et consilio administrentur. Ad ea Joannes Vega consilii dubius nihil constitui respondit. Quamquam enim Aphrodisium in Caroli Caesaris potestatem redigi publicae salutis Christianorum magni interesse intelligebat, tamen rebus imparatis, tantulaque manu tantum negotium suscipere temeritatis esse judicabat. Accedebat, quod paucis ante annis, cum de bello Africo deliberaretur, Carolo Caesari placuerat, ut Meryna insula primum omnium, duce eodem Vega, tentaretur, nulla de Aphrodisio facta mentione; sed consecuti Germanici belli cura animum Caroli Caesaris ab omnibus bellicis cogitationibus averterat.

LXVII. Ceterum Vega, ne viri prudentissimi et rei militaris peritissimi consilium temere damnare videretur, Joannem Osorium affinem suum misit, qui suum ei animum voluntatemque deferret, simulque difficultates, quae ab eo consilio dehortarentur, proponeret, et quid esset rerum necessariarum in Sicilia comparatum, doceret; (nam belli Africi exspectatione non nihil fuerat provisum) et quae comparandi facultas esset, exponeret. Quo responso Andreas accepto, cunctis difficultatibus ipsos diligentia et longarum navium celeritate mederi posse confirmabat, nec tam praesentem Dragutis absentis, et exigui urbis praesidii occasionem praetereundam contendebat.

Hoc

LXVIII. Hoc renuntiato, Vega voluntati ejus concedendum ratus, consilioque probato, totus in eam curam convertitur, et rebus necessariis, et machinis ceterisque belli instrumentis, quantum per angustias temporis licuit, comparatis et in naves impositis, Fernando filio summam imperandi, et Siciliam administrandi potestatem tradit, ipse ad Panormum cum quingentorum Hispanorum manu ex praesidiis deducta triremes conscendit, quas Andreas Doria numero viginti quatuor cum Marco Centurione miserat, Drepanumque ad Andream eumdem contendit, qui ejus excipiendi causa eo cum classe venerat, ibique Garciam quoque Toletum offendit, qui Neapoli reversus ante diem tertium Drepano cum Hispanorum mille quadringentorum veterana manu, et magno commeatu multisque bellicis instrumentis appulerat; cujus rei gratia, quo tempore Fernandus Vega ad Joannem patrem mandata Doriae deferebat, eodem Garcias Neapolim cum viginti duabus triremibus profectus fuerat, sponte quidem sua, sed consilium et animum approbante et laudante Doria, et rem magno studio magnaque diligentia exorato Prorege patre confecerat.

LXIX. Ex Drepano, conjuncta classe, nono Kalendas Julias solventes Aphrodisium adnavigarunt; expositisque militibus, ad collem maxime idoneo loco castra posuerunt, et duobus vallis dextra laevaque excitatis, et ad mare usque, spatio impari relicto, perductis, hic decem et octo bombardas, *Canones* dictas, bipartito collocarunt; tum propius urbem tertium excitarunt, ut *Archibusariis* octingentis munimento esset huc adesse jussis,

sis, ut murum defensoribus nudarent. Coeptaque a terra magno impetu oppugnatio est; a mari enim nec quatiendi facultas erat, nec invadendi. Sed cum frequentibus tormentorum telis murus concuteretur, tamen operum firmitudo omnem administrationem tardabat frustrabaturque; nam ea pars, qua mare intermittit, quae perangusta est, duplici latissimo muro, et eo terra intrinsecus aggesta ad summum aequato munita erat. Ceterum diruta parte muri, placuit irruptionem tentare, idque noctu, auctore potissimum Andrea Doria, si forte proximam turrim castris imminentem, quae et ipsa conquassata erat, occupare possent; sed conatus frustra fuit, nostrique cum sexaginta circiter militum jactura rejecti, quorum capita postridie hastis infixa ad terrorem et ostentationem hostes in muro collocarunt; ut igitur oppugnatio commodius et majore apparatu repeteretur, triremes diversae Neapolim, et in Siciliam Goletamque globorum tormentariorum pulverisque causa dimissae.

LXX. Per hos dies Hazenus Rex Tunetis, qui cum Bucaro filio Joannem Vegam ex Sicilia secutus fuerat, morbo correptus in castris mortem obivit. Hic enim paucis ante annis ab Hameto filio oculis per summum nefas et plus quam barbaram inhumanitatem privatus, Regnoque pulsus ad Caroli Caesaris fidem confugerat, et ab eo in Siciliam redire, et ibi reductionis tempus, si forte daretur, exspectare jussus, cum fratre Bucaroque filio Caroli ejusdem impensis alebatur.

LXXI. Interea, dum nostri agendis cuniculis apertis, quo tormenta propius murum admoverentur, sunt

oc-

occupati, Dragutes ex Meninge insula, quo se receperat, solvit, ut obsessis opem ferat; et navibus, quo visum est opportunum, compulsis, militem Turcam nostris inscientibus exponit; et Aphrodisium contendens, ad quodcumque oppidum accesserat, oppidanos precibus cunctis orabat et obtestabatur, ut memores suae dignitatis, libertatis ac Religionis contra Christianos Mahometani nominis infestissimos hostes Aphrodisium obsidentes subsidium obsessis et laborantibus amicis mitterent, ne Aphrodisio, quod Africae quasi arcem esse constaret, expugnato, Christiani omnem Africam invaderent, et direptis oppidis, et fanis spoliatis atque pollutis in servitutem redigerent, suoque more Religionem ipsorum delendam curarent.

LXXII. Tali oratione concitatis animis tria circiter Afrorum millia sibi Turcisque adjunxit, et cum his Aphrodisium magnis itineribus progressus insidias idoneo loco non procul a castris collocavit ad olivetum, unde nostri lignabantur et vallum petebant, ut lignatoribus nostris cum praesidio exceptis ac deletis, castra oppugnaret, atque eodem tempore defensoribus oppidanisque erumpentibus, impleta fossa, vel per medios nostros in oppidum irrumperet. Harum rerum ignarus Vega, tamen, ut vicina loca, siquid ab Afris moveretur, aut per insidias more ipsorum ageretur, haberet explorata, simulque ut vallum necessarium commodius peteretur, ipse cum delecta manu praesidio lignatoribus ire constituit, eo potissimum die, qui divo Jacobo Hispaniae praesidi ad octavum Kalend. Augusti festus agitur.

Ob-

LXXIII. Obsidionis igitur et tuendorum castrorum cura Garciae Toleto demandata, cum septingentis militibus, qui tria signa sequebantur, facta re divina, proficiscitur. Jamque prope olivetum venerat, cum a praemisso speculatore Afro magna hostium multitudo adventare, nec longe ab oliveto abesse nuntiatur. Cum eo ventum esset, unde nec honeste, nec sine praelio pedem referre licebat, dehortantibus quibusdam, Vega tamen jussis lignatoribus vallum caedere, et in castra referre, hostium equitatu, peditibusque nonnullis se simul ostendentibus, copias ipse ultra olivetum perducit, ne timoris significatione suis minueret, hostibus animum adjiceret. Hoc animadverso, hostes, qui post collem molliter declivem latitaverant, ex insidiis advolant numero millia circiter tria, magna ex parte jaculatores, arcubus et scloppetis armati. Vega suos, ut memores Hispanorum pristinae gloriae, qui pauci saepe multos devicissent, hostium multitudinem ope divina freti contemnerent, hortatur, nec enim Christum contra Christiani nominis hostes Christianis, nec divum Jacobum clientibus Christianis, pro quibus saepe pugnasset, eo suo die defuturum, simulque signa in hostes inferre jubet, qui jam in planum progressi glandibus et sagittis eminus nostros lacessebant.

LXXIV. Praelio conserto acriter utrinque dimicabatur; sed primo impetu hostes sua multitudine nostros premebant, jamque Palomares signifer, et septem alii viri fortissimi in prima acie dimicantes ceciderant, cum Vega factus certior, in eam partem, qua maxime laborabatur, praetorianos milites, qui vacui erant, extra-

traque ordinem vagabantur, inducit. Horum adventu, ducisque praesentia recreati nostri tanta vi in hostes impetum fecerunt, ut illi loco cedere, pedemque referre cogerentur. Ludovicus Perezius Vargas, qui in altera parte curabat, dum hostes immissis scloppetariis cupidius insequeretur, scloppeti glande confossus occubuit, vir fortissimus, et magna rei militaris scientia, quam longi temporis usu in bellis Italicis Gallicisque didicerat, qui diebus superioribus ex arce Goleta, cujus praesidio praeerat, ad hoc Aphrodisiense bellum fuerat evocatus.

LXXV. Pulsis hostibus, Vega suos in castra, turba inermi, quae vallum importabat, praecedente, paulatim reducit; sed hostes ex fuga celeriter, ut est Afrorum mos, cum se recepissent, nostros adorti extremum agmen carpebant, donec Garcias Toletus ab initio praelii, ut subsidio veniret, certior a Vega suorum paucitati metuente factus, cum parte copiarum affuit: hujus enim adventu repressi hostes tardatique sunt. Viginti quinque nostrorum eo praelio desiderati, nonnulli praeterea vulnerati, ex hostibus multo plures ceciderunt, vulneraque acceperunt.

LXXVI. Interea, qui Aphrodisium custodiebant, eruptione facta fortissime depugnare, et vallum scindere conari, ut Draguti, si propius cum suis accessisset, aditum aperirent; sic enim per occultum nuntium convenerat, qui superioribus diebus a Dragute missus nocte latenter moenibus adnatando cum successisset, a vigilibus dimisso fune sublatus fuerat, et magna cum laetitia receptus. Sed illi nostrorum virtute

non solum repressi sunt, sed eorum nonnulli concisi, reliqui repulsi et conturbati, qui occlusa porta, ne hostes simul irrumperent, necessario sese mari commiserunt, adnatantesque, aut vix capite ex aqua exstantes muro successerunt, aegreque a suis, qui partem maritimam custodiebant, servati et excepti sunt. Huic praelio Garcias Toletus intervenit; nam represso Dragute, celeriter a Vega in castra remissus est, cum interim Dragutes nostros in castra redeuntes longiore intervallo eminus jaculando insequeretur; quin etiam nostris in castra reversis, ad macerias quasdam, quo telum adigi posset, suos continuit, qui non cessabant tela in castra jaculari, donec Joannes Vega Alvarum filium adolescentem cum valida jaculatorum manu hostes adoriri jubet, a quo illi primo impetu pulsi in fugam effusam conjecti sunt.

LXXVII. Duplici victoria laetis nostris Mahumetus Rex Curubis, quod oppidum mediterraneum non procul abest Aphrodisio, missa legatione gratulatur. Hujus enim amicitiam nostri duces initio, societatemque per litteras et nuntios expetiverant adversus Dragutem, ceterosque praedones humani generis communes hostes; nec ille postulatis abnuerat, modo Monasterium, et Sicigul oppida maritima, quae a nostris in littore capta fuerant, sibi in ditionem perpetuam traderentur, quae conditio nostris hoc minus gravior fuit, quod illa oppida nullo Christianorum praesidio tenebantur, sed ex parte diruta desertaque fuerant. Hoc tamen foedus partim nostrorum negligentia, partim Regis astutia, qui ex eventu rerum sua sibi consilia mode-

deranda putabat, non ante hanc Dragutis malam pugnam ictum est; ceterum utrinque bona fide servatum, et Rex commeatibus justo pretio suggerendis magno nostris adjumento fuit.

LXXVIII. Regis hujus litteris et nuntio duces nostri de Dragute certiora cognoverunt, ut victus a nostris magno accepto detrimento ad suas se naves recepisset. Tunc Antonium Doriam in Siciliam cum decem triremibus proficisci placuit, ut si forte Dragutes per nostrarum triremium absentiam, et deductorum praesidiorum occasionem quidquam in oppida maritima tentaret, auxilio esset, simulque ex arcibus globos ferreos, et tormentarium pulverem ad Aphrodisii urgendam oppugnationem deportaret. Eodem tempore Marco Centurioni triremes decem attributae, datumque negotium, ut Genuam navigaret, inde Mediolanum ad Fernandum Gonzagam ire properaret, ab eoque ducum verbis supplementum Hispanorum militum ad Aphrodisii oppugnationem peragendam postularet, et eam urbem in Caroli Caesaris potestatem pervenire quantum usum haberet ad communem Christianorum salutem tuendam, et piratarum injuriis occurrendum, doceret, nec rem fore admodum difficilem, siqua fiat Hispanorum militum accessio; nunc enim in tanta paucitate periculum esse, ne aut extrahatur bellum, aut cum magna nostrorum jactura conficiatur.

LXXIX. Antonio Doria, et Marco Centurione cum triremibus dimissis, singulari militum diligentia castra muniuntur, et necessaria renovandae oppugnationi comparantur; apertique cuniculi proxime muros perducun-

tur. Ceterum indicio perfugae cognitum est, urbem a terra non solum duplici muro, sed etiam fossa intrinsecus permunitam esse, in eaque sudes et stipites praeacutos defixos, et asseres cum acutis erectisque clavis demissos. Quo cognito, communicatisque consiliis, commodius visum est, ut a mari ex navibus, si fieri posset, moenia tormentorum telis concuterentur; sed posteaquam ex triremibus res non procedebat, quippe intactis moenibus pleraque tela transmittebantur, post longam consultationem et disputationem hanc rationem comprobarunt, Garciae Toleti potissimum ingenio excogitatam.

LXXX. Duas triremes malis et ceteris armamentis detractis obliquas statuunt, easdemque duabus validis et praelongis trabibus, quo plus intervalli relinquatur, immissis conjungunt, clavisque, ut valide distineantur, revinciunt: tum aliis navigiis triremium altitudinem exaequantibus earum intervallum complent, et haec omnia injecta materia contexunt, et tabulis consternunt, ac passim operi, quo firmius sit ad jaculandum, neve telis hostium deprimi queat, vacuas cupas frequentes annectunt. In hanc molem tormenta magna decem imponunt, aptantque; deinde sepimentum ex velis, et rudentibus ac funibus anchorariis, tum a fronte, tum ab altero latere, quo telum ex obliquis moenibus adigi poterat, exstruitur, spatiis ad libere jaculandum, ubi erat opportunum, relictis. Jam Antonius Doria tormentarios globos, pulveremque, et item commeatum abunde, et Hispanorum Graecorumque cohortem deportans ex Sicilia reverterat, et paulo post Marcus Centu-

tu-

turio cum mille circiter quinquaginta Hispanis veteranis militibus affuit.

LXXXI. Rebus omnibus comparatis, et duobus locis brevi a moenibus intervallo tormentis dispositis, machina inter ceteras naves loco remotiore, quo magis hostes lateret, coagmentata remulco deducitur, ac idoneo loco collocatur, simulque tribus ex partibus muri magno impetu concutiuntur, ut defensorum manus necessario distinerentur. Illi vero maximum sibi a mari periculum instare perspicientes, parte scilicet ex omnibus infirmissima, eo maxime concurrere, tormentorum bonam partem in muro contra machinam constituere, nec tela solum, sed ignem etiam jaculari, et omnia diligenter magnoque studio administrare; itaque injecto igne machinae partem incenderunt.

LXXXII. Quo timore et periculo nec opinato nostri, quibus machinationis cura mandata erat, conturbati, vix incendio, quod fuerat excitatum, compresso, ad Andream Doriam mittunt ut, siqua sui cura tangeretur, et machinationem salvam vellet, ipsam telis hostilibus, quibus maxime opportuna esset, subtrahendam mandaret. Nec abnuit postulatis Andreas, conspecto periculo. Ceterum ex triremibus altera telis hostium depressa sic haeserat vadis, nulla ut inde vi posset evelli. In ea rerum iniquitate Joannes Vega, consilio cum Garcia Toleto communicato, Oriolam centurionem virum fortissimum ad se vocat, negotiumque dat, ut cum centum suis manipularibus machinam conscenderet, eique praesidio esset, ac tormentariorum ministrorum militumque animos confirmaret;

sed

sed hic dum magno animo, magnaque cura injunctum sibi munus exsequitur, frustulis perfractae hostili tormento materiae confixus graviter vulneratur. Quamobrem in hujus locum Solisius centurio alter suffectus a Vega summissusque tam strenue se gessit, ut eo curante et adhortante bona pars muri, certe quantum ad irrumpendum satis esset, eodem die dejiceretur.

LXXXIII. Postridie mane dispositi milites per dejecta murorum tribus partibus, accepto a Vega signo, irrumpere, ut jussi fuerant, nituntur; sed duabus a terra partibus repertus est aditus difficillimus, quarum altera Fernandus Toletus militum tribunus dum transcendere conatur, paucis sequentibus fortissime dimicans occiditur; itaque in eam, quae a mari patebat, undique concurritur. Hac milites, non toto pectore ex aqua exstantes, cum invaderent; tormentarius pulvis magna ex parte madefactus scloppeta multa reddidit inutilia; itaque hastis potissimum gladiisque rem nostri gerentes, hostes, qui acie instructa sese irrumpentibus objecerant, propulerunt, majore illorum parte, quae pertinaciter resistebat, concisa; nec tamen impune, aut uno congressu superati cesserunt, sed multis in locis pugna redintegrata, dum se quisque et suos fortissime, ut in extrema desperatione, pro vita et libertate pugnantes defendunt. Itaque non sine nostrorum mediocri jactura oppidum direptum, et mortales omnes, quibus gladius pepercerat, in servitutem abstracti. Sic Aphrodisium in Hispanorum potestatem pervenit quarto
ANN. M.D.L. Idus Septembris, qui fuit annus millesimus quingentesimus quinquagesimus.

Ex-

LXXXIV. Expugnato direptoque Aphrodisio, diruta moenia reficiuntur, et praesidium imponitur; sed non diuturna fuit urbis custodia, nam paucis post annis Carolus moenia demoliri, et turres solo aequare jussit, quod celeriter est missis fabris et architectis administratum, ne urbs munitissima, si desereretur, rursus fieret praedonum Turcarum receptus, vel retenta magno negotio tam procul ab Hispania magnaque impensa custodienda esset.

LXXXV. Ceterum sublato praedonum perfugio, non tamen Andreas Doria persequendi Dragutis curam remittebat, ut Carolus ei probe de hoc negotio mandaverat, sed fugientem diu nequidquam insectatus, cum ad Meningis insulae parvum sinum naves reficiendi gratia secessisse perlatum esset; Andreas eodem advolat, aditumque sinus obsidet eo consilio, ut Dragutem vel impari conditione, minore numero, et magnitudine navium pugnare cogeret, vel desertis navibus per terram perfugere; cujus periculi cogitatione anxius et solicitus Dragutes ingeniosam rationem inivit (ut solet ingenium in necessitatibus invalescere) et cum interdiu tormentis tela utrinque jacerentur, eminusque pugnaretur, ipse suos, et mercede conductos insulanos, dies noctesque partitis temporibus in opere continebat, obstantem arenam suffodientes ac deducentes, ut per brevia et vadosa loca exitum navibus in altum per partem a nostris aversam aperirent; quo facto, naves noctu silentio in altum eductae sunt, delusisque nostris incolumes profugerunt.

LXXXVI. Carolus ad Belgium dum commoratur, a Fernando fratre Rege Romanorum omnibus precibus con-

contendit, ut ipso volente et juvante sibi liceret cum Imperatoriis Delectoribus agere, ut post ejusdem fratris obitum Philippus filius Imperii Romani successor lege constitueretur. Rex autem, ut precibus fraternis, quas parum aequitatis habere judicabat, verecundius resisteret, ad Maximilianum filium, cujus animum ipse offendere nec vellet, nec deberet, magis etiam, quam ad se pertinere respondit; cum hoc igitur magis agendum esse, nec de tanto negotio quidquam cum illius injuria, vel animi offensione statuere oportere.

LXXXVII. Hoc cum placuisset, Maximilianus ex Hispania, quam, ut supra diximus, cum uxore Maria procurabat, evocatur. Sed is cum in Belgium venisset, nullis nec Caroli, nec Mariae sororis ejus precibus exorari potuit; qui dum se excusaret, et causas inferret, cur postulata Caroli honeste facere non posset, hanc habuit orationis summam: ,,Cupere quidem sese Caroli Caesaris et patrui, et soceri voluntati in rebus ,, omnibus, quod salva fide ac dignitate facere possit, ,, morem gerere; ceterum Caroli postulatum hujusmodi ,, esse, ut non modo ad suam, sed etiam ad omnium ,, Principum Germanorum contumeliam pertineret, ut ,, eis omnibus contemtis, externus nova ratione praeter leges moremque majorum, nulla reipublicae necessitate postulante, praeferatur, quam rem ab ipsis Delectoribus, quorum statuendi jus esset, nullis precibus impetrari posse pro certo haberet ac explorato." Talia igitur Maximilianus respondit, et in sententia permansit.

LXXXVIII. Haec repulsa Hispanis haud quaquam in-

ingrata fuit, incommoda, quae hujus Imperii ratio nostris attulisset, reputantibus. Quod enim Carolus plurimos annos paene continenter bellum in Italia, Germania, Galliaque gessisset, et infinitos sumtus patrimonio quoque Regio dissipato fecisset; quod diu ab Hispania cum magno populorum detrimento abfuisset, hanc vel solam, vel maximam causam habuisse existimabatur, ut nomini et officio Imperatoris satisfaceret, quamquam longioris temporis absentiae Caroli nonnihil causae in patriae dulcedine naturali haud improbabiliter ponas, ut Philippus ipse Hispaniae desiderio magnopere aestuabat, nec aliud, quam Hispaniam, loquebatur. Tanti refert ad publicam commoditatem Regem intra Regnum natum esse ac educatum!

LXXXIX. Ceterum ad desideratam Hispaniam tertio anno profecturus Philippus, ipso profectioni destinato die repentina febri pleurisique correptus patrem suosque omnes magnopere conturbavit; in cujus curatione dissentientibus Medicis, vicit Zavalli sententia, et misso bis copioso sanguine ad uncias scilicet, ut Zavallus ipse mihi confirmavit, plus triginta, morbo relevatus primum, deinde explicatus est, sic ut recepta valetudine octavo die in Hispaniam ex Augusta, ubi patrem reliquit, proficisceretur.

XC. Pace facta cum Henrico Rege, et induciis cum Solymano pactis, cum a Gallis quies esset, nec a Turcis quidquam moveretur; Christiani laeti optatissima pace fruebantur. Carolus autem in ea paene sola cogitatione versabatur, et in eam potissimum curam insistebat, ut afflictae per Germaniam Religioni subve-

niret, et quod ad eam rem maxime pertinebat, ut Sacerdotum generale Concilium intermissum renovaretur, de quo diligenter cum Julio Tertio Pontifice Maximo per legatos agebat. Ipse Germanorum Concilium rursus Augustam Vindelicorum ad diem Kalend. Julii septimum advocavit, cum ob alias causas, tum maxime ut Germanorum animos in sententia et decretis superioris Augustani Concilii confirmaret, molestissime ferens, quod illud de colenda ritu Catholico Religione, dum generalis Sacerdotum Synodus perageretur, a plerisque Germanorum violari atque contemni certior fiebat.

XCI. Ad diem igitur Augustam convenerunt ex Principibus Moguntinus et Treverensis Archiepiscopi Electores, item Bavarus, et Henricus Brunsvicensis. Ceteri suos legatos miserunt. Affuerunt praeterea Prusiae Magister, et Virciburgicus, Cistensis, Constantiensis, Augustanus, Tridentinus, Cameracensis, Merseburgensis Episcopi, et Civitatum legati; quorum negligentia et superbia vehementer incusata Carolus Augustani decreti, de quo dixi, violati atque contemti rationem cum poposcisset, Archiepiscopi se vero responderunt et servasse ipsos decretum, et a suis, ut servaretur, curasse, et in eam curam etiam nunc insistere. Ceteri vero Episcopi et legati, nec per se, nec per suos dominos stetisse confirmarunt, quominus decreto pareretur; sed diu insitam novae Religionis persuasionem nec facile, nec brevi tempore posse e mentibus hominum aboleri; et cuncti, ut decreto pareatur, per se quemque daturum operam pollicentur.

XCII. Itaque ex Concilii sententia leges, quas Caro-

rolus antea in haereticos tulerat, confirmantur, ut capitali supplicio et bonorum publicatione mulctetur, siquis decreto non paruerit; item siquis libros Lutheri, Oecolampadii, Zuinglii, Buceri, et ceterorum, qui catalogo Lovaniensium Theologorum continerentur, post id tempus legisset, emisset, aut vendidisset. Ad haec, ut haereticorum magistri extra Germanicos Imperatoriosque fines in exsilium projiciantur; ut vindices haereticorum, *Inquisitores* vocati, summam habeant in convictos vindicandi potestatem; utque id crimen deferre praemio sit atque laudi. Quibus legibus atque decretis per omnes Germaniae partes promulgatis, magnus timor cunctorum haereticorum animis injectus fuit, magnaque spes viros probos atque pios obtentabat fore, ut vera et Catholica fides per Germaniam oppressa, his quasi adminiculis adnixa fulciretur et emergeret; quod factum fuisset, ut equidem existimo, et fuit constans hominum opinio, si per invidos et iniquos Caroli Caesaris licuisset, qui duabus quasi furiis, odio et invidia animos minime religiosos exagitantibus hoc unum agebant et moliebantur, ut pios Caroli Caesaris et summae laudis conatus impedirent.

XCIII. Interea Julius Tertius Pontifex Maximus, qui Paulo Tertio demortuo successerat, exoratus a Carolo intermissum Sacerdotum generale Concilium Tridentinum renovare constituit, ut jam inchoatum tempore maxime necessario ad consulendum rebus Germanicis perageretur. Concilium igitur generale, quod Graeci ὀικουμενικὴν σύνοδον, id est, orbis terrarum Concilium vocant, Tridentum denuo ad Kalendas Majas anni ejus indixit,

qui fuit Christi millesimus quingentesimus quinquagesimus secundus, quem ad diem Episcopi convenire undique coeperunt, aderatque Marcellus Crecentius Ecclesiae Romanae Presbyter Cardinalis de latere Legatus, et Sebastianus Pighinus Archiepiscopus Sipontinus, Aloysiusque Lypomanus Episcopus Veronensis, *Nuntiorum* nomine ab eodem Julio Pontifice, ut pro se Concilio praeessent, missi. Sed inito Concilio prima sessione nihil aliud est actum, quam ut secunda in Kalendas Septembris rejiceretur, ut spatium intercederet, quo ceteri Episcopi pervenirent, praesertim ex Germania, cujus potissimum causa Concilium esset convocatum; quin etiam secunda sessione, cum jam Moguntinus et Treverensis Archiepiscopi ex eorum numero, quorum suffragio Imperator deligitur, convenissent (Coloniensis enim nondum pervenerat); tertia sessio initiumque deliberandi in diem ab eo quadragesimum, id est, ad diem tertium Idus Octobris prorogatur.

XCIV. In hac tertia sessione, Lutheranis, qui se *Protestantes* vocari volebant, petentibus data est a Concilio fides publica, eos sine periculo Tridentum venturos et commoraturos, et impune, quae vellent, liberéque in Patrum conventu propposituros et disputaturos, eosdemque tuto, cum quisque vellet, discessuros. Interfuerunt autem huic Concilio praeter Pontificis Maximi legatos, et Christophorum Madruccium Romanae Ecclesiae Cardinalem et Episcopum Tridentinum, Episcopi sexaginta duo, quorum Hispani fuerunt viginti quinque, Germani octo, Siculi quatuor, Sardi duo, Hungarus unus, reliqui omnes Italici. Ex Gallia Trans-

al-

alpina Regia nullus a Rege Henrico convenire permissus est, ut is omnes occasiones observabat, atque etiam captabat Carolo vel cum sua infamia et dedecore molestiam exhibendi; quae causa fuit, ut Octavii Farnesii res novas ad Parmam molientis patrocinium susciperet; de quo rerum ordo postulat, ut deinceps memoremus.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE
LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS.

I. JUlius Tertius Pontifex Maximus, quem Paulo Tertio successisse demonstravimus, cum ejus meritis esset obligatus, et Farnesiae domus studiosus, Octavium Farnesium, de quo supra memoratum est, Parmae Ducem jure perpetuo confirmavit, suisque copiis cum summa potestate praefecit, quam praefecturam vulgo *Ecclesiae Confalonerum* appellant. Octavius, Parmae Principatu potitus, Carolum Caesarem per nuntios et litteras precatur, ut decretum, quod Paulus in Petrum Aloysium patrem, idemque et Julius Pontifices in se fecissent, comprobaret et ratum haberet, castellaque, quae in agro Parmensi Fernandus Gonzaga post Placentiam occupasset, praesidioque firmasset, Parmensi ditioni reddi juberet, si non ipsam quoque Placentiam in Ecclesiasticam ditionem et suam clientelam restituendam constitueret. Sed hoc a Carolo Caesare nullis precibus impetrare potuit, qui in proposito susceptoque consilio, ut Parma quoque in Mediolanensem ditionem redigeretur, permanebat, confirmans, ut Principatum Mediolanensem, sic hujus ditionis urbes Parmam et Placentiam ad Im-

Imperatoriam clientelam pertinere, quod jus se volente et approbante violari, nefas esse, et contra fidem et officium Imperatoris existimaret.

II. Hujus repulsae dolore supra bonum honestumque perculsus Octavius, statuit a socero et patrono, quod suis injustis postulatis non annuerat, ad Henricum Gallorum Regem deficere, ejusque ope et auxilio non solum ad Parmam invito Carolo retinendam, sed etiam ad Placentiam, si res succederet, occupandam abuti; nec enim dubitabat, quin facile posset ab Henrico, quod vellet, contra Carolum Caesarem impetrare, qui probe noverat (id quod omnibus erat perspectum) Henricum, ut impense Caroli gloriae imperioque invidebat, jam tunc a suscepto Regno occasiones et facultatem Carolo nocendi diligenter captare; nihil, quod ad eam rem usui fore videretur, vel cum maxima infamia suscipere recusare; qui paternam societatem et amicitiam cum Solymano Turcarum Principe a Francisco Rege contractam non obscure et dissimulanter, sed palam et studiose colebat; praedones Turcas, et ceteros Christiani nominis hostes, mare internum piraticis infestantes, suis portubus recipiebat, et commeatibus juvabat; idem ex Afris Mahumetanis, qui oram maritimam incolebant, nec erant Hispanorum vectigales et clientes, ut quisque Carolo maxime infestus erat, aut cum nostris bellum gerebat, sic ei maxime favebat, ac interdum arma, tormenta, ceteraque instrumenta belli suis navibus liberaliter subministrabat.

III. Henricus igitur eodem animi vitio, postquam de Octavii Farnesii voluntate et animo a Carolo Cae-

sa-

sare propter repulsam alienato cognovit, sive sponte sua, sive ab Octavio per fratrem Horatium et amicos solicitatus omnem suam opem ei, si suam fidem sequatur, pollicetur, non modo ad Parmam retinendam, sed etiam ad Placentiam recuperandam, id ipsum causam belli fore ratus; quo in Italia conflato, et Christianis inter se hostiliter dissidentibus, occasiones sibi vel causas non defuturas existimabat Concilium Ecclesiasticum universale impediendi ac dissolvendi, quod magna Caroli cura et diuturno labore Tridentum jam rursus erat coactum; quippe in hanc rem, quam tandem perfecit, tota mente Henricus insistebat, non ignarus nihil se nec Carolo molestius efficere posse, nec Lutheranorum proceribus gratius, a quibus eo facto gratiam inire cogitabat, et eorum amicitia et societate ad Germaniam, ut a Carolo deficeret, solicitandam abuti.

IV. Itaque Concilio indicto, cum ad Julii Pontificis imperatum Episcopi undique convenirent, Henricus tamen nullum ex suo Regno ad Concilium venire passus est; quin etiam coacto Concilio, per legatum cum litteris et mandatis missum, apud ejus ordinis Patres primum de bello Parmensi, et Octavii Farnesii, qui ab Ecclesia et data fide desciverat, patrocinio suscepto se ita purgavit, ut omnem suam culpam in Pontificem insontem conferret, deinde, ut suo pravo consilio de Gallis Episcopis ad Concilium venire vetitis speciem necessitatis imponeret, periculo eos impeditos fuisse causatus est, quod aditus esset interclusus a militibus Caesarianis, qui vias obsiderent. Nam de sua in Eccle-

siam

siam universalem optima voluntate et studio, nihil esse, quod gravissimi Patres dubitarent, qui officia a Galliae Regibus majoribus suis eidem Ecclesiae praestita non ignorarent, unde cognomen eis *Christianissimorum* inditum: petere igitur et obtestari, ut incepto desisterent, atque id officium Ecclesiae necessarium in tranquilliora tempora rejicerent.

V. Atque haec quidem eo loco apud sanctissimos Patres, quibus res nota erat et Regis animus multis documentis perspectus, per legatum ficta oratione memoravit. Nam Pontifex injurias, quae sibi et Ecclesiae Rege ipso auctore inferebantur, jure naturali repellebat, et Carolus Caesar nihil magis cupiebat, quam ut undique frequentissimi Episcopi Tridentum convenirent. Ad summam sic egit per legatum Henricus, ut in re non modo seria, sed etiam sacrosancta impie ludere, et Concilium, quod totius Ecclesiae personam sustinet, ludibrio habere videretur. Henricus igitur, Octavii patrocinio suscepto, rebusque constitutis, octoginta aureorum coronatorum millia ei per Horatium Farnesium fratrem Castri Ducem stipendio mittit. Is enim, ut supra memoratum est, amicitiae inter eos et clientelae conciliandae interpres et auctor fuerat, cui vivente avo Paulo Pontifice Rex idem amicitiae confirmandae gratia filiam notham novem annorum puellam desponderat. Horatius, accepta pecunia, navim conscendit; et ora Ligustica, ne in Caesarianos incideret, vitata, in fines Florentinos delatus est, ibique cum pecunia comprehensus. Ceterum Cosmus Florentinorum Dux, quamquam erat Caroli cliens, noluit tamen suo

in posterum periculo alienis commodis servire, praesertim bello nondum inchoato; itaque libertatem Horatio, pecuniamque reddi jussit, qua Parmam perlata, conquisitoribus dimissis, coguntur manus, frequentesque milites tum ex novo delectu, tum ex iis, qui ad Taurinos, circumque eas regiones in praesidiis erant, frequentes convenerunt.

VI. His motibus nuntiatis, cognitoque Octavii consilio, Julius Pontifex litteris per caduceatorem missis Octavio denuntiat, ut fidei jurisque jurandi dati, et acceptorum beneficiorum memor ab officio ne discederet, adjecta poena, nisi paruisset, ut sacris interdictus in numero impiorum ac sceleratorum, bonis publicatis, hostisque Ecclesiae modis omnibus haberetur. Verum Octavius furore caecus, fide ac Pontificis monitis minisque contemtis, Gallici generis milites urbe recepit numero ad octingentos, et equites nonnullos, quibus omnibus Thermes ex Galliae proceribus Henrici voluntate praeerat: nam ex Italicis peditum duo millia, et equites ducenti quinquaginta cum praefecto Horatio eodem Farnesio convenerunt. Quam indignitatem Julius Pontifex minime ferendam ratus, consilio per litteras et nuntios cum Carolo Caesare, ad quem pars injuriae pertinere videbatur, communicato, statuit facinus in Octavio jure non solum, sed armis etiam vindicare. Sed quia Pontificatum nuper ingresso pecunia in stipendium non suppetebat, ducatorum aureorum bis centum millia a Carolo mutuatus peditum septem millia, et equites levioris armaturae quadringentos coëgit, et has copias Joanni Baptistae Montio fratris filio

ad

ad oppugnandam Parmam deducendas attribuit.

VII. Eodem tempore Fernandus Gonzaga, ut inter Julium et Carolum convenerat, cum Hispanorum peditum quinque millibus, et equitibus cataphractis centum quinquaginta, levioris armaturae mille quingentis, Mediolano circa solstitium aestivum movet, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus quinquagesimus primus, atque eas copias Tanarum fluvium duobus a Parma millibus trajectas in Parmensem agrum populabundus inducit. Paucis post diebus Pontificiae copiae perveniunt, quibus accedentibus, eruptionem adversarii fecerunt, et praelio tumultuario commisso acriter utrinque pugnatum, et Joannes ipse Baptista, et item Princeps Macedoniae militum tribunus vulnerati. Sed Fernandus Gonzaga, qui belli summam obtinebat, eumdem Joannem Baptistam cum ea manu, quam ductabat, Mirandulam contendere, ac obsidione premere jubet. Adversariorum duces, ut obsidentes copiae inde advocarentur et distinerentur, Petrum Strozum, qui militem conduceret, cum pecunia dimittunt, et, quid fieri velint, ostendunt. Is quatuor millibus hominum per Ferrarienses et Bononienses fines confectis agrum Bononiensem populari coepit.

ANN. M.D.LI.

VIII. Hoc nuntiato Gonzaga ad Joannem Baptistam mittit, ut in Strozum copias induceret, eumque ab injuriis et maleficio prohiberet. Sed earum copiarum adventantium nuntio tumultuaria illa et male armata manus perterrita dissolvitur, praeter equites centum, et totidem scloppetarios, qui et ipsi equis invehebantur, cum quibus Parmam revertenti Strozo Hora-

ratius Farnesius praesidii gratia cum ducentis equitibus obviam procedit. Contra hos Gonzaga factus per exploratores certior Manfredum Tornieli Comitem equites cataphractos quinquaginta, quibus praeerat, inducere jubet, simulque equites levioris armaturae, qui quatuor signa sequebantur, cum suis praefectis proficisci. Igitur noctu commisso praelio hostes fusi fugatique, et Horatius Farnesius cum aliis captus, nisi quod ignotus dum negligentius custoditur, fuga elapsus manus hostium evasit.

IX. Fernandus Gonzaga, quo facilius adversarios commeatibus prohiberet (nam urbem operibus et firmo praesidio munitam expugnare difficillimum esse intelligebat) circumjecta castella Parmensis agri occupare parat, in primisque Scornum, quod ipsum per se munitum trecentorum armatorum praesidio tenebatur, quia magnam commeatus Parmam importandi facultatem praebebat. Ergo Joanni Jacobo Medice Melignani Marchione, qui toti obsidionis officio praeesset, ad castra relicto, ipse cum Hispanorum manu, et parte equitatus, tormentisque quatuordecim Scornum progreditur. Bis magno militum ardore castellum oppugnatum est, diuque defensores fortiter propugnarunt. Postremo irrumpentium Hispanorum, quorum primus fuit Emanuel Luna centurio, impetum ferre nequeuntes sese in arcem receperunt, nec multo post rebus desperatis in potestatem Gonzagae permiserunt, a quo armis exuti, datoque jurejurando se hostibus in eo bello militarem operam haud amplius exhibituros, dimissi.

X. In castra reversus Gonzaga ad coenobium Sancti

cti Martini passibus a Parma mille consedit. Hoc cognito, adversarii castra ejus oppugnandi gratia, duce Petro Strozo, silentio noctis irrumpunt, et coenobium, qua parte fabri calonesque consederant, adoriuntur, ac eorum magnam partem concidunt; tum praelio cum militibus conserto duas amplius horas acriter utrinque pugnatum. Postremo multis vulneribus illatis et acceptis in urbem Galli repelluntur. Multae praeterea tumultuariae pugnae nocturnae diurnaeque varia fortuna factae, quarum una centum Hispani Italicique generis equites frumentatoribus praesidio missa magna multitudine adversariorum circumventi, egregie quidem sese ulti, tamen omnes fere perierunt.

XI. Multa praeterea castella Parmensis agri partim vi expugnata, quaedam per deditionem recepta, quorum Sorana fuit. Huic castello Gonzaga centum Italicorum equitum, et scloppetariorum Hispanorum quinquaginta praesidium imposuerat, cujus praesidii delendi gratia Andolotus et Sepierus ex Gallis proceribus, et item Fontanellae Comes, quod castellum Soranae vicinum est, Soranam ire properant cum ducentis equitibus bona ex parte Gallis, et scloppetariis quingentis; de quorum discessu cum esset per exploratores perlatum, Gonzaga Francesum Viamontium Francesi filium cum mille ducentis Hispanis peditibus, et equitibus Italicis trecentis suis auxilio mittit; commissoque in itinere praelio Galli fusi sunt, et equitum pars magna capta Andolotus quoque et Sepierus in Francesi potestatem pervenerunt, qui in castra deducti, cum se magno pretio redimere vellent, obstitit tamen Caroli Cae-

sa-

saris voluntas, ad quem propere nuntius delatus est, eoque jubente in arcem Mediolanensem missi, custodiaeque dati.

XII. Interea Brisacus Henrici Regis praefectus, qui Taurinos et Subalpinam regionem praesidiis obtinebat, velut insciente Rege, Chierum et Sanctum Damianum castella dolo cepit, et pretio corruptis custodibus, contra foedus et fidem a Rege datam occupavit, ea vero castella Caesarianis praesidiis, sed Italici generis, tenebantur. Henricus enim, ut bellum, quod animo agitabat, commodius pararet, et Carolum fiducia foederis imparatum invaderet, non vi aperta hostilem animum praeferebat, sed dolo et illatis causis per amicos et praefectos foedus multifariam violabat; qui, cum ei per legatum objiceretur, quod bello Parmensi concitato contra foedus facere videretur, se vero respondit a foedere non discessisse, nec bellum excitasse, sed amico suo fidem contra violentorum injuriam imploranti praesidium, quo se tueretur, submisisse, quem in periculo deserere contra officium esse judicasset; excepto igitur Parmensi negotio, se ceteris in rebus Caroli voluntati de foedere satisfacturum. Ceterum Gonzaga pacem a Gallis verbis ostentari, re autem bellum geri animadvertens, summam ejus belli et obsidionis Parmensis cum Italicorum quatuor, Hispanorum tribus millibus, Germanis mille ducentis Melignani Marchioni tradit, ipse Astam oppidum cum parte copiarum voluntate Caroli contendit, ut Gallorum fraudibus ea parte, et conatibus obsisteret.

XIII. Interea Joannes Baptista Montius Mirandulae ob-

obsidionem , copiis per quina castra dispositis , urgebat , quod castellum Ludovicus Picus , qui eidem imperitabat , sexcentorum Italicorum stipendio Gallico militantium praesidio tuebatur ; sed Julii Pontificis , qui Mirandulae negotium ad se nihil pertinere judicabat, voluntate Parmam movere cum coepisset , erumpentibus adversariis tumultuario praelio lacessitus occiditur , dum magno animo inter promtissimos versatur , in cujus locum Camillus Ursinus successit . Erat Mirandula cum ceteris operibus , tum fossa latissima aqua repleta undique munita. Parma vero munitionibus et firmissimo praesidio defendebatur , quae causa fuit , ut in longa obsidione tamen ab utriusque oppugnatione abstineretur . Itaque obsidione in mensem undecimum ducta, Julius Pontifex belli longitudinem pertaesus , petenti Octavio duorum annorum inducias concessit , Henricum Regem maxime respiciens , qui non modo bellum suis sumtibus alebat , sed etiam clericos Gallos Sacerdotiorum diplomata Roma de more petere prohibebat, quae res Pontificia et Romana vectigalia multum deterebat.

XIV. Cum Astam venisset Gonzaga , Franciscum Estensem Ducis Ferrariensis fratrem cum Italicorum tribus millibus , totidemque Germanis , et tormentis octo in quamdam militarem manum proficisci jubet , quae castris loco edito munitis Montiferratenses Astensesque fines excursionibus infestabat ; in quorum conspectum Estensis cum pervenisset , diffisus copiarum , quas induxerat , paucitati per litteras a Gonzaga Hispanorum manum sibi submitti poscit . Missi sunt cum Alvaro Sandio duo millia quingenti , quibus perductis hostes ob-

obsessi paucis diebus deditionem facere coguntur. Ceba quoque castellum per id tempus eisdem Gallorum artibus, et Italici praesidii perfidia in hostium potestatem venit. Cujus recipiendi causa Francesus Viamontius, Hispanorum peditum tribunus, cum ejus gentis militibus, qui septem signa sequebantur, properare jubetur: Cignechus deinde cum Germanorum tribus millibus, praeterea equites trecenti, ut jussi erant, subsequuntur. Sed accedentibus Hispanis, praesidium a Gallis impositum in arcem sese recepit; tunc eisdem nostris hanc oppugnare parantibus, et tormenta collocantibus, se in Francesi potestatem permiserunt.

XV. Carolus, ut a Concilio Tridentino et motibus Italicis propius abesset, Oenspruchum venerat, oppidum in finibus Regis Fernandi fratris situm ad ripam Oeni fluminis, qua pontem, unde nomen oppido, committitur, ibique cum paucis nihil hostile metuens morabatur. Henricus autem illius absentiam a Germania suam occasionem ratus, Germanorum principes, ut et ipsi a Carolo deficerent, seque in libertatem, quam ab illo ereptam videri volebat, vindicarent, et civitatibus deficiendi auctores fierent, magnis praemiis et pollicitationibus solicitare non desistit, appellatus initio a Mauricio Saxone, et Alberto Marchione Brandeburgensi, qui non obscure alienum animum a Carolo gerebant, praesertim Mauricius propter injuriam, quam in Philippo Lantgravio socero sibi fieri interpretabatur. Philippus enim, Mauricio, et Delectore Brandeburgensi, ut supra demonstratum est, auctoribus ac deprecatoribus se in Caroli potestatem ea conditione permiserat, ut vi-

vitae ipsius parceretur, nec premeretur perpetua custodia; tamen jam quintum annum arce inclusus praeter ipsorum opinionem tenebatur, qui paucorum dierum et liberam custodiam fore initio sibi persuaserant.

XVI. Cum Mauricio igitur et Alberto Brandeburgensi Marchione Rex Henricus per litteras et occultas legationes consiliis communicatis foedus facit ea cupiditate, ut obsides utrinque fidei constantiaeque causa dari vellet; eosque, ne sibi et amicis in tanta rerum occasione desint, hortatus, manus ipse cogit, et exercitum in Germaniam inducere parat. Mauricius autem et Albertus, quas copias post bellum Magdeburgense ab ipsis Caroli voluntate et auspiciis annuo spatio gestum atque confectum palam dimiserant, occulto hyeme ad ver proximum conducunt; quas dum tempore contrahunt, litteris per Germaniam quoquoversus dimissis et evulgatis causas exponunt consilii sui; quarum summa fuit: *Bellum se, inito cum Rege Gallorum foedere, justissimis ac necessariis ex causis suscepisse, ut periclitanti Religioni subvenirent, Germaniam a servitute vindicarent, et captivos Principes injuria laborantes liberarent; piam igitur causam omnes secum, ut fas esset, susciperent; siqui honestissimis suis conatibus obsisterent, eos se pro publicis hostibus habituros.*

XVII. Litteris dimissis, Mauricius Albertusque, et item Guilielmus Lantgravii filius contractas copias ad Rotemburgum conjungunt, et cum his, assectante Joanne Fraxineo Episcopo Bajonensi Henrici Regis legato, per Dinglaspalum et Norlingam, Donaverdam contendunt, et his oppidis deditione captis, Magistratus eis, quibus a Carolo Caesare mandati fuerant, abrogarunt,

aliisque tradiderunt, quod ubique faciebant, et pecuniam imperabant. Tum magnis diurnis et nocturnis itineribus Augustam, quae parvo Caroli Caesaris praesidio tenebatur, ire pergunt, perveniuntque Kalendis Aprilis; et urbe quarto die, dedentibus oppidanis, recepta, ibi quoque Magistratus mutant, et quos Carolus Senatu moverat, improbos homines, eoque ordine indignos, restituunt, et civitatem jurejurando adigunt, ipsam in eorum Gallique Regis potestatem futuram. Tum ad Norimbergam ceterasque Germaniae superioris civitates mittunt, et litteris hortantur, ut legatos de foedere mittant, qui cum mandatis sibi praesto sint Augustae ad Kalendas Majas.

XVIII. His motibus Tridentum nuntiatis Germani Antistites, qui ad Concilium convenerant, timore perculsi, ut suis rebus consulerent, discesserunt, ceteri fere incepto ad tempus desistendum esse censuerunt, et reliqua, de quibus disserere et constituere Concilium debebat, in commodiorem tempestatem rejicienda; sed ita ut omnia superioris temporis decreta, Conciliique consulta et judicia rata esse, et a Christianis omnibus recipi et observari oportere declararent; quamquam huic ad quartum Kalendas Majas facto decreto duodecim Episcopi, quorum plerique Hispani erant, de rejectione reclamarunt. Carolus, qui ad Oenspruchum jam diu morabatur, bellum sibi tum a seditiosis Germanis, tum a Gallis impendere animadvertens, venientibus malis occurrere coepit, et necessaria comparare. Itaque in Hispaniam ad Philippum filium nuntium litterasque mittit, ut militem Hispanum et pecuniam ad stipendium mi-

militare primo quoque tempore submitteret; in Germaniam vero ad principes, qui a fide et officio non discesserant, scribit hortaturque, dent operam, quo motus ille Germaniae perniciosus cohibeatur, atque otio et publicae quieti consulatur. Praeterea Joannem Federicum Saxoniae Ducem custodia liberat, accepto tamen ab eo jurejurando ipsum suo injussu a castris non discessurum. Hujus enim opera, et in Saxones gratia et auctoritate in Mauricii malum uti cogitabat.

XIX. Ex Augusta Albertus et Guilielmus infestis signis in Ulmenses movent, indignati, quod ea civitas societatem ipsorum aspernaretur, et imperata contemneret, seque ad obsistendum seditiosis eorumdem conatibus compararet. Ceterum sex diebus in obsidione urbis frustra consumtis, vastatisque agris, Stocachum oppidum Hegoniae progrediuntur, ibique stipendium trimestre militibus, ut convenerat, ab Henrico Rege per legatos solutum, et obsides utrinque traditi, a Gallo Gameus Marchianus (nam Tolietus obses alter futurus in itinere mortem obierat) a Germanis Principibus Christophorus Megelburgensis Dux, et Philippus Lantgravii filius; Mauricius autem Lincium deflexerat Pannoniae superioris oppidum, ut Fernandum Regem conveniret. Is enim superioribus diebus inter initia tumultus cum Mauricio per Henricum Plavium Bohemiae Cancellarium diligenter egerat, monueratque, ut a periculoso incepto et seditiosis consiliis desisteret. Nam ad id, quod cuperet, alia honestiore, tutiore, et magis compendiaria via se agente perveniri posse, ut Lantgravius aequis conditionibus liberaretur; ad quod impetrandum a Ca-

rolo Caesare suam operam, gratiam et auctoritatem pollicetur.

XX. Hujus igitur negotii, et pacis constituendae causa Mauricius ex sociorum voluntate, non ignaro, nec contradicente Fraxineo Regis legato, Lincium venit, et ad Regem Fernandum, Maximiliano filio et Alberto Bavariae Duce genero, et Caroli legatis, qui aderant, adhibitis, verba facit, ac de Lantgravii liberatione, de Religionis contentionibus minuendis, de Germaniae Republica constituenda retulit, et item de pace cum Rege Gallo socio, et sibi foedere conjuncto facienda, deque venia proscriptis a Carolo danda, et ceteris rebus, quae ab ipso et a sociis communi consilio constitutae fuerant, postulavit.

XXI. Ad ea Fernandus ex sua legatorumque sententia, quibus Caroli sensus non erat ignotus, respondit: „Non recusare Carolum Caesarem, quin, si ab „armis fuerit statim discessum, Lantgravius liberetur. „Quae vero Religionem et Rempublicam attingerent, „de iis coacto Concilio Germaniae ex Principum et „civitatum sententia statui oportere. De proscriptis Ca„rolum exorari posse, si ejus imperata obedienter fa„ciant, et quas dederit, conditiones accipiant. Verum „de Rege Gallo turbarum omnium auctore minus fa„cile impetrari posse; licere tamen Mauricio, ut ab „eodem Rege de ipsius voluntate et pacis conditioni„bus exquirat, ut his cognitis commodius possit de pa„cificatione deliberari."

XXII. De his rebus cum fuisset disputatum, negavit Mauricius sui arbitrii aut potestatis esse sociis in-

con-

consultis quidquam statuere. Itaque placuit, ut Mauricius ad socios reverteretur, et consilio cum eis communicato in colloquium rediret; cui colloquio locus dictus est ad Passavium oppidum inter Lincium et Ratisbonam, qua Oenus fluvius in Danubium influit; dies autem ad septimum Kalendarum Junii, a quo die quatuordecim dierum induciae paulo post pactae fuerunt. Mauricius in castra reversus, quae Guilielmus Lantgravii filius, et Albertus Melbergensis ad Laugingam habebant, Othonis Henrici Palatini oppidum (nam hujus fines occupaverant) copias recenset, movensque iter ad Alpes flectit; nam Brandeburgensis interea cum suis copiis, quarum numerus erat equitum duorum, peditum vero ad decem millium, ab illis digressus fuerat, et eas in fines Volsgangi ordinis Teutonici Magistri, deinde in Noribergensem agrum nihil ab injuriis et maleficio temperans induxerat.

XXIII. Dum haec ad Germaniam geruntur, Henricus Rex Gallorum cum parte copiarum, quas ingentes coëgerat, Anna Memoransio Comestabili antecedere jusso, ipse cum reliquis subsequitur, nuntiis et litteris ad oppida Imperatoriae ditionis, qua iter facere cogitabat, dimissis, quibus de suo in Germaniam adventu certiores faceret, petens simul rogansque, ut sibi ad communem Germaniae libertatem asserendam proficiscenti ipsorum voluntate liceret per eorum fines sine injuriis et maleficio copias inducere, nec gravarentur commeatus communi pretio transeuntibus suppeditare. Quo dolo et amicitiae simulatione Comestabilis Metim Imperatoriam urbem ex primariis occupavit, deceptis Me-

Metensibus ficta ejus oratione de Regis suoque in ipsos et ceteros Imperatorios clientes studio et propensa in communem libertatem asserendam voluntate praedicantis. Cumque ea fraude a credulis Metensibus, ut se urbe reciperent, impetrasset; portas et munitiora loca contra datam fidem occupata praesidiis tenuit, et Rex ipse paulo post eodem progressus, quatriduoque moratus, omnibus arma tradere, et in unum locum conferre jussis, Senatum populumque compulit, ut dato jurejurando se in ipsius potestate fore pollicerentur, et praesidium imposuit, Gonnorumque praefecit, similique dolo et vi Tullum et Virodunum et Lotharingiam occupavit, et praesidia imposuit.

XXIV. Hoc cognito, Argentoratenses et cetera ejus tractus, qui est ad Rhenum amnem, oppida sese muniunt, et ad propulsandas injurias necessaria comparant. Rex Argentorati potiundi spe dejectus, multis detrimentis illatis, Haganoam, inde Vissiburgum copias induxit; quacumque pergeret, commeatus imperare, et siquod oppidum imperata detrectasset, vim afferre atque agros populari. His rebus cognitis, Palatinus, Moguntinus et Treverensis, item Clevensis et Vitemburgensis Principes Vormaciam colloquendi et Reipublicae causa conveniunt, communicatisque consiliis, communem legationem ad Regem mittunt oratum, ut Imperatoriae ditionis Germanique nominis mortalibus parceret, et milites ab injuriis et maleficio prohiberet: non decere, nec esse consentaneum, ut qui se Germaniae libertati et commodis studere praedicet, is Germanorum oppida per vim occupet, et agros populetur: precari, ut

ut injuriis modum faciat, ac exercitum, qui sine Germaniae magna injuria et jactura progredi nequeat, in suam Galliam reducat, hoc Germanos, seque in primis pro magno beneficio habituros; quod si non impetraverint, se suae ac sociorum et amicorum saluti et commodis contra externorum injurias consulturos.

XXV. Eodem fere tempore legatio haec ad Regem perlata est, et litterae a Mauricio redditae, quibus ipsum de colloquio ad Lincium habito docebat, et de conditionibus, si ipse quoque foedus inire vellet, exquirebat, simulque nuntii afferebantur de populatione et clade, quibus Martinus Rossemus Galliam Regiam devastabat. Is enim inter initia hujus Gallici tumultus cum exercitu peditum triginta, equitum sex millium a Maria Caroli sorore per eam partem, quae *Picardia* dicitur, missus fuerat, ut Galliam omni belli clade vexaret, eaque ratione Regium exercitum averteret. Quibus rebus adductus Henricus ab incepto sibi desistendum putavit; nam neque Mauricii consilium de pacificatione probabat, et consensu ac legatione Principum deterrebatur; sed gravissima reducendi exercitus causa fuit, ut suis laborantibus subveniret, ne, dum foris novis imperiis studet, et amicorum voluntati servit, domesticum periculum et suorum popularium jacturas negligere videretur.

XXVI. Ceterum Mauricio de pacis conditionibus, si commune foedus placeret, exquirenti, rescripsit: Non esse Gallorum Regum consuetudinis pacem ab hoste petere, praesertim eo, cui nec potentia, nec opibus, nec re alia sint inferiores: se tamen paci obstiturum esse negat, siqua fie-

fieret Germanorum publico bono accommodata, et a sua dignitate et commodis non abhorrens. Ad Principum legationem „Se vero, respondit, eo locorum cum „exercitu nullis privatis rationibus servientem processis„se, sed ut publicae Germanorum libertati, et capti„vorum Principum liberationi consuleret, quod magna „ex parte consecutus sibi esse videretur, qui sua exer„citusque praesentia, aliisque rationibus rem eo dedu„xisset, ut spes certa sit melioris ac liberioris Ger„manicarum rerum status, et Principum custodia libe„randorum: huc cum accedat, ut hostilis exercitus „suos fines incendiis et populationibus vastet, statuisse „sese exercitum quamprimum reducere, seque pollice„tur daturum operam, ut id cum nullo aut minimo „Germanorum detrimento fiat, quamquam non esse no„vum, nec praeter bellorum consuetudinem, ut milita„ris licentia longius interdum, quam Dux aut Impe„rator vellet, etiam in socios et amicos prodeat, quod „se nuper invitissimo in Germani nominis quosdam „accidisset.“

XXVII. His datis responsis, circa Idus Majas retro castra movet, et per Lotharingiam ad Lucemburgum delatus, agrum populari, aedificia incendere non desistit; quae cum Galli facerent, Rossemum sese imitari dicebant. Henricus per oppida capta dispositis praesidiis, reliquas copias ad Atrebates dimisit; Rossemus enim paulo ante domum redierat. Interea Mauricius et Guilielmus in eam partem, qua Oenspruchum, ubi Carolus morabatur, per Alpes est iter, exercitum convertunt, et Caesarianas copias, quae angustias faucesque mon-

montium obsederant, quaeque ad Rutam castra posuerant, facto impetu profligarunt; tum Erebergum angustiis impositam arcem, custodibus dedentibus, praeter omnium opinionem receperunt; erant enim praesidio Alpinis claustris militum ad octo millia, quibus angustiis occupatis Mauricius, tertia copiarum parte cum omni equitatu ad Rutam et Fiessam, ut hic aditus esset praeclusus, viam obsidere jussa, ipse cum reliquis Oenspruchum ire pergit, ubi Carolus nullo praeter cohortem praetoriam praesidio securus agebat.

XXVIII. Carolus de praesidio pulso, et capto Erebergo, quod abest ab Oensprucho bidui via, deque adventu Mauricii cum cognovisset, raptim inde discedit, et Villacum Pannoniae superioris oppidum ad Dravum fluvium magnis nocturnis diurnisque itineribus contendit, Joanne Federico Saxoniae Duce, quem superioribus diebus liberaverat, assectante. Nam Fernandus frater Romanorum Rex, qui discedentem fuerat secutus, viam unius diei progressus substitit, et flexo itinere in Germaniam contendit, siqua ratione posset initiis tantorum malorum occurrere. Mauricius paulo post Oenspruchum intrat, nemine repugnante, et res a Caesarianis raptim et turbate proficiscentibus relictas diripit; nam oppidanis, eorumque et Regis Fernandi rebus pro amicitia diligenter ut parceretur, edixerat, nec ultra progressus in Germaniam eadem, qua venerat via, regreditur; sed Guilielmo Rutam Fiessamque agmen ad reliquas copias deducendi cura demandata, ipse Passavium recta contendit; jam enim dies colloquio conventuique constitutus appetebat.

XXIX. Convenerant autem Passavium Rex Fernandus et Albertus Bavariae Dux ; praeterea Caroli Caesaris et Electorum omnium aliorumque Principum et quarumdam civitatum legati ; in quorum conventu Mauricius verba facit, Germaniaeque conditionem deplorat, quae ab externis cum injuria Germanorum administretur ; jus et auctoritatem Principum Electorum plurifariam minui conqueritur, et rationes excogitari, quibus jus suffragii Electoribus eripiatur, externum militem in Germaniae perniciem inductum, eamdem pecuniis et bellicis tormentis exhauriri, multaque in eam sententiam disserit, ut Germaniam paene in servitutem redactam esse doceat. Quibus malis latius in dies serpentibus occurrere atque mederi, maxime quidem ad Caroli Caesaris, sed partim etiam ad Principum Germanorum et civitatum Senatus, et Magistratuum officium pertinere ; illud vero in primis tum justitiae et aequitatis Caroli Caesaris, tum Germaniae dignitatis rationem postulare, ut Lantgravius, qui jam quintum annum indigna custodia retineatur, in libertatem vindicetur. Ac Mauricius quidem in hanc sententiam locutus est.

XXX. Fraxineus autem Henrici Regis legatus (nam hic quoque Passavium venerat) facta in conventu dicendi facultate, de vetere Gallorum Germanorumque necessitudine multis verbis disseruit, et officia mutua, quibus plurimis eorum amicitia confirmata fuisset, commemoravit ; tum quaedam ad Caroli Caesaris tamquam injuste et avare Germanis imperantis invidiam pertinentia proposuit, et de injuriis a Carolo Regi suo, et illato bello, et rebus ablatis, vana et impudente querimonia

nia expostulavit : contra vero Henrici Regis sui justitiam et humanitatem laudibus in caelum extulit, illudque in magna ejus laude posuit, quod a Mauricio et Alberto Brandeburgensi Germanicae libertatis vindicibus ipsius opem implorantibus admonitus, Germanorum causam libenter pro sua justitia et necessitudine ac propensa in eam nationem voluntate suscepisset, qui quamquam foedere cautum esset inter ipsos, ne illi absque Regis voluntate et permissu cum hoste paciscerentur, hanc tamen conditionem Mauricio pro amicitia remitteret, modo Principes captivi liberentur, et modis omnibus Germaniae libertati ac dignitati consulatur. Quod autem Rex Fernandus et ceteri Principes et legati ab Henrico Rege de pacis conditionibus, si pacisci vellet, per Mauricium exquisivisset; non esse Regum Gallorum consuetudinis pacem ab hoste petere : tamen si ei res ablatae restituantur, ac de injuriis satisfiat, ipsum pacem publicae quietis gratia non esse aspernaturum.

XXXI. Ad hanc Fraxinei orationem paucis Fernandi Regis conventusque nomine responsum est : „Perjucundam sibi perque gratam orationem fuisse, qua „Fraxineus de vetere Gallorum Germanorumque necessitudine et mutuis officiis commemorasset; se eosdem „Henrici Regis animum in eo maxime probare, quod „Germanorum consiliis de pace gratiaque reconcilianda impedimento esse nolit : de Principibus vero captivis magnam esse spem brevi eos esse liberandos. „Quod de bello a Carolo Caesare illato, et rebus ablatis, ceterisque injuriis memorasset, id cujusmodi

„ esset, sese non intelligere; licere tamen Henrico suam „ querimoniam et postulata apertius proponere, et latius, si pacem velit, explicare: se vero, qui publici Christianorum boni otiique causa, quominus pii „ pateant impiorum externorumque injuriis, Principes „ omnes Christianos idem sentire, et concordes esse „ maximopere cupiant, pacis et concordiae conciliandae „ libenter interpretes esse futuros. "

XXXII. Atque haec quidem ad Henrici Regis legationem: ad Mauricii vero postulata in hanc sententiam responderunt: „ De remediis malorum et ceteris „ rebus ad justam et salutarem Germaniae administrationem pertinentibus disputationem, cum res ad omnes pertineat, ad commune totius Germaniae Concilium rejiciendam esse videri; Carolum Caesarem hoc „ esse animo, ut nulla ex parte officio suo et aequitati dignitatique Germaniae sit defuturus, cujus Caroli auctoritatem et dignitatem esse salvam interesse „ vel maxime dicunt ad Germaniae dignitatem, eoque „ minus Germanis proceribus committendum esse, ut „ fidem ac officium obliti, Principis et Imperatoris sui „ majestatem minuere et contemnere videantur. De Lantgravii liberatione non se dubitare, quin a Carolo possit suis precibus impetrari, modo ipsi, qui bellico tumultu Germaniam conturbassent, depositis armis, ad „ sanitatem redirent. "

XXXIII. Haec igitur in conventu publice responsa data. Ceterum separatim Rex Fernandus indignantem Mauricium, quod Lantgravii soceri liberatio differretur, et quod sibi vana spes fuisset ostentata, conquerentem, bo-

bono animo esse jubet, seque pollicetur paucis diebus ad Carolum iturum, et cum ipso de Lantgravii liberatione perquam diligenter acturum; seque negat dubitare, quin frater suis precibus sit concessurus. Hac spe Mauricius in castra regreditur: Rex Villacum ad Carolum proficiscitur, ab eoque Mauricio veniam et Lantgravii liberationem impetravit; ea lege, ut Mauricius, quas copias ductabat, in Pannoniam inferiorem induceret, belli pro ipso Fernando Rege cum Turcis gerendi causa, et ad certum tempus suis sumtibus aleret; quamquam ea potissimum ratio Carolum impulit, quod domesticis dissensionibus ab injusti et turbulenti Regis, cui cuncta mala accepta ferebat, injuriis persequendis avocari vel impediri nolebat. Igitur Philippo Lantgravio libertas iis conditionibus reddita est, quae ad Halam Saxoniae dictae fuerant, et sponsio renovata. Mauricius autem cum copiis in Pannoniam, uti convenerat, profectus.

XXXIV. Albertus enim Brandeburgensis Marchio, ut erat homo seditiosus, et minus de Lantgravii liberatione laborabat, omissa ea cura, magis rerum novarum studio ducebatur, ac eas regiones, quae sunt ad Rhenum fluvium, incursionibus infestare, et modis omnibus male habere non desistebat. Carolus Caesar adhuc sese Villachi continebat, ira odioque flagrans non tam in seditiosos Germanos, quam in Regem Henricum injuriarum principem et auctorem, quem bello persequi animo cum arderet, tamen exspectandum sibi statuit, ut nova manus ex Hispania cum pecunia ad stipendium militare submitteretur: cujus rei causa superiori-

ribus diebus Joannem Manricum cum litteris et mandatis ad Philippum filium miserat. Quo diligenter paterna jussa administrante, militum ad quinque millium manus celeriter confecta est, et Malacam missa: huc enim Andreas Doria quinquaginta longarum navium classem, ut erat imperatum a Carolo, compulerat. Praeterea signati argenti magna vis importata, quae summa ducatorum aureorum decies centena millia valebat; aurum enim fere omne bellis superioribus consumtum fuerat, et in Italiam et Germaniam Caroli Caesaris voluntate in stipendium militare, partim etiam externorum fraude compendii gratia in Galliam deportatum; exhausta scilicet Hispania, quam auro repleverat novus terrarum orbis in ditionem redactus.

XXXV. Sublatis ad Malacam militibus, pecuniaque imposita, classis littora legendo Barcinonem progreditur, inde se in altum dedit, et gravi tempestate per sinum Narbonensem jactata Genuam paulo post Kalendas Julias appulit, qua classe multi ex Hispana nobilitate voluntarie cum Duce Albano, qui fuerat a Carolo nominatim evocatus, navigarunt. Horum fuere Fernandus Cardona Neapolitanus Almirantus, Ludovicus Requesensius equitum Sancti Jacobi ex Castella praefectus; praeterea Jacobus Corduba Comarensis Marchionis filius stirpis maximus, Emanuel Ponzius Leo Baileni Comes, cum duobus filiis Roderico et Emanuele, Alfonsus Aguilarius Feriae Comitis et Priegi Marchionisae filius, Ludovicus Quixada, Fernandus Roxas Marchionis Dianensis fater; item Joannes Mendoza Rivera, Fernandus Acugna, Joannes Ulloa, Alfonsus Fonseca.

Co-

XXXVI. Copiis expositis, et parte cum quatuor signis in Subalpinam regionem, ut totidem inde veteres milites deducerentur, missa, viri nobiles, quos nominavi, magnis itineribus ad Carolum contenderunt, et quidam etiam cum Duce Albano mutatis ad celeritatem equis profecti sunt, et Carolo ex Villacho redeunti obviam juxta Oenspruchum facti. Carolus enim, ubi de classis appulsu perlatum est, dimissis per Germaniam conquisitoribus, qui manus cogerent, Oenspruchum revertit, qua Hispanis proxime conscriptis et classe transportatis iter erat in Germaniam. Hos autem ducebat Joannes Guevara Hispani peditatus tribunus, quibus se quatuor signorum veterani milites, de quibus demonstratum est, adjunxerant. Praeterea quatuor Italicorum millia, quibus Marchio Melignani praeerat, ex Mediolanensibus praesidiis deducta, et equites Hispani, qui sex signa sequebantur, eadem via in Germaniam contendebant.

XXXVII. Jam aestas processerat, agebaturque mensis Augustus, cum Carolus Oenspruсho movet. Meninchам progressus, quod oppidum est in finibus Bavariae Ducis, biduo ibi commoratur, dum copiae, de quibus diximus, perveniunt. Sed nondum eo pervenerat Carolus, cum legati Augustanorum ei praesto fuerunt, a civitate sui purgandi causa missi, qui dicerent: non se volentes, sed invitos et coactos, cum tantae multitudini pares esse non possent, Mauricium et Albertum oppido recepisse: petere ac suppliciter orare, ut necessitati veniam daret, et consueta clementia in civitatem uteretur, imperata ipsius, ut jus et fas esset, obe-

obedienter facturam, eumdemque et praesidium libenter recepturam.

XXXVIII. Carolus, accepta excusatione, Fernandum Toletum Ducem Albanum cum exercitu praemittit, eoque cum parte copiarum urbe recepto, ipse postridie ingressus est; cui accedenti Magistratus et primores civitatis obviam prodierunt, cumque his Joannes Federicus Dux Saxoniae, qui pridie intraverat. Huic Carolus suppliciter petenti dextram dedit, et liberalius ac hilarius, quam ante, affatus est, et paulo post Augusta decedens domum abeundi potestatem fecit; Magistratus autem ad pedes descenderunt, ac demissa supplicique oratione Carolum affati, ipsi quoque veniam impetraverunt. Quindecim dies Carolus ad Augustam moratus est, dum milites novo delectu per Germaniam conscripti conveniunt, Senatumque in eum, quem ipse constituerat, statum restituit.

XXXIX. Ceterum Kalendis Septembris et ipse cum parte copiarum, et Toletus Dux Albanus, quem sibi delegaverat, proxima scilicet sibi imperandi facultate tributa, cum reliquo exercitu Augusta profecti, Toletus in Vitemburgensem Ducatum copias inducit, Carolus Ulmam contendit, cujus civitatis Magistratus sibi obviam progressos liberali oratione prosecutus est, et civitatem, quod in officio et fide perstitisset, collaudavit. Nam hi, et item Argentinenses, et Francafortenses, et Ratisbonenses quatuor Imperatoriae ditionis civitates, maxime omnium in fide permanserant, et in illa rerum perturbatione bellicisque tumultibus Carolo suum officium praestiterant, et ob eam rem a Gallis, seditio-

tiosisque Germaniae Principibus vexati fuerant; sed Landavium oppidum conjunctis copiis cum esset perventum, dies amplius quindecim stativa ibi Carolus habuit, dum manus undique conveniunt, et frumentum, reliquusque commeatus comportatur.

XL. Hic rursus partitis copiis, Toletus cum Hispanis Italicisque militibus ac Germanorum octo millibus proficiscitur; praeterea equitibus Germanis mille quingentis, Hispanis vero levioris armaturae, quibus praeerat Ludovicus Avila, sexcentis; Metimque progressus, eam urbem obsidere et oppugnare constituit, unde non longe aberat Albertus Brandeburgensis Marchio, de quo supra memoravimus, qui cum exercitu pedestri duodecim millium Germanorum et mille quingentis equitibus eas regiones infestabat: nam Trevirorum oppidum occupaverat, impositoque praesidio, circum ea loca praedabundus vagabatur. Ceterum, ubi de nostrorum adventu nuntiatum est, Treviros deserens in Galliam interiorem sese recipiebat; quamquam idem Gallis quoque suspectus erat, non ignaris, ipsum moleste ferre, quod Henricus Rex Metim urbem Imperatoriam, quam initio necessitate praesentisque belli causa ad breve tempus occupasse videri volebat, in perpetuam possessionem imposito praesidio retineret, indignantem praeterea, quod stipendium ab eodem Rege pactum sibi non mitteretur.

XLI. Quibus rebus cognitis Toletus (nec enim obscure, aut varie ferebantur) consilium inire coepit, ut Albertum ab amicitia Regis averteret, Caroloque reconciliaret, et eadem opera Gallicas minueret, et Caesa-

rianas copias augeret, quod Carolo non ingratum fore reputabat, animadvertens Albertum in eadem esse causa, qua fuisset Mauricius, cui Carolus veniam dedisset, ut expeditius injurias Regis bello persequeretur. Ad eam rem conficiendam Nassavi Comitem, qui in castris aderat, virum magnae auctoritatis et Alberti amicum, opportunum esse judicans, ei negotium mandat. Ab hoc per nuntios et litteras Albertus de Albani voluntate certior factus, facile adducitur, ut optatam occasionem in veterem gratiam cum Carolo redeundi sibi praetereundam non putaret; itaque per epistolam gratias agit Albano, utque negotium suscipiat, seque in Caroli veterem gratiam restituat, comprecatur; quod Albanus a Carolo, qui totus mente et studio in bellum Gallicum insistebat, non ita aegre ad Volquenam Lotharingiae castellum impetravit. Huc enim ex Landavio progresso Carolo Albanus, posteaquam Metim loci naturam considerandi gratia cum expeditis processerat, praesto fuit, et consilia de rebus omnibus communicavit.

XLII. His rebus constitutis Carolus, quem morbus articularis, ut frequenter solebat, invaserat, Teunvillam Lotharingiae permunitum oppidum a Meti duodecim circiter millia passuum sese cum paucis recipit, dimisso Albano, et rerum omnium pro sua fide et prudentia curam habere jusso. Albanus cum reliquis copiis in castra revertit, litterisque et nuntiis ad Albertum missis atque remissis, res ita convenit, ut superiorum malorum oblitterata memoria, Albertus cum suis in castra Caesariana transiret, et stipendia mereret. Hujus consilii suos Alber-

bertus certiores cum fecisset, pedestres copiae, nisi stipendio duorum mensium, quod ipsis debebatur, persoluto, se dicto audientes fore negaverunt; cujus motus ac secessionis Aumalius Guisii Principis frater, qui duo Gallorum equitum millia ductabat, nec aberat longe, factus per exploratores certior, Alberti castris duorum millium modo intervallo relicto suos admovit, ut animos contumacibus adderet, et per occultos internuntios eosdem, ut in officio et fide Regis perstarent, praemiis et pollicitis adhortaretur.

XLIII. Albertus, cognito Gallorum consilio, ne spatium novandis rebus relinqueret, statim cum solo equitatu in Gallos movet; ceterisque subsequi jussis, cum tertia ferme parte ipse antecedens, tanta vi in eos impetum fecit, ut primo congressu funderet in fugamque verteret; qua in fuga ducenti amplius Galli desiderati, plures capti, et dux ipse, tribus acceptis vulneribus non letalibus, vivus in manus Germanorum Albertique pervenit; capta praeterea duo signa militaria, quibus ad Albanum praemissis, et militibus ad officium reversis, novoque sacramento adactis, Albertus in castra Caesaris copiis omnibus contendit. Venienti Albanus equitum duo millia trecentos obviam praesidioque proficisci jubet; praeterea quingentos equos ad tormenta, quae numero erant quinquaginta septem, convehenda submittit. Itaque nemine iter remorante, in Metis conspectum pervenit, et trans Mosellam flumen consedit, ut hostis undique subsidio et commeatibus prohiberetur, nam ceteras partes nostri partitis copiis obsederant.

XLIV. Magnam igitur urbem tum operibus, tum firmo peditatus equitatusque praesidio munitam, magnus exercitus obsidebat, peditum Germanorum Belgarumque quadraginta sex, Italicorum quatuor, et sex Hispanorum, equitum vero earumdem gentium decem millium; obsidendi autem consilii Dux ipse Albanus paene solus auctor fuit, idque Carolus per litteras et nuntios probavit, dum Gallis contra tantas taliumque nationum copias nihil tutum fore existimaret, et nihil hostile a tergo relinquere vellet, ceteris praefectis dissentientibus, et anni tempore locorumque ratione dehortante. Ad undecimum enim Kalendas Novembris Metis obsideri coepta est, in Belgio Galliarum maxime septentrionibus subjecta regione, caelo quoque magnis imbribus lacessente.

XLV. Ceterum Albanus ad summam curam et diligentiam obsidionis et oppugnationis urgendae nihil sibi reliquum faciebat, omnem apparatum oppugnandarum urbium muris admovere, loco tormenta collocare, aggeres excitare, et ab his muros turresque concutere, cuniculos ad firmiores turres agere, ut supposito incensoque tormentario pulvere discuterentur; firmitudo tamen munitionum hostilium, temporis saevitia, nimborum niviumque frequentia et magnitudo cunctam administrationem impediebant et frustrabantur. Praeterea caeli eadem et temporis inclementia militum corpora sic afflictabat, ut ex frigore et madente humo, cui accubabant, contractis morbis, multi quotidie deperirent, jumentis quoque partim incommoda stabulatione, partim inopia pabuli passim intereuntibus.

His

XLVI. His malis in dies augescentibus, Carolus, qui de rebus omnibus certior quotidie fiebat, et Albanus, quamquam re infecta discedere instar mortis videbatur, tamen necessitati ac tempori cedendum esse constituerunt, ne non cum Gallis, sed cum frigoribus et nivibus, ad summam cum ipsa natura bellum gerere viderentur. Itaque Kalendis Januariis ineunte anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio castra moveri jussa, cum jam hominum supra viginti quinque millia morbo et temporis incommodis interiisse inita ratione compertum esset. Nam hostili ferro levibusque praeliis, quae initio obsidionis Gallis erumpentibus facta fuerunt, vix quadringenti nostrorum desiderati fuerant. AN. M.D.LIII.

XLVII. Jam vero morbus et frigus ex omni numero minus mille Italicos reliquos fecit; qui deni duodenique sine ordine et imperio domum reverterunt; Hispanorum pars tertia consumta, et in his Ludovicus Toletus, Gaspar Quignonius Comitis Lunae frater, et Emanuel Ponzius Leo Baileni Comes. Tormenta bellica jumentorum, quae agminatim interierant, inopia, et quod itinera luto erant impeditissima, in naviculas imposita, et Mosella primum, deinde Rheno secundis fluminibus in Flandriam invecta; milites autem Germani partim domum dimissi, partim Teunvillam Trevirosque et alia opportuna oppida in praesidium deducti; Hispani in Ecclesiam oppidum, et Cameracum item praesidii hybernorumque causa discedere jussi. Carolus ipse ex Teunvilla per Lucemburgum Bruxellas circa Februa-

bruarii Kalendas, afflicta valetudine, pervenit. Eodem fere tempore Martinus Rossemus, de quo supra memoravi, cum exercitu magnis incommodis multisque detrimentis Galliae illatis, domum hybernandi causa redivit.

XLVIII. Eodem anno bellum Carolo in Gallos comparanti de magno classis Turcicae adventu nuntiatur, quam Henrico Solymanus pro amicitia, tamen stipendio Gallico, in auxilium mittebat. Ad quem nuntium Carolus in Italiam ad suos praefectos mittit, ut Madruccius quatuor Germanorum millia, quibus praeerat, portui Veneris admoveret; Andreas Doria, huc appulsa classe, eam manum in triremes imponeret, et Neapolim, cui a Turcica Gallicaque classe periculum metuebatur, properaret, ut eo praesidio urbs Regni caput adversus internam perfidiam et vim externam munitior esset. Nam Fernandus Sanseverinus Salerni Princeps, partim indignatione, quod a Prorege, non inscio, nec obsistente Carolo, parum indulgenter haberetur, judiciorumque metu, partim animi levitate inductus, ad Regem Gallorum perfugerat, nec desistebat Neapolitanos per occultos interpretes ad defectionem solicitare.

XLIX. Sublatis autem Germanis Doria in Pontiae insulae conspectum triremibus triginta quinque noctu progressus, in Turcas incidit naves ad eam insulam reficientes, qui, ut nostris ante Solis occasum ex loco edito prospectis sese ad rem gerendam comparaverant, subito in antecedentes naves invecti sunt, ceterisque fu-

ga

ga elapsis, septem interceperunt, in quibus septingenti amplius Germani cum Madruccio praefecto capti, pauci propugnando concisi; sed captivorum grex omnis paulo post a Prorege aureorum ducatorum quindecim millibus redemtus fuit; praefectus autem postea a Christophoro Madruccio fratre viginti millibus; is autem erat Episcopus Tridentinus et Ecclesiae Romanae Cardinalis, ut supra demonstratum est.

L. Ceterum ea clade, quam in obsidione Metis Caesarianum exercitum accepisse demonstravimus, Rex Henricus sublatus ita se jactabat, quasi ea non alienissimi temporis saevitia et grassante morbo, sed suis armis Gallorumque virtute fuisset illata. Itaque magnis spiritibus sumtis, epistolam litteris Latinis ad Principes et universam Germanorum nationem nec vere nec graviter conscripsit, in qua cum Caroli virtutum ac laudum obtrectatione de sua modestia et justitia et publici boni Christianorum studio magnifice praedicabat, Germanosque hortabatur, ut ab ipso Carolo in ea rerum occasione et reflatu fortunae deficerent, seque adjutore uterentur, eamdemque epistolam nihilo graviore consilio ad Lutetiam Parisiorum, ut per totum orbem Christianum circumferretur, typis excudendam mandavit; quam epistolam huic scriptioni ut insererem, oportere non putavi, tum quia constat eam inimicissimo animo fuisse conscriptam, tum quia plurimum abhorret ab iis, quae ipse in hac eadem historia, ut diligenter et fideliter habebam explorata, ad memoriam posteritatis conscripseram, et quae ceteri ejusdem aetatis

tis rerum gestarum scriptores gravissimi consentientes prodiderunt, quaeque sunt orbi Christiano publice persuasa; quod meum consilium ad ipsius quoque Henrici famam et Regiae gravitatis opinionem pertinere certum habeo, quem accurata sua exhortatione apud Germanos nihil profecisse constat.



JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE
LIBER VIGESIMUS OCTAVUS.

I. DUM haec in Gallia Belgioque geruntur, Senenses, qui jure Imperatorio erant in Caroli Caesaris clientela, inita cum Gallis amicitia, ipsorumque opibus freti, ab illo defecerunt, a quo jam pridem animos gerebant alienos propter injurias, quas Hispani milites oppidanis inferebant; horum enim praesidium Carolus Caesar initio Senensibus non invitis imposuerat ad factiones et domesticas seditiones cohibendas, quibus inter se frequenter agitabantur; sed ob eam maxime causam, quod verebantur, ne ipso auctore sua Respublica in tyrannidem verteretur, non ignari scilicet Paulum Pontificem Maximum cum ipso Carolo diligenter egisse, et pro amicitia et affinitate rogasse, ut Octavium Farnesium generum suum, et ejusdem Pauli nepotem Ducatus titulo Senensibus perpetuo jure praeficeret; quod quamquam ab eo non fuerat impetratum, Senenses tamen, ne mutata ejus voluntate quidquam in suam libertatem Florentinorum exemplo statueretur, metuebant.

II. Qui timor tunc maxime Senenses incessit, cum arx coepit opportuno loco extra, sed juxta urbis mu-

rum Caroli voluntate aedificari, ut eam obtinente praesidio, civitas quasi fraeno injecto facilius in officio contineretur. Jam enim quosdam ex primoribus civibus Rempublicam administrantibus rebus novis studere, ex interceptis ipsorum litteris ad Henricum Gallorum Regem scriptis compertum Carolus habebat, et ob eam rem cum saepe Senenses cunctis ab eo precibus per legatos contenderent, ne invitissima omni civitate contra ejus libertatem et dignitatem arcem exaedificari pateretur, impetrare numquam potuerunt.

III. Quo igitur tempore arx aedificabatur, auctore Jacobo Mendoza, qui Roma, ubi Caroli Caesaris legatione apud Pontificem fungebatur; Senas ejusdem Caroli voluntate ad sedandas seditiones venerat, Senenses per occultas legationes ad Regem Gallorum opem oratum mittunt contra vim et injuriam Caroli (sic enim ajebant) ut ejus auxilio praesidium Caesarianum ejicerent; nec enim ignorabant, Henricum omnes occasiones molestiam et negotium exhibendi Carolo diligenter arripere consuevisse; qui Senensium patrocinio suscepto opportunos homines in Italiam cum pecunia et mandatis ad homines conducendos mittit.

IV. Hi Regis administri et quidam ex Senensibus, quibus civitas occulte de his rebus mandaverat, inter se collocuti, cum Nicolao Petilani et duobus Sanctae Florae Comitibus consilia communicant, ac ex Regis civitatisque mandatis, quid fieri velint, ostendunt. Comites, suscepto negotio, Romae et circum ea loca peditum ad sex millia et equites sexcentos conduxerunt, per causam portus Herculis, et portus *Sancti Stephani*, Se-

Senensis ditionis, muniendorum adversus Turcarum classem, quae oram illam adnavigabat; re autem vera, uti ea manu Senas inducta praesidium Caesarianum sexcentorum Hispanorum, quo urbs obtinebatur, ejicerent. Sed hoc consilium Francesum Alavam praesidii praefectum non latuit. Itaque Romam ad eumdem Jacobum Mendozam Caroli legatum, et ad Fernandum Gonzagam, qui erat in Mediolanensis Principatus procuratione, a quo ipse Senas cum Hispanorum praesidio missus fuerat, scribit, et de motu Senensium et periculo etiam a Gallis certiores facit, ab eisque tum praesidii supplementum, tum stipendium poscit, quo milites, qui omnium rerum inopia laborarent, subleventur. Litteris porro Jacobi Mendozae et Fernandi Gonzagae factus certior Carolus ad Cosmum Medicem Florentinorum Ducem, suum clientem suarumque rerum in primis studiosum scribit, rogatque, ut Senense negotium susciperet, et Hispanorum praesidio, siquid opus esset, opem ferre ne gravaretur, dum Germanorum auxilium, quod mittere cogitaret, perveniret, et reliqua huic bello necessaria providerentur.

V. Hanc Caroli epistolam, qui per id tempus Oenspruchi morabatur, Jacobus Mendoza Romae acceptam Franceso Alavae remisit, per litterasque mandavit, ut ipse ad Cosmum perferret, et de rebus Senensibus edoceret. Cosmus, epistola perlecta, et quo in statu res esset (quod ipse non ignorabat) a Franceso etiam edoctus, liberaliter ei respondet, et auxilium pollicetur; sed ita cum suarum ipse rerum periculo consuluisset, quod eis esset a Turcarum classe, quae cir-

ca Plumbinum et oram illam vagaretur; siquid tamen interea periculi et tumultus ad urbem Senas oriretur, sibi a Franceso renuntiari jubet, seque pollicetur, subsidii quantum satis esset, in tempore submissurum, modo Francesus ipse cum praesidio viginti horarum spatio adversariorum impetum post acceptum a se nuntium sustineret.

VI. Hoc accepto responso, Francesus Senas redit, nihilo meliore spe de rebus Senensibus concepta, cum praesidium, quod rerum omnium inopia premebatur, nec commeatu seu stipendio sublevaretur; quod praesidium ante hunc Senensium motum et animorum alienationem partim civitatis, partim ipsius Caroli stipendiis alebatur. Ceterum Gallis auxiliis accedentibus, et in urbem receptis, cum oppidani ad arma concurrerent, et conjunctis auxiliis impetum in Hispanos facere pararent, Francesus, nuntio cum litteris Florentiam ad Ducem Cosmum advolare jusso, ipse suos milites, qui praeter paucos, qui arcem inchoatam et immunitam obtinebant, intra urbem partim in coenobio Dominicano, partim per vacuas domos diversabantur, cum tormentis contrahit, forumque et alia opportuna loca urbis, et arci proximam portam obsidet, ne aditus auxilio venientibus, si, ut sperabatur, in tempore venirent, esset obseptus; fortiterque oppidanorum atque praesidii Gallici impetus tolerabat.

VII. Neque vero Florentinus Francesi postulatum prorsus neglexit, qui milites ad octingentos cum Othone Montacuto praesidio celeriter subsidio misit, postridieque majores copias se missurum esse pollicitus est; quae

quae cum diutius morarentur, adversariique urgerent, magnis difficultatibus Francesus afficiebatur: arx enim inchoata non erat tutum perfugium, quae nec foribus clausa, nec tormentis et reliquo belli apparatu munita, nec commeatu instructa erat; stipendium nullum suppetebat, et cuncta erant inopia pecuniarum imparatissima. Cum igitur Senenses hoc unum missa legatione postulassent, ut Hispanorum praesidium urbe cederet, hoc si facerent nulla mora interposita, se illis nihil esse nocituros, consilium cum centurionibus communicat, visumque est in tanta et rerum iniquitate et paucitate militum tantae hostium multitudinis impetum diutius sustineri non posse; placuit igitur tempori et postulatis Senensium concedere, et quiescentibus adversariis urbe discesserunt signis explicatis, Orbitelumque maritimum Senensis ditionis castellum sese contulerunt mense Julio, qui fuit annus Chisti millesimus quingentesimus quinquagesimus secundus. AN. M.D. LII.

VIII. His rebus cognitis Carolus Franciscum Toletum cum litteris et mandatis in Italiam properare jubet, et, quid fieri velit, ostendit. Is Florentiam ad eumdem Cosmum Medicem, inde Neapolim ad Petrum Toletum Proregem cum pervenisset, et utrique Caroli mandata exposuisset; communi sententia, quae ad bellum Senensibus inferendum pertinerent, constituunt, et coactis manibus, rebusque necessariis comparatis, Petrus Toletus, Hispanorum tribus millibus in triremes impositis, ipse quoque cum multis ex Regni proceribus Liburnum Pisasque navigavit, expositisque militibus, cum his Florentiam progreditur; Garcias autem filius cum

cum reliquo Germanorum et Italicorum peditatu, et item cataphractorum et armaturae levioris equitatu per terram profectus Florentiam pervenit; adjunctisque Hispanis mari advectis, et praeterea tribus Italicorum millibus in Florentinis Perusinisque finibus confectis, exercitum voluntate patris in Senenses fines inducit, multaque castella capit, et in his Monticellum natura munitissimum, et mille hominum praesidio firmatum, qui acriter propugnantes multorum dierum obsidionem sustinuerunt, magnis etiam pluviis et frigoribus media scilicet hyeme omnem administrationem impedientibus; sed Caesarianorum virtute et constantia castellum centum ipsorum desideratis tandem expugnatum est.

IX. Ex Monticello Garcias Toletus movens Montalcinum copias inducit, oppidum loco et opere munitissimum, et item magno praesidio firmatum, quod dum obsidetur, Petrus Toletus Florentiae, quo tempore profectionem in exercitum parabat, in morbum incidit, ex quo non convaluit: obiit autem octavo Kalendas Martias insequentis anni; qui casus quamquam belli conficiendi spem multum minuit Caesarianis, obsidio tamen Montalcini perducta est in mensem Majum. Tunc vero Julius III. Pontifex Maximus Viterbium progressus sese in pacificationem interposuit; cujus rei gratia Franciscus Toletus ex Florentia cum Caroli Caesaris mandatis, et Senensium legati Viterbium convenerunt, et post longam disceptationem pax, auctore Pontifice, certis conditionibus convenit, non tam partium firmo consensu, quam Pontificis auctoritate promittentis, et in se recipientis negotium ex Caroli Caesaris et Senensium volun-

luntate aequis conditionibus se confecturum. Ita Garcias Toletus, obsidione Montalcini soluta, copias Neapolim reduxit.

X. Carolus paucis mensibus interjectis, iniquo animo ferens exercitum suum Senensibus finibus re infecta discessisse, rursus ad Cosmum Medicem Florentinorum Ducem, et Franciscum Toletum, qui ad eamdem urbem morabatur, scribit, ut bellum in Senenses renovarent, et res necessarias, quam occultissime fieri posset, compararent, tradita eidem Cosmo imperandi summa, ut per se vel per ducem Senense bellum administraret. Cujus rei causa Jacobus Medices Marchio Melignani ex Insubribus evocatur, communicatisque consiliis, aliud belli capitur initium. Itaque Hispani quadringenti per speciem praesidiorum, quibus Dux suas arces firmari vellet, Florentiam evocantur; praeterea Italicorum ad sex millia in finibus Florentinis confecta, et Pogibontium convenire jussa, quod castellum a Senis abest duodecim circiter millia passuum.

XI. Rebus constitutis, ceteras copias, quas ex Neapolitanis et Mediolanensibus praesidiis Carolus deduci, et in Hetruriam proficisci jusserat, longum visum est exspectare. Itaque Melignani Marchio, cui Cosmus summam tradiderat ejus belli administrandi, pridie Kalendarum Martii insequentis anni Florentia cum ea quadringentorum Hispanorum manu, de qua diximus, discedens, Pogibontium venit, et paucarum horarum spatio eisdem Hispanis ad corpora curandum dato, ceteris postridie se subsequi jussis, cum his ineunte secunda noctis vigilia Senas proficiscitur, tertiaque exacta impro-

provisus adest, et munitissimum propugnaculum suburbanum, quod erat ad Camoliam portam, magno impetu oppugnare aggressus, custodibus sexaginta, a quibus tenebatur, concisis occupavit. Initio enim belli Senensis Termes Gallus ex procerum numero ab Henrico Rege missus, qui belli summam obtineret, non solum urbis muros, qua parte infirmiores erant, reficiendos curavit; sed etiam loco edito et opportuno ad portam Camoliam propugnaculum erexit, praesidioque firmavit, ne is locus ab hostibus occupatus facultatem eis daret arctius urbem obsidendi, et commodius oppugnandi.

XII. Propugnaculi igitur oppugnationis tumultu et clamore intra urbem exaudito, cum magna omnium perturbatione ad arma concurritur, Senensibus Gallici praesidii, Gallis oppidanorum fraudem metuentibus; ceterum re cognita, ubi primum illuxit, utrique eruptione facta propugnaculum recipiendi causá praelium cum Hispanis commiserunt, pugnatumque diu est magna contentione; tandem Senenses ducentis amplius suorum amissis, re infecta sese in urbem receperunt; ex Hispanis autem triginta omnino desiderati. Deinde cum Italicorum manus, quae fuerat ad Pogibontium relicta, pervenisset, nostri non solum Camolias munitiones facile tuebantur, sed etiam Senenses multifariam male habebant, nec tamen urbem obsidione cingere pro sua paucitate poterant, donec ex Insubribus Germanorum tria, ex Neapolitanis praesidiis Hispanorum duo millia trecenti pervenerunt. Ex quatuor enim navibus, quae Hispanorum tria millia instrumentaque belli sustulerant, una, qua septingenti circiter vehebantur, intercepta fuit,

fuit, cum in Gallicam decem triremium classem littora legentem circa Plumbinum incidisset; reliquae Liburno appulsae, unde expositi milites per terram, et Germani, de quibus demonstratum est, in castra cum pervenissent, Marchio circum Senas a mille et a duobus passuum millibus praetoria et coenobia locis opportunis occupavit, et operibus praesidiisque firmavit, et sic viis omnibus obsessis obsidionem urgere coepit, et hostes commeatibus arcere, quotidianisque incursionibus infestare.

XIII. Interea Senenses et Petrus Strozus, qui Henrici Regis voluntate post Termis discessum urbis custodiae praeerat, per nuntios et litteras Henricum eumdem de rebus omnibus certiorem faciunt, et auxilium orant; conquisitoribusque dimissis Gallorum ope in finibus Ferrariensibus, Parmensibus, et ad Mirandulam Italicorum peditum sex millia confecta sunt, et equites sexcenti levioris armaturae; praeterea Grysonum Germanorumque quatuor millia conducta; quae manus cum adventare nuntiatae essent, Petrus Strozus, ad quem summa belli administrandi ab Henrico et Senensibus delata erat, ut venientes exciperet, simulque commeatibus in urbem congestis parceretur, proficisci parat, et cum quatuor hominum millibus et equitibus trecentis urbe, nostris spectantibus, nec obsistentibus, digreditur; magnisque itineribus per Florentinos fines progressus Arnum flumen duodecim passuum millia supra Pisas trajecit, ingressusque Lucenses fines, non invita civitate, ibi stativis castris munitis copias jam accedentes exspectavit. His adjunctis, castra movet, et subsidio

Senensibus redire pergit, donec ei Marchio, qui jam Arnum copias trajecerat, factus est obviam. Is enim cognito Petri Strozi consilio, relicta in obsidione ad munita loca copiarum parte, quae vias obsideret, cum ceteris eadem via, ut hostilibus conatibus occurreret, proficiscitur; trajectoque Arno, castris venientium hostium castra non longe a Piscia oppido contulit, ut iter eorum remoraretur, dum milites, qui nostris in supplementum mittebantur, pervenirent, aut impeditos in transitu Arni adoriretur. Igitur in tanta castrorum propinquitate quotidiana fere consuetudine levibus praeliis varia fortuna dimicabatur.

XIV. Paucis diebus interjectis, Joannes Luna Mediolanensis arcis praefectus ex Insubribus a Xuario Figueroa ejus Provinciae tunc temporis praeside nostris subsidio missus adventare nuntiatur, et cum Italicorum peditum quinque millibus et equitibus cataphractis ducentis trecentisque levioris armaturae Pisas pervenit, quo item mille Hispani ex iis, qui ad Corsicam insulam cum Gallis et Turcis, qui bonam ejus insulae partem occupaverant, bellum gesserant, per idem tempus appulerunt, et cum illa manu sese conjunxerunt. Petrus Strozus cum binis hostium castris hinc inde sese obsessum esse animadverteret, omnibus consiliis praeferendum statuit, ut Arnum omni adhibita celeritate trajiceret; itaque octavo Kalendas Julias mane movens, Arnum, nemine iter remorante aut impediente, progreditur, et qua parte nuper, eadem tunc suas copias incolumes nostris nihil impedientibus trajecit; quam culpam et negligentiam Marchio et plerique

que alii in Joannem Lunam conferebant, affirmantes ipsum praemisso equitatu, et copiis subsequentibus hostes morari, et impeditos in transitu distentosque aggredi, et magnum detrimentum inferre potuisse, atque eo magis, quod ejus equitatus tempore affuit, et leve praelium cum trajicientibus hostibus conseruit. Joannes vicissim Marchionis negligentiam accusabat, et in eum erroris culpam rejiciebat.

XV. Strozus, trajecto Arno, agmine ad omnes casus composito procedit; nostri eum bipartitis copiis, ut erant, et saepe novissimum agmen carpentes insequebantur, donec in fines Senenses urbisque conspectum perventum est. Tum vero Strozus circum Senas peditatu superior, inferior equitatu, nostris, quocumque moverat, assectantibus vagabatur, donec a Petro Pacheco Cardinali, qui post obitum Petri Toleti Regnum Neapolitanum procurabat, missa in supplementum manus pervenit. Hi autem fuerunt Italicorum peditum octo millia bipartita cum Pepolo Comite et Camilo Columna praefectis; ad haec cataphracti equites ducenti, et levioris armaturae trecenti; quibus in Caesariana castra perductis, auctisque praesidiis, quae per loca munita Senas obsidebant, urbs arctius obsidetur, exercitibus, ut prius, dum suam quisque rei bene gerendae occasionem captat, circumvagantibus.

XVI. Interea ex nostris Italicis militibus multi passim dilabebantur, maxime ex iis, quos Joannes Luna soluto unius mensis stipendio ex Insubribus adduxerat, in magna scilicet cibariorum inopia, qua exercitus uterque premebatur, et angustiis rei pecuniariae, quae

Caesarianis ad stipendium persolvendum non suppetebat. Itaque noster exercitus in eam paucitatem redactus erat, ut tredecim armatorum millium numerum non expleret, cum hostilis viginti millium esset. Qua multitudine fretus Strozus, in fines Florentinos suas copias induxit, et Marchianum Fajanumque castella in confinio Senensis agri, nostris, qui a tergo sequebantur, prospicientibus et quiescentibus, cepit; tum utrique brevissimo intervallo relicto castra munierunt, ubi ambo exercitus rerum necessariarum inopia vehementer laborabat.

ANN. M.D.LIV. XVII. Huic malo Strozus ut mederetur, septimo die, qui fuit postridie Kalendarum Augusti anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, ante lucem, tormentis impedimentisque praemissis, castra movet, compositoque agmine proficiscitur. Hoc cognito, Marchio, qui hanc suam occasionem fore praedixerat, ut hostem in itinere sarcinis impeditum aggrederetur, equitatum revocat, qui aquandi causa paulo antea discesserat; et ceteris arma sumere jussis, equitum praefectis antecedere, et in hostilem equitatum impetum facere praecipit; ipse pedestres copias, praesertim Hispanos et Germanos, paucis cohortatus, ut soliti pauci multo majores copias superare, memores pristinae virtutis hostes invaderent, acie instructa subsequitur, in cujus fronte Hispanos, circumjectis sclop-petariis, collocavit. Ceterum hostilis equitatus, ut erat numero et robore longe impar Caesariano, ejus primum impetum ferre non valens effusam fugam, nostris insectantibus, capessit.

Stro-

XVIII. Strozus animadversa suorum equitum fuga, nec certamen detrectare valens, aciem instructam in nostros convertit, brevique oratione suos et ipse cohortatus, cujus orationis exitus fuit : ne fuga equitum suorum animo deficerent ; id enim ex industria seque jubente factum esse, ut fugientes hostilem equitatum, qui robur esset adversariorum exercitus, se insectantem longius removerent, ut certamen ad solum peditatum rediret, quo ipsi longe superiores essent ; proinde, bona spe concepta, hostes nec meliores bello, et longe pauciores magnis animis adorirentur : *Quin agite*, inquit, *illam vos mihi pusillam aciem fundite, atque delete, perstabo, in vestram potestatem omnem Italiam perventuram*. Monstrabat autem primam aciem, quae Hispanorum manus sexcentorum hastatorum erat, Germanis et Grysonibus oppositam, qui Hispani more gentis nostrae flexis genibus praelium udituri, opem divinam et delictorum veniam, siquid eis accidisset, precabantur.

XIX. Intererat autem inter duas acies fossa sicca quidem, sed lata. Hanc Hispani, ut venientes hostes transirent, exspectabant, ut iniquo illorum loco manus consererent, quam fossam Germani Grysonesque, contemta nostrorum paucitate, quin etiam Hispanis illudentes, quos, ut sibi parcerent, flexis genibus supplices ipsis esse cavillabantur, transire non dubitarunt. Tres hostium ordines citra fossam transgressos Hispani conspicati, tanta vi in eos procurrerunt, ut primo impetu tres illos ordines frangerent, praecipitesque in fossam darent ; itaque aliis super aliorum capita concidentibus, et nostris ex loco superiore subeuntes repellentibus,

ma-

magna hostium perturbatio primum, deinde fuga consecuta est, ceteris simul Caesarianis rem fortiter acriterque gerentibus, qui fugientes consectati magnam eorum stragem ediderunt. Perierunt autem in hac pugna et fuga ex hostibus quatuor millia, sex autem capta sunt; nostrorum centum quinquaginta desiderati, quorum fuit Garcias Gongora centurio Cordubensis, vir egregia virtute et domi nobilis. Petrus Strozus, amisso exercitu, Lusignanum primum, deinde loco diffisus Montalcinum sese fuga recepit. Itaque hoc praelio copiae hostiles deletae sunt, atque ita dissipatae, ut praeter paucos Germanos, qui Senas confugerunt, nusquam deinde vel quinquaginta hominum manus ex fuga in unum locum convenerit; sed ne victoria nostri uterentur, Senasque in eo timore et trepidatione oppugnatum procederent, inopia rei pecuniariae factum est, militibus nisi stipendio persoluto bellum detrectantibus, praesertim Germanis, qui mensis etiam, quo dimicatum erat, duplicatum stipendium suo more postulabant; quin etiam Italici fere, qui reliqui fuerant, ob eamdem causam castris excesserunt, exceptis iis, qui per loca a nostris circum urbem munita in praesidiis erant.

XX. Ceterum diebus aliquot interjectis, Marchio cum Germanis jam accepto stipendio volentibus, et Hispanis movens, castella circumjecta, unde commeatus Senas submittebantur, occupare parat; sed tanta fuit castellanorum obstinatio, ut nullum fuerit paulo munitius castellum, quod deditionem facere animum induceret; itaque omnia, dejectis muris, vi capta sunt, et pu-

puberes omnes exempli terrorisque causa trucidati, nec satis proficiebatur, non enim cessabant undique rusticos homines cum commeatu in urbem submittere, quos fere nostri diurnis nocturnisque incursionibus agrum continenter infestantes intercipiebant, eosdemque Chiapinus Vitellus praefectus binis aut ternis aureis nummis a militibus emtos in patibulum agere jubebat.

XXI. In tanta rerum iniquitate Senenses, ut angustiis rei frumentariae mederentur, quotidie homines sexu vel aetate bello inutiles urbe cedere cogebant. Verum nostris, ut nihil intentatum relinquerent, placuit, ut silentio noctis Christi natalem diem antecedentis urbis moenia scalis tentarentur ad eum potissimum locum, ubi arcem inchoatam Senenses diruerant; sed scalis, quae admotae fuerant, altitudinem muri non exaequantibus, conatus frustra fuit, quamquam defensores nihil impediebant; qui re sero, si scalae suppetissent, cognita, sumtis armis cum advolassent, unum dumtaxat militem Hispanum offenderunt, qui solus in summum murum evaserat. Is telo, quod *Alabarda* dicitur, fortissime tantoque animo diu, dum se tueretur, dimicavit, ut hostibus demirantibus terrorem incuteret, nec prius occumberet, quam multis concisis sese egregie ulcisceretur; ita ut ne hostes quidem tantam virtutem suo praemio fraudandam putarent, qui postridie virtutis honorisque causa corpus ejus sepulturae honorifice tradiderunt. Nec multo post ipsa quoque urbis moenia ex consilii ad Florentiam coacti sententia tormentis concussa sunt, sed irrito conatu, tum propter muri firmitudinem, tum quia res, ut Marchio-

chione contradicente fuerat decreta, sic negligenter administrabatur.

XXII. Per id tempus ex Germania tria ejus gentis hominum millia cum electo praefecto in supplementum imminuti exercitus a Carolo missa; ex Neapoli vero Hispanorum duo, ex Corsica paulo ante devecta, quam manum Canariae insulae praefectus ducebat, in castra pervenerunt. Sic aucto exercitu, parte ad obsidionem relicta, aegrotante Marchione, Carolus Gonzaga cum reliquis ad occupanda maritima Senensis ditionis castella proficiscitur, quibus castellis fere omnibus vel expugnatis, vel ad deditionem compulsis, in castra Marchionis redit. Nec interim nostri, viis omnibus obsessis, cessabant agrum Senensem noctes et dies incursionibus infestare. Quibus rebus fracti Senenses, et frumento reliquoque commeatu deficiente, rebus denique desperatis, Florentiam ad Cosmum Ducem et Franciscum Toletum legatos de deditione et pace miserunt, quae non iniquis conditionibus eis data est; itaque ejecto Gallico praesidio, Senenses Caesarianum Hispanorum Germanorumque urbe receperunt mense Aprili anno
ANN. M.D.LV. Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto.

XXIII. Ceteris vero copiis in oram maritimam inductis, castellum expugnatum est portui Herculis, unde nomen accepit, impositum, quod Galli magnis intra extraque operibus addito firmo praesidio munierant, et Hispanis custodiendum datum. Quibus dirutas munitiones reficere incipientibus, Turcica centum amplius longarum navium classis sese ostendit, quae a Rege Gallorum pro amicitia et societate in malum Caesariano-

rum

rum excita, oram maritimam infestabat. Sed Turcae, Elba Florentinae ditionis insula frustra tentata, portu Herculis Hispanisque vitatis, in Plumbinum Florentinae item ditionis castellum incubuerunt, idque tribus suorum millibus expositis acriter oppugnare coeperunt. Ceterum Flestus, de quo supra diximus, trium millium Germanorum praefectus, qui forte non procul cum suis aberat, opportuno tempore subsidio laborantibus castellanis pervenit; consertoque praelio, post longiorem contentionem, cum esset acriter utrinque dimicatum, Turcae Germanorum impetum ferre nequeuntes terga verterunt. Hos fuga se ad naves recipientes insectati Germani, multos occiderunt, ita ut in praelio et fuga dimidium amplius Turcarum sit caesum, et, si equitatus vel exiguus fuisset, poterat eo die omnis illa Turcarum manus deleri.

XXIV. Cum Tarvannam in Morinis Regiae ditionis oppidum, opere et praesidio munitissimum, oppugnari Carolo Caesari placuisset, exercitus confectus est peditum triginta millium, quorum quarta fere pars Hispani erant, equitum vero sex millium. Erat autem Hispani peditatus tribunus Joannes Guevara; equitibus Hispanis, qui numero erant ad septingenti, Ludovicus Avila praeerat, Religiosorum equitum Alcantarae praefectus; sed belli summa Adriano Rufio Belgae tradita fuit, quamquam hic paulo post in castris morbo interiit, in ejusque locum Venicurtus successit. Tarvannam hae copiae cum circumsedissent, tormentis loco idoneo collocatis, magno impetu quatere murum aggrediuntur, et parte diruta, qua homines sexaginta simul intrare

posse viderentur, acie instructa milites ex omni natione in oppidum irrumpere jubentur; sed cum esset ad ruinas perventum, longe difficilior, quam putabatur, aditus repertus est, altus et praeceps, nam pars inferior muri concuti dejicique nequiverat. Itaque duas amplius horas cum esset acriter utrinque dimicatum, nostri, qui ex obliquo tormentis lacessebantur, suorum mille circiter amissis aut vulneratis, incepto desistere, pedemque referre coacti sunt; ex hostibus ad quadringenti desiderati, et in his praesidii praefectus.

XXV. Qui nuntius cum esset in aulam Imperatoris perlatus, magnum cunctis moerorem et oppidi potiundi desperationem attulit. Accessit ei malo, quod paucis post oppugnationem praeliumque diebus ducenti quinquaginta milites ex Hesdino, quod castellum inde aberat iter unius diei, subsidio missi sunt, et qua parte Belgae consederant, ipsos fallentes noctu quarta vigilia in oppidum recepti. In castris autem, quo jam Ludovicus Quixada venerat, missus a Carolo Caesare, ut Hispano peditatui legatus (*Coronelum* nostri nominant) praeesset, convocato praefectorum concilio, placuit, ut ductis ad fossam cuniculis tria magna tormenta idoneo loco collocarentur ad munitiones demoliendas, unde nostris fossam ingredientibus magnopere ex obliquo nocebatur; quo administrato, munitionibusque disjectis, etsi nostri ad fossam cum minore periculo versabantur, tamen, ut tutius res gereretur, quinque tecti cuniculi altiores ad murum usque, qua parte concussus non fuerat, ducuntur.

XXVI. Galli, hoc cognito, ipsi quoque contra cuni-

ni-

niculos agunt, ut occultis nostrorum conatibus occurrerent; sed neutri quidquam profecerunt; nam hostes in unum ex nostris cuniculis tunc ignem injecerunt, cum operarii, quos urere cogitabant, ex opere discesserant; a nostris in tres cuniculos subter murum et munitiones pulvere tormentario supposito et incenso, in duobus res frustra fuit, tertio murus dirutus; sed terra muro aggesta, et interiores munitiones integrae permanserunt.

XXVII. Interea Vega miles Hispanus, qui captus a Turcis machinarum artifici in bello serviverat, Ludovicum Quixadam legatum adit, et, si praemio sibi foret, et necessaria subministrentur, se per hostiles munitiones aditum, qua viginti armati simul irrumpere possint, aperturum promittit. Ille hominem collaudat, et, ut rem suscipiat, cohortatus, pollicitis oneratum dimittit. Vega machinas fabricatur eis similes, quas *Vineas* veteres Romani nominabant, crassissimis tabulis tectas, et contra omnem ictum, si superne lacessantur, invictas, quibus, cum essent invectae, et moenibus admotae, tecti tutique fabri militesve murum suffoderent. Hae vineae, quas nostri *mantas* Hispano vocabulo ex similitudine nominant, ex fossa in editiores munitiones hominum impulsu, et rotularum parti cujusque antecedenti subjectarum adjumento subvehuntur, hostibus superne magni ponderis saxa frustra convolventibus, crassasque trabes cum rotulis impellentibus. Itaque munitiones cavari diruique coeptae, quo tempore Joannes Quixada Ludovici frater milites ad opus cohortandi gratia progressus scloppeti telo confossus est, postridieque exspiravit.

XXVIII. Gallos, cognito periculo, seque tum sub-

terraneis meatibus, tum inusitatis machinationibus circumveniri et oppugnari animadvertentes, metus magnus incessit, ne aditus hostes sibi patefacerent, aut tormentario pulvere incenso defensores ipsi cum munitionibus in sublime projecti opprimerentur; itaque palam de deditione loquebantur, et Memoransiacum Gallici Comestabilis filium, ad quem, sublato oppugnatione superiore praesidii praefecto, imperii summa redierat, hortantur obtestanturque, ut rebus tam profligatis legationem de pace mittat, et cum hostibus, quacumque ratione possit, paciscatur. Nostris vero ducibus, cum jam advesperasceret, nec satis essent necessaria ad irrumpendum parata, rem in posterum diem differri placuit, sed nocte insequente pedites Hispani ad murum progressi, partim in fossa, partim ad cuniculos, quidam ad superiores munitiones pernoctaverunt, signaque canere, et hostibus subinde oppugnationem magno tympanorum strepitu intentare non desistebant.

XXIX. Itaque Galli de labore pervigilioque fessi, et suis rebus magis diffidentes, caduceatorem ante lucem mittunt, ut viri graves colloquendi gratia in locum certum mitterentur. Missi sunt Ludovicus Quixada et Glajonus; ex hostibus autem duo viri primarii affuerunt. In colloquio Galli sortem suam miserati, et fortunae accusata iniquitate oppidum sese dedere velle dixerunt; sed ea conditione, ut omnes milites pedites equitesque armati cum suis rebus omnibus et tormentis explicatisque vexillis discedere, nulla affecti injuria, permitterentur. Ad ea nostri, se vero non paciscendi, sed Gallorum voluntatem cognoscendi gratia a ducibus suis,

suis Venicurtoque missos fuisse responderunt ; Gallorum igitur postulata se ad duces relaturos; ceterum rem frustra fore existimare , nam tales conditiones vix eos postulare solitos esse , qui integris munitionibus , necdum ariete percusso muro , ad hostium accessum oppido cedere dubia fortuna velint ; ipsos Gallos in eam rerum iniquitatem esse redactos , ut recte cum eis actum iri videatur , si vitam modo a Caesarianis pacti in deditionem accipiantur .

XXX. Relatis cognitisque Gallorum postulatis , duces nostri eis renuntiari jubent , se non aliter milites ab irruptione et direptione oppidi contenturos , quam si Galli , armis et equis omnique apparatu belli relictis , sese in Caroli Caesaris potestatem sine ulla conditione permitterent . Quo responso legati per internuntios accepto , mortem tam turpi deditioni ipsos praelaturos esse jactantes discedunt ; sed paulo post tres alii mittuntur , qui mitiores honestioresque conditiones peterent . His duces hoc dumtaxat a se impetrari posse responderunt , ut praefectis nobilibusque viris in ipsorum potestate remanentibus , gregarii milites non solum ceteris rebus , sed armis etiam exuti , incolumes abire sinantur . Hoc audito , legati orantes , ut tantisper , dum ipsi suos de ducum voluntate certiores faciunt , responsumque referunt , ab impugnatione praelioque abstineretur , abeunt ; nostri id ipsum renuentes , seque interea quieturos esse negantes , ad oppugnationis locum revertuntur .

XXXI. Ceterum jam milites ducum injussu oppidum invaserant ; nam dum mittendis et remittendis le-

ga-

gatis, et conditionibus tractandis tempus teritur, oppidani jam de conditionibus convenisse rati, ad murumque progressi, magna voce milites nostros sic alloquuntur: „Amici, o amici, en ipsi nos in vestram potesta„tem fidemque permittimus.“ Quo exaudito, milites in muros celeriter evadunt, in oppidumque irrumpunt, nemine repugnante. Hoc animadverso, custodes in aversam partem confugientes in Belgas et Germanos inciderunt, qui, ut solent in hostes etiam victos nec repugnantes interdum saevire, majorem ipsorum partem conciderunt, et complures vulnerarunt, quorum fuit praefectus ipse Memoransiacus, qui vulnus in brachio cum accepisset, a Venicurto, qui tempore affuit, percunctando cognitus, ne perimeretur, servatus est.

XXXII. Expugnata Tarvanna, Carolus a suis ducibus certior factus consultusque, in hostes, quibus gladius pepercisset, eadem eos uti conditione jubet, quam paciscentibus dabant; oppidum autem, quod parum loci natura defendebat, magnis impensis et praesidio muniri non placuit; sed dirui potius, ne amplius esset belli causa. Cujus dirutionis et item tormenta reparandi gratia paucis diebus interpositis, Hesdinum movent, quod castellum cum arce munitissima firmo delectorum peditum mille ducentorum et quinquaginta, equitum vero trecentorum, quorum multi erant viri nobiles, praesidio tenebatur. Ceterum tormentis idoneo loco ad castellum oppugnandum collocatis, Galli quarto die moenibus diffidentes, castello relicto, in arcem sese insequente nocte receperunt, postridieque octo signorum milites Belgae eodem successerunt.

In

XXXIII. In hos Galli ad quadringenti hastati scloppetariique circa meridiem erumpentes, impetum cum fecissent, acriter utrinque pugnatum est, donec Hispani scloppetarii trecenti cum Bezerra centurione a Ludovico Quixada subsidio missi sunt, quibus accedentibus, facile hostes in arcem repelluntur. Tum in aliam partem ad arcem oppugnandum commodiorem tormenta transferuntur, qua parte nullus murus arcem muniebat, sed cum magna fossa terreus tumulus altus et praeceps, vix quo posset expeditus et inermis evadere, tegebat. In hujus vertice planities erat excavata, quam agger ab ea parte muniebat, bello superiore a Gallis excitatus (nam saepe Hesdinum a Gallis et Caesarianis receptum, et vicissim amissum fuerat) superiores munitiones duo propugnacula ex obliquo defendebant, et item duae turres hinc inde fossam tuebantur. Utraque transversa munimenta validis tormentis Caesariani per Belgas hujus artificii peritissimos administros octo amplius dies continenter cum oppugnassent, non tamen, quantum satis esset, profecerant. Itaque nostris aditum explorandi gratia securius accedentibus, eorum quatuor occisi sunt telis obliquis, tres vulnerati.

XXXIV. Ceterum oppugnatione tormentorum renovata, eoque periculo sublato, placuit alia via tumulum et impositas munitiones oppugnare: nam tormentorum telis non magis proficiebatur, quam si mons aliquis quateretur. Pulvere igitur tormentario igneque supposito agendum esse censuerunt. Dum haec ad Hesdinum geruntur, Emanuel Philibertus Caroli Ducis Sabaudiae filius (*Subalpinus Princeps* a nostris usurpabatur) ad

ad quem Carolus Caesar belli summam detulerat, in castra venit, et ducum industria consilioque probato inceptum urgere pergit.

XXXV. Vineae igitur ex fossa magno labore magnaque difficultate in superiores munitiones actae, nam per arduum clivum nulla vis incumbentium hominum impellendis machinationibus suffecisset, nisi funibus et vertebrarum artificio fuissent adjuti; tum aptatis vineis, tumulus subter munitionibus excavari coeptus, quod cum fieret, suspensa terra ne corrueret, asseribus sublicisque fulciebatur, donec ad interiora et opportuna loca penetratum est, et sulphureus pulvis collocatus. Contra haec Galli ipsi quoque cuniculos agunt, quod diu latere non potuit, nam strepitus urgentium opus in propinquo a nostris operariis exaudiebatur; ergo ne, si mora interposita pulvis ab hostibus subtraheretur, opera suscepta ad nihilum recideret, properandum sibi statuerunt, ac ut hostem irruptione intentata in locum opportunum elicerent, tormenta contra eam potissimum partem, qua pulvis tegebatur, collocarunt, simulque quatuor signorum milites per eamdem partem, qua tumuli ascensum gradibus quibusdam praeparaverant, cum magno tympanorum quasi ad pugnam adhortantium strepitu fossam ingrediuntur.

XXXVI. Hac simulatione hostes excitati, ad munitiones propugnandi gratia cum processissent, nostris fossa per aliam partem, ut fuerat imperatum, excedentibus, ignis in pulverem per cuniculos injicitur, quo disjectus tumulus et munitiones multique homines in sublime projiciuntur, et in his Horatius Farnesius Dux Ca-

Castri et Francisci Regis gener, de quo supra memoratum est, qui tamen illaesus decidit, hastaque innixus sese erexit, et intrepido animo ad propugnandum comparavit; sed statim, ut erat telis hostilibus expositus, majoris tormenti telo avulso laevo brachio, simulque scloppeto confossus, trucidatur. Verum hac ignis eruptione parum est de munitionibus detractum, nam terra, quae commota fuerat, item materia et lapides recidentes ascensum decliviorem reddiderant, et excavatos gradus impleverant. Nostri tamen eadem simulatione extra fossam signa canere, et tum majoribus tormentis, tum scloppetis Gallos eminus lacessere non desistunt. Illi in locum apertiorem propugnandi gratia cum processissent, et multi vulnerarentur, aut etiam caderent; nemo tamen locum aut ordinem deserebat: tanto animo irruptionis impetum exspectabant. Cujus rei gratia jam fossam hominibus plenam esse rati, pulverem, quem ipsi quoque cuniculis ad fossam occultaverant, incendunt, qui magnam quidem terrae molem in sublime protrusit, multosque lapides involvit, nostris tamen, ut extra fossam constiterant, nihil offecit, exceptis quatuor aut quinque militibus, et Bezerra centurione, qui, ut propius accesserant, obruti terra sunt et exanimati.

XXXVII. Eodem tempore magna pars tormentarii pulveris et earum rerum, quas Galli artificiose ad excitandum ignem comparaverant, concepto igne, conflagraverunt, tanto incendio fuso, ut ardere arx tota videretur. Hoc malum tantopere Gallos afflixit, ut prae ardore arma ferre non possent, quidam etiam per mu-

nitiones sese praecipites darent. Incendii causa et origo ipsis quoque Gallis ignota fuit; sed multi ignem telo aliquo ex iis, quae tormenta nostra jaculabantur, expressum aut excitatum casu in tormentarium pulverem incidisse existimaverunt. Galli, hoc accepto detrimento, magnopere suis rebus diffidere coeperunt.

XXXVIII. Postridie nostri quarta vigilia vineis rursus admotis, duabus aliis partibus dextra laevaque murum subruere et excavare coeperunt, pulveris supponendi et aditum producendi gratia. Galli vero caduceatorem in castra de pace mittunt, et tres viros graves paciscendi causa in arcem mitti postulant. Quibus missis, deditio convenit conditionibus eis similibus, quae datae fuerant ad Tarvannam; sed milites nostri, scelere et avaritia impulsi, per maximam horum temporum disciplinae militaris corruptionem, nec ducum imperio, cum receptui canere jussissent, nec Gallorum telis retineri potuerunt, quin, de pacis conditionibus agitari cum cognovissent, in arcem irrumperent, cuncta diriperent, homines jam non repugnantes caperent, et rebus omnibus exuerent, ducibus invitissimis.

XXXIX. Ceterum Carolus Caesar captivos omnes, qui in militum potestatem venerant, ab eis deduci, et pacta servari jussit. Itaque turbae militari libertas et abeundi data facultas; praefecti nobilesque retenti. Horum principes erant Dux Bullonis, qui custodiae cum summa potestate praeerat, Comes Villiaris, et Nellae Marchio, qui cum duobus aliis viris primariis Gandavum, ut in arce custodirentur, missi sunt. Hesdinum autem, ut Tarvanna, ob eamdem causam, ne amplius

plius esset invitamentum belli, jussu Caroli Caesaris dirutum est, et solo aequatum.

XL. Annus erat Christi millesimus quingentesimus quinquagesimus tertius, mensisque Julius agebatur, cum de obitu Eduardi Sexti Britanniae Regis, et paulo post de Regno ad Mariam Henrici Octavi Regis et Catherinae Caroli Caesaris materterae filiam delato perlatum est. Qui nuntius Carolo eidem gratissimus fuit, ejusque animum valde ad spem rerum meliorum erexit, si per occasionem matrimonii Philippi filii et Mariae Reginae Britanni possent ad sanitatem et Catholicam Fidem ex impietate Lutherana et multiplici errore deduci, quae, volente atque agente eodem Henrico, Britanniam invaserat, dum irae atque odio in Clementem Septimum Pontificem Maximum, et inveteratae cum Carolo Caesare simultati indulget; quibus de rebus non erit alienum, paulo altius summa repetita, pauca commemorare. ANN. M.D.LIII.

XLI. Quo tempore Carolus adolescens Imperator designatus, accepta ad Aquisgranum corona, ex Belgio in Hispaniam redibat, cum Henrico Britannorum Rege societatem et amicitiam contra Regem Gallorum Franciscum certis conditionibus inivit; quarum ea in primis fuit, ut Carolus Mariam Henrici filiam septem annorum puellam, cum primum ad pubertatem pervenisset, uxorem duceret, poena quingentorum millium aureorum ducatorum in eum constituta, per quem stetisset, quominus Maria in matrimonium a Carolo duceretur; quin etiam Henricus trecentum ducatorum millia Carolo indigenti per id tempus inter initia scilicet

Regni mutuavit. Illud quoque foedere cautum est, ut, si Gallus aureorum coronatorum centum triginta millia, quae Britanno Regi in annos pendebat, conflato bello tribuere recusaret, Carolus ei acceptum damnum de suo sarciret.

XLII. Ceterum in Hispaniam reversus Carolus consilium de matrimonio mutavit, non sponte sua, sed civitatibus per legatos et proceribus orantibus, atque etiam liberius obtestantibus, ut primo quoque tempore posteritati consuleret; nec enim esse vel ex sua dignitate vel ex Regni publico bono, ipsum Mariae Britanni Regis filiae paucorum annorum puellae tamdiu maturitatem exspectare, cui liceat ex Hispania Isabellam Emanuelis Regis Portugalliae filiam jam viro maturam ducere, et ex nuptiis tempestivis liberos ad Regni successionem mature procreare. Justis ergo suorum precibus victus Carolus Isabellam consobrinam suam, quam Emanuel Portugalliae Rex ex Maria ipsius Caroli matertera procreaverat, in matrimonium ad Hispalim urbem duxit, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus vigesimus sextus, quibus de rebus supra memoravimus.

XLIII. Hoc cognito, Britannus filiam seque Carolo contemtui fuisse interpretatus, magno dolore sic exarsit, ut Carolum omni incommodo atque molestia afficere, ac hostiliter insequi constitueret. Itaque cum Francisco Gallorum Rege et Clemente Pontifice ac Venetis ceterisque, qui in Caroli malum in Italia conspiraverunt, amicitiam et societatem inivit; sed cum nihil profecisset, et Caroli victoria de suis adversariis ad

ad Insubres, ad urbem Romam, postremo ad Neapolim parta, omnem spem bellicae vindictae Henrico sustulisset, alia via Carolo molestiam et negotium facessere decrevit per Catherinae uxoris et Mariae filiae contumeliam, quae ad Carolum quoque propter consanguinitatis conjunctionem pertineret. Itaque Catherinam uxorem anno matrimonii vigesimo repudiavit, et Mariam filiam notham esse praeconio jussit passim per Regnum pronuntiari, et Annam Bolenam eximia forma puellam superinduxit; repudii illata causa neque vera neque gravi, quod per leges Christianas Catherinam in matrimonium ducere non potuisset, quae prius fratri Arcturo nupserat, etsi Pontificis Maximi auctoritas per decretum et *dispensationem* appellatam intercessisset, ut intercesserat; nec enim fuisse Pontificiae potestatis in ea causa legibus solvere Henricum et Catherinam. Quae repudii causa cum Romae ad tribunal Pontificium magna partium contentione agitaretur, Carolo Reginam materteram, ne opibus, neve calumniis circumveniretur, fovente, contra Henricum pronuntiatum est.

XLIV. Per id ego tempus Romae commorabar, libellumque *de ritu nuptiarum et dispensatione confeci*, edidique cum magno doctorum hominum assensu, quo causam Reginae amplexus sum, et bonis aequisque omnibus probavi. Deinde librum alterum Clementis Septimi Pontificis Maximi voluntate *de Ecclesiae Romanae Pontificisque potestate* conscripsi, missique ad eumdem Henricum, ab Ecclesia Catholica deficere incipientem: quo libello supplex eum a suscepti consilii injusti-

stitia et impietate dehortabar, ne tum impie tum etiam nimis inconstanter agere videretur, si Romani Pontificis potestatem et auctoritatem a Christo traditam, et Sanctorum Patrum et Ecclesiae Catholicae testimoniis assertam contemneret, damnato libro, quem ipse Henricus doctissime et singulari pietate adversus Lutheranos errores pro Romanae Ecclesiae dignitate et suprema auctoritate conscripsisset, cujus rei causa DEFENSOR FIDEI novo et honorifico titulo a Pontifice Maximo tributo vocaretur.

XLV. Sed ille odio et ira caecus surdusque, nulla monita, nullum sanum consilium admittebat; qui, cum a sententia Pontificis Maximi nulla esset provocatio, sibi ei standum, aut a Fide Catholica et Apostolica auctoritate deficiendum intelligebat; jamque a Clemente Pontifice, quod Ecclesiae judicio non staret, sacrificiis erat interdictus, et in numero sceleratorum habebatur. Quo dolore exagitatus maluit irae per summum dedecus scelusque nefarium indulgere, quam inultus justitiae ac religionis finibus sese continere; eoque furoris processit, ut Pontificis Romani contemta et rejecta auctoritate, se in suo Regno Pontificem Maximum esse, et in moderanda religione et causis ecclesiasticis proximum Christo jus et potestatem obtinere praedicaret, poena capitis constituta per legem jussu ejus a publico Britanniae Consilio, quod *Parlamentum* nominatur, comprobatam, siquis contradiceret: cujus rei causa viri optimi et religiosi, qui constanter nefariis ejus inceptis refragabantur, de medio sublati sunt. Quorum principes fuerunt Joannes Fisherus Roffensis Episcopus,

et

et Thomas Morus, viri doctrina et pietate, etiam ante hoc martyrium, clari. Quin etiam Divi Thomae Cantuariensis Archiepiscopi, qui ab Henrico Secundo Rege, quod se illius injustis et Ecclesiae perniciosis conatibus opposuisset, aut eo connivente necatus fuerat, Mausoleum materia et opere insigne demoliri jussit, et corporis ejus reliquias ex theca auro gemmisque ornata detractas incendit, quippe sanctissimi et constantis viri monumento et veneratione suam sibi impietatem et nefariam in Ecclesiam Catholicam injuriam exprobrari sentiebat; quo facto initio, ne a direptione quidem fanorum manus abstinuit.

XLVI. Ceterum Annae Bolenae, ex qua Henricus Isabellam genuit, matrimonium non diuturnum fuit; quippe adulterii insimulata criminis sive patrati, sive a delatoribus, ut quidam suspicati sunt, ficti poenas cum nonnullis viris principibus, quasi sceleris sociis vel consciis, capite luit. Quo anno, qui fuit Christi millesimus quingentesimus trigesimus sextus, Catherina non sine suspicione veneni defuncta est. Tertiam uxorem Henricus duxit Joannam Semaram, ex qua Eduardum filium procreavit: hac demortua, Annam Guilielmi Clevensis Principis sororem duxit, quam postea, quod alteri prius desponsata fuisset, causatus repudiavit: deinde Catherinam Havardam duxit Norfolciae Ducis fratris filiam, in quam adulterii nomine damnatam, et in adulterum Culcuperum animadversum est poena capitali. Sexta uxor fuit Catherina Paria Naranthonii Marchionis soror. Verum cum in morbum, ex quo non convaluit, Henricus incidisset, testamento heredem

Re-

Regnique successorem primo loco Eduardum filium ex Joanna Semara genitum; secundo Mariam ex Catherina prima uxore procreatam legitimis natalibus restitutam scripsit; tertio Millaram Isabellam filiam ex Anna Bolena; quarto Ducis Suffolcii uxorem sororis suae neptem Millaram Margaritam; ultimo Joannam horum filiam nominavit. Obiit autem Henricus anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, cum annos triginta octo regnasset, in cujus locum Eduardus filius, qui fuit hujus nominis Sextus, novem annos natus successit.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER VIGESIMUS NONUS.

I. AB eo tempore major status Ecclesiastici mutatio et corruptio per Britanniam consecuta est. Antea enim Religio Fidesque Catholica labare quidem Henrici furore coeperat; more tamen Romano magna ex parte colebatur: Eduardi vero principatu tutorum ac Regni procuratorum scelere et impietate cuncta sunt in deterius prolapsa, et pueri Regis animus impiis atque nefariis erroribus diligenter imbutus. Erat autem Eduardus infirmae valetudinis, lentoque morbo laborabat; quo ingravescente, Joannes Pocaus Northumberlanus Dux, qui primum amicitiae locum apud Regem quasi tutor et nutritius habebat, et in omni Britannia proxime et secundum Regem auctoritate maxime pollebat, coepit animum in Britanniae Regnum, siquid Eduardo humanitus accidisset, intendere, et quatuor Medicis evocatis ex omni Regno peritissimis, et ad duos Eduardi domesticos adjunctis, nequid ad summam curandi diligentiam relinquere videretur, eos jubet Regis morbum diligentissime considerare, et opportuna remedia consiliis communicatis adhibere; hoc scilicet consilio, ut sic de na-

tura morbi, ac de spe vel desperatione Regis salutis certiora cognosceret. Cum autem ex Medicorum consentiente voce Regem phthisi morbo immedicabili laborare, ejusque vitam paucorum mensium fore cognovisset, cum Duce Suffolchio diligenter egit perfecitque, ut Joannam filiam natu maximam filio suo tertio in matrimonium collocaret. Erat autem Joanna stirpis Regiae neptis ex filia sororis Henrici Octavi, cujus causa ab eodem Henrico inter heredes Regni ultimo loco scripta fuerat.

II. His rebus gestis, Northumberlanus ficta oratione Eduardum aggreditur, hortaturque, ut mortalitatis memor in ea valetudinis infirmitate, ut pium ac boni publici studiosum Principem deceret, posteritati consuleret, ac de successione in Regnum, in quo maxima momenta verterentur, cogitaret, illudque in primis, si Maria soror successisset, Religio et Respublica quantum discrimen esset aditura; quid enim ab ea sperandum esset, quae in caerimoniis Religioneque Romana pertinaciter maneret, eamque haberet odio, quam tota Britannia patre Henrico auctore complexa esset, et magno consensu sequeretur? Neque vero solum Religionis nomine suspectam esse Mariam, sed etiam cognatione Regum et magnorum Principum externorum, quorum voluntati esset haud dubie obtemperatura, eisdemque auctoribus de connubio et rebus maximis deliberatura; externo autem ascito Rege patriorum morum inscio et osore, Britannos servitute pressos necessario externorum imperio parituros cum magna pietatis in Deum Britanniaeque dignitatis jactura. His malis unam esse occur-

currendi rationem, si Eduardus ipse testamento facto, Maria et Isabella sororibus exclusis, quae possent externis nubere, et quas nothas esse patris Henrici voluntate et judicio ex publici Consilii sententia praeconio fuisset declaratum, Joannam Suffolchii Ducis filiam, qui proximum ipsi post sorores propinquitatis gradum obtineret, essetque Britanno marito in matrimonium collocata, heredem Regni constitueret, tabulisque testamenti declararet.

III. Tali versuti Ducis oratione Rex puer abstractus testamentum ex ejus voluntate fecit et obsignavit, quo Maria et Isabella exheredibus factis, Joannam eamdem heredem Regni, et secundum eam sororem ejusdem, quae Comitis Pambrucensis filio nupserat, instituit. Erat autem testamento dies ascriptus undecimus Kalendarum Julii, qui fuit annus Christi nati millesimus quingentesimus quinquagesimus tertius. Hujus testamenti, de quo populares diligenter celati sunt, plerique principes conscii fuerunt, et factum partim ex animo comprobaverunt, ut Britanni natura externorum commercio et consuetudine minime delectantur, partim temporis causa, Northumberlanum Ducem respicientes. Morabatur autem Eduardus more Regum Britannorum Londini, quae urbs Regia est atque primaria, sedesque publici Consilii, quod fere viginti quinque Senatoribus constat ex principibus Britanniae, cujus Senatus maxima est secundum Regem auctoritas, ex ejusque sententia etiam a Rege res maximae geruntur. Maria ad Eduvardem morandi causa secesserat, qui locus a Londino abest passuum viginti quatuor millia, quo nuntiis occultis ad eam fre-

quenter Northumberlani consilia perferebantur, ac de morbo Regis invalescente certior fiebat.

IV. Obiit autem Eduardus pridie Nonarum Julii, cum regnasset annos septem, ageretque aetatis suae annum decimum sextum. Qui vix dum animam efflaverat, cum Pocaus idem Varoicensem Comitem filium natu maximum cum equitibus quingentis Eduvardem proficisci, et Mariam Consilii nomine accersire, et volentem aut invitam Londinum deducere jubet. Maria, Regis obitu et equitatus adventu nuntiato, furorem ac vim Northumberlani metuens, nulla interposita mora, raptim cum suorum perpaucis conscensis equis proficiscitur, ac itinere die noctuque continuato, in Norfolchiam maritimam regionem, ut constituerat, pervenit, locum tutiorem et ad contrahendas copias et accersenda auxilia transmarina, si opus esset, opportunum; ubi a popularibus pro Regina libenter recepta et salutata cum esset, coepit nuntiis litterisque Regio nomine dimissis civitates et proceres rogare, et pro auctoritate principali jubere, ut se, ad quam Regnum Britanniae hereditario paternoque jure pervenisset, Reginam ex more publicis praeconiis declararent, et suum officium, si usus esset, ad repellendas perfidorum injurias praestarent. Itaque brevi ad eam subsidii praesidiique gratia armatae manus convenire coeperunt.

V. Interea Northumberlanus, qui Regis mortem, quo commodius cogitata perficeret, biduo celavit, propinquis et amicis appellatis et convocatis, Joannam nurum magno Regioque comitatu ex praetorio suo, quod ad ripam Tamesis abest a Londino passuum millia circi-

citer septem, invitam et renitentem, quasi futura mala praesagiret, in *Turrim* deduxit, clavesque intranti tradidit. Vocatur autem *Turris* Britannorum consuetudine arx Londinensis munitissimà, urbi apposita et imminens, ad quam legitimum est in Regnum succedentes primum omnium ad dies decem commorari, ea quasi caerimonia Regni possessionem apprehendentes. Tum praecones quoquoversus dimissi, qui Joannam Reginam de scripto renuntiarent, Eduardi Regis testamenti facta mentione, et causis explicatis, cur Maria et Isabella sororibus exclusis, Joannam consanguineam potissimum Regni successioni destinasset, et cur ea cuncta jure fieri, et ad Britanniae dignitatem libertatemque et boni publici rationem plurifariam interesse viderentur. Sed haec cum ad urbem primum, deinde ad circumjecta oppida, ut a Joanna ipsoque Consilio tempori serviente imperatum erat, pronuntiarentur, tamen a popularibus parum vel probari, vel aequis auribus accipi, ipsorum silentium moestitiaque declarabat. Nulla enim gratulatio facta est, nulla publicae laetitiae significatio; tanta vis et amor justitiae est apud incorruptos animos; tantum odium sceleris et injuriarum!

VI. Eodem tempore litterae perlatae sunt a Maria, Consilioque redditae, in quibus Senatus negligentiam accusabat, quod ad se novam justamque Reginam salutatum venire, suamque dignitatem tueri differrent vel cunctarentur, quorum officium esset justitiam ubique incorrupte constituere, et injuria laborantibus contra improborum superborumque injustos conatus subvenire; praesertim in causa publica, et ad omnem Britanniam,

ejus-

ejusque otium et quietem non in praesens solum, sed etiam in posterum pertinente: hortari rogareque, ut officii sui memores justitiam more majorum bonumque publicum cunctis rationibus, ut tales viros decet, anteponant, et jusjurandum fidemque praestent, quam justis Principibus et Reipublicae dederint, cum in collegium summae auctoritatis cooptarentur, cujus collegii fidei, constantiae, integritati atque prudentiae tota Britannia sese commiserit.

VII. His rebus cognitis et animadversis, Northumberlanus non sibi negligenter agendum putavit, sed omni ope conandum, ut quod gratia et artibus non posset, id vi et armis assequeretur. Hujus rei causa conquisitores cum pecunia ad stipendium militare dimisit, ut confecto exercitu, ne manus, ut coeperant, ad Mariam convenirent, impediret. Conquisitorum in primis fuit Comitis Hoctinctonis, qui Pocai Ducis amicitiam et partes sequebatur, frater. Huic Northumberlanus Dux cum stipendio negotium dedit, ut quatuor millium armatorum manum conduceret; quo ille diligenter administrato conductam manum in castra Mariae auxiliumque, consentientibus praefectis nec invitis militibus, traduxit, dum a fide, quam tyranno in malum justae Reginae dederat, discedere nihil turpitudinis habiturum existimaret.

VIII. Per idem fere tempus Regiae naves sex milite atque tormentis bene instructae, eodem Northumberlano auctore, sed Consilii nomine, quod ejus libidini temporis causa serviebat, missae sunt, quae mare Belgium attingens obsiderent, prohiberentque, nequid in-

inde auxilii a Carolo Caesare mitteretur ; sed harum quoque praefecti, cum in ea loca ventum esset, legatum ad Reginam miserunt, et imperata sese obedienter facturos polliciti, seque et naves in ejus potestatem permiserunt ; ex quibus navibus aliquot tormenta deducta sunt, et in castra Reginae munimenti gratia deportata.

IX. Pocaus Dux, exercitu peditum ad octo, equitum duorum millium coacto, Suffolchium Ducem cum Joanna filia, publicumque Consilium ad arcem relinquens, copias ipse cum tormentis et bellico apparatu deducit. Hunc frater Andreas Duella et quatuor filii (nam qui ad Mariam cum equitatu missus fuerat, nondum reverterat) assectabantur. Praeterea Northantonis Marchio, Nuthintonisque Comes, et nonnulli alii proceres virique nobiles sequebantur. Cum Cantabrigiam ventum esset, qui locus a Londino abest passuum circiter viginti millia, stativa castra Pocaus ponit, ut copias recenseret, atque reficeret, quae, ut causam ejus minime probabant, quotidie dilabebantur; litterisque ad Consilium missis supplementum sibi primo quoque tempore a patribus submitti poscit. Illi per Pocai Ducis absentiam libertate recepta ad sanitatem redeuntes, per causam delectus et supplementi arce digrediuntur, et Banini Comitis Pembrucensis castellum secesserunt, ubi liberius communicatis consiliis, Mariam pro Regina salutandam et declarandam esse decernunt ; cujus decreti Arundelli et Pembruci Comites principes et auctores fuerunt, ac decreto patres omnes, qui aderant, statim subscripserunt; missoque in arcem hominum centum quin-

quinquaginta, quibus negotium recte committi videbatur, praesidio, per hos Suffolchium Ducem accersunt, ut Senatus consulto ipse quoque subscriberet. Is imperatum detrectare haud tutum sibi fore ratus, mora non interposita cum affuisset, decretum subscriptione firmavit.

X. Sic ex Consilii sententia rebus constitutis, eodemque Senatu in urbem reverso, Maria Londini cum ingenti popularium gratulatione Regina pronuntiatur ac declaratur. Tum Senatores iidem partim in aedem Pauli sacrarum maximam contenderunt, et cum Clero Deum pro Reginae salute venerati sunt, solemne illud *Te Deum laudamus* sacro ritu concinentes, ac, ut res feliciter eveniret, comprecati, partim in arcem cum Suffolchio Duce progressi, Joannae, uti Mariam Reginam agnosceret, denuntiarunt; jussoque Suffolchio Duce arcis praefectura sese abdicare, et domum cum suis abire, *Mylordum* Vadenum eidem arci et Joannae custodiae praefecerunt, facta facultate Northumberlani Suffolchiique Ducum uxoribus et ceteris matronis, quae in Joannae comitatu erant, domum, cum liberet, revertendi.

XI. Ex eisdem Consiliariis duo per dispositos equos ad Reginam proxima nocte profecti sunt, qui eam de rebus omnibus certiorem facerent. Deinde ad Northumberlanum Consilii epistola perlata est, qua de Senatus consulto et popularium consensu rebusque gestis certior fiebat; et depositis armis Mariam eamdem Reginam agnoscere et renuntiare jubebatur. Is, epistola perlecta, et cum amicis, qui aderant, communicata, dolorem dissimulans: „Auctore, inquit, Consilio negotium „dif-

„difficile non gravate suscepi ; eodem Consilio aucto-„re, libentius deponam, justitiae atque officii ratio-„nem, vel certe opinionem, quae prudentes etiam „nonnumquam fallit, utroque tempore secutus. Nec „cuiquam concedam, qui magis ex animo Mariae gra-„tuletur, vel obedientius ejus imperata faciat"; simulque Mariam Reginam per praeconem renuntiari jubet, magnaque in castris gratulatio facta est, cum ipsius Ducis singularis laetitiae significatione, projecto etiam in terram pileo, quod more gentis est laetitia gestientis argumentum.

XII. Ceterum copiis statim dimissis ac dilabentibus, cum de suo quisque periculo et salute cogitaret, milites cohortis, quae Regis Eduardi fuerat, praetoriae, qui erant in Northumberlani castris, consilium inierunt ejus retinendi, tum ut culpam suam apud Reginam officio aliquo delerent, tum ut se ejusdem Pocai testimonio et confessione purgarent, qui optimus testis esset, ipsos non sponte sua in castra venisse, sed ab ipso Duce, cujus imperia detrectare tutum non esset, jussi atque rogati. Hi ergo, Joanne *Gatto* suo, id est, praetoriae cohortis praefecto adhibito, tertia noctis vigilia Pocaum ducem adierunt, quem fugam parantem, seque itineri accingentem offenderunt. Ille praetorianorum adventus causam cum ipsis exponentibus audiisset: „Eadem est, *inquit*, milites, mea vestraque „causa. Vos meam auctoritatem secuti estis, ego Con-„silii; utrique officio ducti fuisse videri debemus; ita-„que me retinendi nulla causa est, praesertim cum sim „Britanniae *Mariscalis*, quem Magistratum nec jus est,

„nec fas custodia coërcere." Sed tergiversatio frustra fuit, retentus est enim, et a praetorianis custoditus.

XIII. Regina, his rebus cognitis, Arundelli Comitem cum aliis proceribus praesidioque eo properare jubet, et, quid fieri velit, ostendit. Is, cum eo pervenisset, non solum Joannem Pocaum eumdem Northumberlanum Ducem, sed fratrem etiam, quatuorque filios comprehendit; praeterea Northantonis Comitem et Thomam Palmierum, Joannem Gattum cum Ario fratre, viros principes, simul capit, omnesque in arcem Londinensem ad septimum Kalendas Julii deduxit, custodiaeque dedit; postridieque Northantonis Marchio eodem deductus cum aliis, et custodiae datus; quin etiam Suffolchius Dux non multo post Regina jubente comprehensus est, in eamdemque arcem custodiri jussus.

XIV. Paucis post diebus Regina magno popularium armatorum comitatu praesidioque stipata Londidinum venit; accedensque iis, a quibus deducta fuerat, gratias egit, seque eorum officii et voluntatis memorem fore confirmans, domum redire jussit, et a Londinensibus ingenti cum gratulatione obviam progressis excepta Kalendis Augusti urbem et arcem intravit; paucisque diebus morata, in Rivamontem, aulam, sive praetorium sex a Londino passuum millibus, sexto Idus ejusdem mensis per aquam migravit, relictis ad arcem magnae auctoritatis principibus viris, qui Northumberlani Ducis, criminisque sociorum causam diligenter cognoscerent, deque eis jure statuendum curarent. Quo diligenter administrato, Joannes Pocaus Dux, ejus-

ejusque filius stirpis maximus Varoicensis Comes, itemque Northantonis Marchio ex arce per aquam in Vasmestram regiam traducti sunt, ad quam tribunal est rerum capitalium; dictaque causa, capite damnati, et in arcem reducti. Postridie eodem modo Andreas Duella Joannis Pocai frater, Joannes Gattus cohortis praetoriae praefectus, et Arius frater, cumque his Thomas Palmierus eodem modo condemnati sunt.

XV. Instante necis tempore, res divina in arcis sacello facta est, cui Dux idem Northumberlanus cetérique damnati interfuerunt, ac ritu Catholico Eucharistiam pia mente sumserunt. Tertioque die, qui fuit undecimus Kalendarum Septembris, Dux idem Pocaus cumque eo Joannes Gattus et Thomas Palmierus ad necem in locum destinatum producuntur, quo populus frequentissimus spectandi gratia confluxerat. Erat autem suggestum ad rem palam ex more peragendam praeparatum, quo conscenso Dux ad populum conversus hujusmodi orationem habuit. „En adsum, viri Britanni, „eo loco constitutus, quo me mea fortuna, vel mea „potius delicta perduxerunt, ut hominibus moriens spe„ctaculo sim et exemplo, uti omnes intelligant, qui „meam vitam multis criminibus contaminatam imitabi„tur, hunc in eo similem exitum exspectare oportere. „Quoniam igitur vos frequentissimos spectandi gratia „convenisse video, me res ipsa patriaeque caritas hor„tatur, ut vobis extremo alloquio pauca, non mei „purgandi, sed vestri monendi causa commemorem. „Fateor enim me ita vixisse, ut jure possem alio „mortis multo graviore genere mulctari, non solum ob

 „cri-

„ crimina, quae aliorum impulsu commisi, verum etiam ob alia multa flagitia, quae mea sponte patravi; sed omnium maxime ob singularem impietatem et scelus, quo me per nefariam ambitionem obstrinxi, cum a vera Religione et Fide Catholica desciscens, me et alios in damnatos errores et impia commenta, a vero Dei cultu prorsus aversa prudens sciensque praecipitavi. Confirmo enim vobis, me a vera et nobis a majoribus tradita Religione ejusque dogmatis numquam mentis persuasione discessisse; me tamen ambitio et pertinacia transversum egit, ut novam et commentitiam, cujus inducendae auctor in primis fueram, modis omnibus scelerate foverem, et impios errores alerem; cujus mei facti ceterorumque scelerum me etiam atque etiam poenitet; et cum ab hominibus, quos laesi, praesertim a Regina, cujus animum multifariam offendi, veniam imploro, tum maxime a Deo, cujus ut ira obstinatis in peccato animis pertimescenda est, sic poenitentibus et supplicibus omnium scelerum venia speranda. Itaque in ejus clementia et misericordia omnem spem salutis animae collocavi; non enim caduci corporis mortem, qua sum justissime damnatus, sed miseriam animae deprecor perpetuo duraturae. Ac de me quidem hactenus. Quod autem ad vos et publicam Regni causam pertinet, vos hortor moneoque, viri Britanni, ut ex altissimo quasi somno expergiscamini, et multarum calamitatum, quibus jam pridem agitamini, causas attendentes resipiscatis aliquando. Nam quod fame, peste, bellis civilibus, et intestinis contentionibus jam diu continenter

„ la-

„ laboramus, credite mihi, homini usu multarum ma-
„ gnarumque rerum tractandarum perito, nec prorsus
„ ad causas rerum intelligendas hebeti, non alia causa
„ fuit, quam impietas nostra, qua iram Dei sceleratis-
„ sime lacessivimus, cum a recta Christi Fide et Eccle-
„ sia Catholica ad novam istam et commentitiam se-
„ ctam defecimus; quod idem accidit Germanis, qui,
„ quantis miseriis et calamitatibus ob eamdem impieta-
„ tem jam pridem conflictentur, non ignoratis, ut ta-
„ ceam sempiterna illa supplicia, quae in impios et
„ praevaricatores post mortem justo Dei judicio vindi-
„ cantur. Haec, amici popularesque mei, ut vobis mo-
„ riens proponerem explicaremque, me mea Religionis
„ ratio pietasque et patriae caritas induxit; nam me
„ securi jamjam cervicem subditurum vanam et tem-
„ poris causa fictam orationem adhibuisse, ne suspicari
„ quidem potestis. Vos igitur iterum atque iterum hor-
„ tor obtestorque, ut excussa caecitate, quam vestris
„ mentibus quidam per summam impietatem effuderunt,
„ resipiscatis aliquando, ad sanitatemque et Fidem Re-
„ ligionemque Catholicam redeatis, et novos istos et
„ fallaces oratores vitetis, qui vos oratione ad quorum-
„ dam voluntatem ficta circumvenire initio aggressi,
„ in impias insidias et nefarias tenebras praecipitare non
„ desistunt. Nec solum, haec ut faciatis, moneo, sed
„ simul rogo, ut demortuo mihi hujus meae senten-
„ tiae et fidei non mutatae imminente morte, sed de-
„ claratae testimonium apud omnes tribuatis. Vos au-
„ tem hujus civitatis praesides ac reliquos Magistratus
„ oro, et per Deum Christum obtestor, ut quemad-
„ mo-

„modum prius, me agente et hortante, novos et falla-
„ces concionatores quoquoversus per Regnum ad se-
„rendos impios errores dimisistis, sic nunc probos
„piosque oratores dimittatis, qui populos veram Reli-
„gionem doceant, deque mea fide et sententia, quam
„per impiam ambitionem et pertinaciam occultave-
„ram, a me extremo spiritu testata et declarata, at-
„que in Fide Christi Catholica ope ipsius atque cle-
„mentia mortem obierim, apud omnes homines testi-
„ficentur. Valete, et mihi Deum piis precibus placa-
„te. “

XVI. Haec cum dixisset, tribus illis Psalmis, *Miserere mei Deus* : *De profundis* : *In te, Domine, speravi*, qui desinit in ea verba, *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, flexis genibus Deum veneratus securi cervicem supposuit. Thomas quoque Palmierus et Joannes Gattus, in quos simul est animadversum, suam morientium in Catholicam Ecclesiam Fidem ad populum testati sunt, eumdemque ad veram Christi Religionem, a qua impie defecissent, simili oratione, sed paucioribus verbis hortati sunt. Haec trium, sed Ducis maxime confessio, et adhortatio popularium animos magnopere commovit, et ad sanitatem Catholicamque Fidem recipiendam, quod paulo post factum est, praeparavit. De his tribus, qui gravius infensioreque animo Regiam Majestatem laeserant, sic sumto supplicio, Regina de vinctis aut etiam ceteris damnatis mitius pro sua humanitate et insita clementia statuendum putavit; itaque quosdam retineri jussit, quosdam liberavit, nonnullos etiam postea in domesticis habuit. Paucis

cis post diebus Maria, id est, Kalendis Octobris, ad Regiam, cui nomen est *Vasmestre*, summa caerimonia cum magna nobilitatis et omnis ordinis popularium gratulatione coronata est.

XVII. His rebus cognitis, Carolus Emundanum Agamontis Comitem legatum de Philippi matrimonio ad Mariam Reginam mittit ineunte anno, qui fuit Christi nati millesimus quingentesimus quinquagesimus quartus; cum jam Regno confirmato, Britannorum animi pacati esse, et nihil in Mariam Reginam moturi viderentur. Benigne a Regina, Consiliariis adhibitis, audita est Caroli Caesaris legatio, atque eo magis, quod legatus ex liberis Caroli mandatis nullam conditionem recusabat, quin etiam ultro magna pollicebatur. Res igitur ex Consilii publici sententia et Reginae voluntate convenit, his potissimum conditionibus: „Ut ex li-„beris, qui fuissent eo matrimonio quaesiti, Belgii „quidquid est in ditione Caroli, ad maximum natu „hereditate perveniret: nequis externorum publico „Consilio de rebus Britannicis adhiberetur, necuive „publicum munus, aut ministerium in aula mandare-„tur; ne Regina umquam in Hispaniam aliumve lo-„cum extra Britanniam, nisi forte ipsa volente et po-„scente, educeretur.“ ANN. M.D.LIV.

XVIII. De hoc matrimonio per Britanniam sermo cum increbuisset, quidam procerum, tum gentis communi vitio, quae fere ab externorum consuetudine solet abhorrere, tum novae religionis causa suaque cupiditate inducti tumultuari coeperunt, ne rebus Ecclesiasticis, quas in Britanniae ab Ecclesia Catholica de-

fe-

fectione per injuriam occupaverant, eidem Ecclesiae in suam dignitatem Catholicorum Regum opera et beneficio, ut exspectabatur, restitutae cedere cogerentur; et quidam de impediendo matrimonio conspirarunt. Conspirationis principes fuerunt Thomas Huvietus, Petrus Carrus, et Henricus Suffolchius Dux, qui vix fuerat ex arce et custodia, exorata per uxorem Regina, ut ex morbo, in quem inciderat, convalesceret, eductus, cum se conspirationis auctoribus adjunxit. Res autem occultis consiliis constituta cum ad opportunum tempus reservaretur, Petrus Carrus, qui ad Cornavaliam regionem comparandarum rerum causa secesserat, impatiens morae, studioque rerum novarum inductus, tempore, quod convenerat, non exspectato, populares coepit ad defectionem novumque consilium solicitare; quo Regina per indicium cognito, Petrum ipsum Carrum accersitum mittit puniendi causa. Is, qui parum solicitando profecerat, timore perterritus, in Galliam, conscensa nave, profugit.

XIX. Eo nuntio commotus Thomas Huvietus, sibique metuens, ne patefacta conspiratione, imparatus Reginae armis opprimeretur, coepit ad Chentonis fines (regionis hoc nomen est) eam gentem solicitare, et magna parte in suam sententiam perducta, manus cogere, et bello necessaria comparare. In ea rerum novandarum occasione Suffolchius Dux non sibi amplius cunctandum aut exspectandum putavit; itaque ducentis equitibus coactis, cum his Londino profectus, in Varoicensem Comitatum contendit. Eo cum venisset, majoribus spiritibus sumtis, ad institutum redit, pergitque

Joan-

Joannam filiam per praecones Reginam pronuntiare. Ad hujus furorem et perditos conatus reprimendos Regina Northantonis Comitem, qui magnum usum rei militaris habebat, et suo nomine Suffolchium oderat, cum manu armata mittit. Suffolchius, cum nihil nec adhortando populares, nec terrorem incutiendo profecisset, ad nuntium adventantis Comitis suis rebus diffidens consilium inivit latenter extra Britanniam sine comitatu profugiendi.

XX. Convocatis igitur suis pecuniam, quam habebat, exigua parte sibi retenta, distribuit, et diversos abire, et suae quemque saluti consulere jubet. Ipse solitarius cum discessisset, agricolam quemdam sibi notum hominem suumque villicum nactus, huic se suamque salutem praemiis magnisque pollicitationibus commendavit, hoc unum petens, ut se opportuno aliquo loco ad delitescendum constitueret aleretque, quo manus Northantonis Comitis effugeret, donec illo digresso tutius posset fuga suis rebus commodisque prospicere; quod cum rusticus liberaliter recepisset, deductus ab eo est in cavam arborem latibulum peropportunum, quo rusticus temporibus idoneis accedens alimenta subministrabat, idque sedulo fecit diebus aliquot, officiumque Duci fideliter praestitit.

XXI. Interea Dux omnibus locis perquisitus cum non inveniretur; praeconibus quoquoversus dimissis, gravia supplicia celantibus, vicissimque indicantibus magna praemia proponebantur; itaque rusticus ille vel timore vel cupiditate inductus Northantonis Comitem adit, Ducemque prodit. Ductus tamen ad latibulum

Ducem non invenit; qui cum biduo propter discessum agricolae cibo caruisset, fame urgente digressus in agricolae casam diverterat, ibique ad focum repertus est, captusque Londinum in arcem reductus. De quo rustici hominis facto ejusque justitia et honestate mihi paulo curiosius reputanti, ancipitem ille deliberandi rationem habuisse visus est. Qui, si cupiditatem potissimum secutus fuit, nulla est excusatio quaestum fidei praeferentis; si timore coactus fecit, quae justi metus causa fiunt, haec involuntaria esse a Philosophis decernuntur; si officia comparentur, justa Regis jussa vel Reginae potiora esse debere videntur, quam Ducis. Ceterum alia causa est Ducis in eo, quod facta conspiratione malum Reginae sceleste molitur, ad quod se administrum praebere nefas est; alia si rebus desperatis, incepto desistens fugam paret, nec aliud jam, quam de sua salute cogitet, ad quod sine alterius injuria opitulari officii ac humanitatis esse videtur.

XXII. Interea Thomas Huvietus, intento et infracto animo esse, nihil de cura remittere, per nuntios et litteras amicos appellare, populares, ne negligenter agerent, commonere, neve committerent, ut per Reginae matrimonium Britannia externorum libidini parere cogeretur, eorum praesertim, qui moribus et Religione plurimum a Britannis abhorrerent: quibus rebus tantum profecerat, ut quatuor millium armatorum coacto numero magna esset cum auctoritas, tum etiam gratia non solum in ceteros, sed etiam in Londinenses principem civitatem consecuta.

XXIII. Haec cum essent nuntiata, Regina manus tu-

tumultuario delectu cogit, tormenta et reliquum belli apparatum addit, cumque his Norfolchium Ducem in Huvietum properare, et bellum pro sua virtute atque prudentia administrare jubet; sed cum is se copiasque in conspectum adversariorum dedisset, parante Huvieto acie instructa praelium inire, major pars copiarum Norfolchii, centurionibus tribus auctoribus, ad hostes signa transtulit; itaque Norfolchius, qui et ipse paulo post captus est, sed brevi liberatus, re infecta amissisque tormentis, Londinum revertit.

XXIV. In ea rerum iniquitate Regina primum se ad quingentorum peditum, externorum magna ex parte, et totidem equitum praesidio munivit; deinde pro singulari sua sapientia tempori servire, et popularium fidem implorare, et suam publicamque causam ad populum agere constituit, ne paucis improbis ac seditiosis versutisque hominibus auctoribus, princeps civitas abstraheretur, et plerique per imprudentiam laberentur. Convocata igitur concione, quae frequentissima convenit, in hanc sententiam locuta est. „Quae me causa „in hunc locum praeter morem auctoritatemque Re„giam induxerit, fidelissimi clientes, paucis jam vobis „explicabo. Quanta rerum perturbatione Britannia per „quorumdam seditiosorum hominum, et suis cupidita„tibus publicam pacem et Regni quietem posthaben„tium improbitatem agitetur, videtis; qui sic popu„lares ad arma et libertatem vocant, quasi ego per „vim aut dolum tyrannidem occupaverim, et non ju„re hereditario paternoque et publica totius Britanniae „auctoritate et voluntate magnoque procerum et civi-

„ tatum consensu Regnum delatum susceperim. Sed ho-
„ mines turbulenti ac perfidi ambitione et avaritia cae-
„ ci otium et pacem populis et civitatibus salutarem
„ idcirco habent odio, quod haec injuriarum et aliena,
„ quorum ipsi sunt appetentissimi, invadendi occasiones
„ et facultatem tollunt, et me, quod femina sum, con-
„ temnunt, magnique Principis Hispaniae et multorum
„ Regnorum heredis, qui meas nuptias missa legatione
„ aequissimis Britanniae conditionibus deposcit, matri-
„ monium impedire conantur, ne suis rationibus et sce-
„ leribus obstet. Ad quam ego legationem non temere
„ nec ex meo judicio vel cupiditate, sed ex publici Bri-
„ tanniae Consilii sententia benigne respondi, sic enim
„ ex re dignitateque Britanniae auctoribus Regii Con-
„ silii Senatoribus visum est. Nam cum externis armis
„ subinde lacessamur, et Galli hostes Britannorum per-
„ petui in limine adsint, Scotia Provincia finitima nobis
„ occupata; quid magis ex usu ac dignitate gentis no-
„ strae potest accidere, aut nobis magis expetendum,
„ quam quod Princeps Christianorum potentissimus, vo-
„ lente, ac etiam adhortante patre Imperatore Maximo,
„ sponte sua per missam legationem petit, nullam con-
„ ditionem recusaturus, ut in amicitiam et Britanni Re-
„ gni societatem per Reginae matrimonium veniat? Hu-
„ jus enim maximis opibus ad nostras accedentibus, quis
„ dubitare valeat, quin nostra Britannia foret non solum
„ ab externorum injuriis tuta, sed cunctis hostibus for-
„ midabilis, simulque civilium contentionum, quae Re-
„ gnorum pestes maximae sunt, et intestinarum seditio-
„ num occasiones tollerentur, potentesque cum tenuiori-
„ bus

„bus in officio juris aequabilitate continerentur? Has „igitur potissimum rationes in matrimonii negotio et le„gatione secuta sum; eisdem Britannici Consiliarii ducti „fuerunt, sine quibus nihil statui, vel deliberavi. Ce„terum scelesti quidam et perniciosi inutilesque cives „tam longe ab his rationibus absunt, ut nihil pensi ac „moderati habentes, omnia jura divina et humana mi„sceant, otium pacemque perturbent, ut impune que„ant suis cupiditatibus et libidinibus rapinisque servire. „Ad hos ego de tumultus causa, et quid sibi vellent, „sciscitatum cum misissem; tam arroganter tamque in„solenter responderunt, ut sibi mea instituta et Consi„liariorum sententias ac monita placere negarent, omnia „esse in diversum commutanda, et his alia id genus „tam impudenter addiderunt, ut mihi novos admini„stros dare, et imperandi leges imponere velle videren„tur. Ego vero, quae Regii officii summam hanc es„se non ignoro, ut Rex non suae voluntati serviat, „sed omnem administrationem ad publicam Regni com„moditatem dignitatemque referat, sic animata sum, „ut facile sim ab incepto destitura, si meum consi„lium ex prudentium virorum judicio de matrimonio „initum meis popularibus, ut a publicis Regni ratio„nibus abhorrens, displicere intellexero; praesertim vo„bis vestraeque civitati, quae principem locum in Bri„tannia tenet. Erit igitur, viri Londinenses, constan„tiae vestrae et gravitatis, ut in hac improborum ho„minum perfidia, qui popularium animos ad res no„vas scelerisque societatem dolis et fraudibus solicita„re non desistunt, majorum vestrorum virtutem aemu-

„le-

„lemini et fidem, quam in suos Reges majores meos
„sanctissime coluerunt, imitemini, et quid publica Re-
„gni commoditas et regnantis dignitas, quid officii
„pietatisque ratio poscat, incorrupto judicio perpenda-
„tis, vestraeque Reginae nihil aliud, quam Regni opes,
„commoda et dignitatem spectantis, causam suscipiatis,
„consilioque juvetis, et a perfidorum scelere ope et au-
„ctoritate vestrae civitatis defendatis.“

XXV. Hac oratione audita, et indigne laborantis Reginae solicitudine simul et humanitate perspecta, et latius per urbem divulgata, magna est facta animorum commutatio; ergo, qui de Huvieto in urbem recipiendo cogitaverant, iidem in Huvietum arma convertere, et venienti portas occludere sumtis armis constituerunt. Itaque Huvieto ex altera Tamesis fluminis parte Londinum adventante, porta inde occlusa est, et imposito praesidio pontis aditus obsessus. Ad suburbium igitur Huvietus biduo frustra consumto movet, ac Tamesi supra Londinum trajecto, recta in urbem Regiamque contendit, et quacumque transiret, populares magna voce ad patriae libertatem defendendum vocabat.

XXVI. Cum ad urbis moenia et portam alteram obclusam cum paucis suorum accessisset; (agminis enim majorem partem, quo expeditius et cum minore suspicione progrederetur, ad planitiem quamdam reliquerat) oppidanos ad custodiam per murum dispositos blandis verbis alloquitur, ac uti se patriae libertatis vindicem urbe recipiant, eumdemque ad servitutem externorum propulsandam vel socium asciscant, vel ducem sequantur, comprecatur et postulat. Haec dum Huvietus

ab

ab oppidanis, ipsum ad Reginae fidem et clementiam rejicientibus, frustra contendit; Regina ad aulam cum praesidio morabatur, nam, ut in arcem se reciperet, ne suis timoris significationem daret, adduci non potuit, quae copias ab Huvieto sine imperio relictas per fenestram conspicata, Pembrucium Comitem compellat, in easque, ut praesidium, quod aderat, induceret, et oblata occasione diligenter uteretur, imperat. Pembrucius celeriter educto praesidio, nec opinato male paratos invadit; itaque vix primo impetu tolerato, multis occisis aut vulneratis, pluribus captis, ceteri fusi fugatique sunt; quorum animadversa fuga Cortineus, qui cum equitatu a Regina missus extra portam cum praesidio constiterat, Huvietum adoritur, tenuique ejus praesidio facile fusò, ipsum et nonnullos alios, non admodum repugnantes, vivos cepit, captivosque in arcem abduxit.

XXVII. Erat autem Cortineus ex principibus Britanniae adolescens summo genere natus, ideoque Reginae matrimonio in primis dignus initio a plerisque judicabatur; quin etiam Huvietus ipse, dum in custodia teneretur, odio aut spe quadam culpae suae derivandae inductus, inter conspirationis conscios Cortineum falso nominavit, illud quoque affingens, ipsum de Isabellae matrimonio, quam sorori Mariae praeferendam putaret, cogitasse, et cum sociis conjurationis communicasse; cujus suspicionis causa in arcem deductus et custoditus fuit, donec ejusdem Huvieti poenitentia ducti, dum ad necem damnatus duceretur, testimonio liberatus est. Nam de Thoma Huvieto ac Duce Suffol-

chio

chio conjurationis principibus, et nobilibus quibusdam eorum propinquis, et in his de Joanna et marito sumta est poena capitalis; multi praeterea ex conjuratis popularibus suspensi poenas dederunt, et compluribus Magistratuum sententia damnatis venia per Reginam data est. Et sic otium et pax Britanniae reddita, et omnium animi ad Reginae Philippique matrimonium conversi.

XXVIII. Ad hunc modum Britannicis tumultibus sedatis, et pace constituta, Maria Regina Carolum Caesarem, qui ad Belgium aderat, de rebus omnibus certiorem facit. Ille in Hispaniam ad Philippum filium mittit, hortaturque, ut rebus necessariis comparatis, et classe tormentis et milite ad Gallum, si forte viam, ut exspectabatur, impedire tentaret, repellendum bene instructa, in Britanniam primo quoque tempore matrimonii causa navigaret, de quo jam consilium per nuntios et litteras communicaverat. Dum profectionem Philippus in Britanniam comparat, Petrum Avilam ex intimis familiaribus Navarum Marchionem cum muneribus in Britanniam mittit, qui Reginam suis verbis, ut sponsam, salutaret, seque jam profectionem urgentem propediem exspectare juberet; quam legationem Regina libentissime audivit, et legatum indulgenter ac perhumaniter tractavit.

XXIX. Eodem tempore Philippus Joannam sororem ex Portugallia ad Castellae procurationem ex patris litteris evocat, jam enim maritum amiserat Regis filium, successore, et Portugalliae herede ex matrimonio ejus procreato; rebusque constitutis in Gallaeciam venit, ubi legati duo viri primarii aderant, a Regina Regnoque pu-

publice missi, ut cum Philippo de matrimonii conditionibus transigerent. Hos Joannes Xuarius Carvajalus Episcopus Lucensis primum sponte sua, deinde Philippi de ipsorum appulsu certioris facti voluntate magnifice et indulgenter tractavit, dum ad eas regiones Philippum ex litteris ejus exspectarent, et initio ex portu prodeuntes ut ab universa obviam prodeunte civitate comiter et magna cum gratulatione exciperentur, auctor fuerat. Qua legatione ad Compostellam benigne audita Philippus, et negotio ex legatorum voluntate confecto, in Portum magnum, qui est ad Flavium Brigantium, ire perrexit. Huc enim naves compelli, et confectos milites ceterosque navigationis et viae comites convenire, et sibi praesto esse jusserat.

XXX. Cum igitur omnes ad diem convenissent, in naves ad centum viginti quinque (nam totidem compulsae fuerant) equitibus militibusque numero quatuor millium, et cetero comitatu impositis, ipse quoque navim conscendit, et cum eo in eamdem ex domesticis Rodericus Gomezius, quem omnium maxime Philippus diligebat, Gomezius Corduba Figueroa Feriae Comes praetoriae cohortis praefectus, et ex eadem Cordubarum familia Petrus Cabrensis Comitis filius, ejusque sororis filius Jacobus, item Olivarium Comes, Gutierrus Lupus Padilla, Antonius Toletus equili Regio praefectus, Lupertius Quignonius, Gonzalus Perezius scriba Regius. Atque hi quidem ex Hispanis. Praeterea ex Belgis Agamontis Comes, et Marchio Bergensis, Hornorum Comes praetorianorum equitum ex Belgio praefectus. Aderant praeterea ex proceribus Hispaniae

Fernandus Toletus Dux Albanus, quem uxor sequebatur, Dux Methymnae Salonis, Almirantus Castellae, Aguilaris Marchio, et Chinchonis, ac Fontis Saliti Comites, item Piscariae et Vallis Marchiones, Castellaris Comes, Alfonsus Corduba frater Jacobi, de quo supra memoravimus, stirpis maximus, Ludovicus Corduba Comarensis Marchionis filius, Joannes Acugna, et Joannes Benavides. Ex Ecclesiasticis vero Petrus Castrus Salmanticensis Episcopus, et Petrus Gonzalus Mendoza Ducis Infantati filius, qui postea factus fuit Episcopus Salmanticensis, et Fernandus Aragonius Almiranti frater.

XXXI. Postridie, qui fuit ad tertium Idus Julii, Philippus naves, cum advesperasceret, solvit in tres acies partita classe, in quarum prima Almirantus cumque eo Alvarus Bazanus; in postrema Ludovicus Carvajalus curare jussit; in media Philippus ipse vehebatur. Ad Britanniam terram accedenti Philippo Belgica classis navium circiter quadraginta, ab amita Maria illarum regionum procuratrice missa, obviam processit, et in ea Caroli Caesaris et Fernandi Regis Romanorum legati; affuit etiam Britannorum Reginae navarchus cum navibus Britannicis, qui omnes suorum dominorum verbis Philippum amicissime salutarunt, hisque deducentibus cum eo processum est, unde portus Antonae duodecim circiter millia passuum abest, jactis anchoris classis consistit, et Philippus a Britannico navarcho in scapham praetoriae navis cum Duce Albano et Feriae Comite, Roderico Gomezio Silva, Alvaro Bazano, et Jacobo Corduba exceptus, et Antonam de-

ve-

vectus est, quem multi praeterea suorum viri nobiles scaphis itidem subsecuti sunt.

XXXII. Quarto post die Unchestrum pedibus progreditur, quod oppidum ab Antona sexdecim passuum millia distat, exiguum quidem, sedes tamen Episcopatus, ubi Regina sponsum exspectabat; receptusque est cum ingenti gratulatione. Tum Agamontis Comitem Rodericumque Gomezium ad Reginam mittit, qui ei suis verbis salutem renuntiarent, et annulum aureum sponsalium arrham perferrent; ipsaque Regina vicissim per suos salutem et annulum alterum sponso remisit. Ceterum nocte insequente Philippus ipse parvo comitatu Reginam, ut convenerat, cum paucis seniorum Consiliariorum et domesticis matronis et virginibus se operientem privatim adit, et obviam, sed intra aedes progressam salutans Britannico more suaviavit; habitoque longiore et jucundissimo colloquio, Philippus matronas etiam et Regias virgines sigillatim salutat osculaturque; comites autem ejus Reginae dextram Hispano more exosculantur. Deinde ad Nonum Kalendarum Augusti palam et magno comitatu iterum Reginam salutatum procedit; quibus colloquentibus, Joannes Figueroa Caroli Caesaris legatus adest, diplomaque profert, quo Carolus idem Philippum filium Regem Neapolitanum constituebat, et in eum potestatem omnem Regni illius transferebat; quo diplomate recitato omnes, qui aderant, ipsum laeto clamore Regem Neapolitanum bene precantes salutaverunt. Insequente die, qui Divi Jacobi festus agebatur, in cujus tutela Hispania est Hispanaque natio, res divina nuptiaeque a quinque Episcopis

regali caerimonia factae celebrataeque sunt.

XXXIII. In Regiam cum esset reversum, ubi epulum prandiumque erat Regio scilicet apparatu instructum, Rex et Regina cumque his Episcopus Unchestrinus magnus Cancellarius, qui in patranda re divina et matrimonio celebrando principem locum obtinuerat, uni mensae accubuerunt, ex proceribus Britanniae uno Regi, altero Reginae, qui dextra manu suum quisque sublimem ensem, sed vagina inclusum tenebant, astantibus. Eodem tempore Regum legati et proceres tum Hispani, tum etiam Britanni, itemque magna virorum et feminarum nobilium multitudo per dispositas mensas, lautis regiisque epulis instructas discubuerunt. Sumto cibo omnes in capacissimum conclave convenerunt, bonamque reliqui diei partem jucundissimis sermonibus et tripudiis numerosisque saltationibus consumserunt; ita ut ipse quoque Rex cum Regina more scilicet gentis saltaret.

XXXIV. Vesperi Rege Reginaque a turba digressis, et secreto separatimque coenatis, Episcopus idem Sacramenti nuptiarum administer thalamo thoroque nuptiali Christiano et religioso ritu benedixit, et foecunditatem ac sobolis felicitatem precatus est. Postridie Rex in publico cibum sumsit, ipsa vero nova nupta modesto Reginarum more, quae postridie primi maritalis congressus hominum conspectum vitare solent, sese intra cubiculares parietes continuit. Interea proceres ceteraque Hispanorum nobilitas et aulica turba ad portum relicta ex navibus Unchestrum confluere non desistunt; ex quibus Albani Ducis uxor a Regina, cum

sa-

salutandi gratia magno nobilium comitatu ad eam pervenisset, tanta benevolentia et humanitate excepta est, quasi soror esset, aut altera Regina; vulgo tamen Hispani parum humane parumque hospitaliter a Britannis tractabantur, ita ut res necessarias longe carius communi pretio emere cogerentur. Ceterum manum militarem in Belgium trajici Philippo placuit, et ad Caroli Caesaris castra perducta est; naves in Hispaniam redire jussae.

XXXV. Paucis diebus interjectis, Philippus Ducatus Mediolanensis possessionem voluntate Caroli patris capere constituit; quamquam enim jam pridem Dux Mediolanensis ab eodem Carolo, jure scilicet Imperatorio, fuerat constitutus, misso in Hispaniam ex Belgio diplomate, res tamen occulte peracta erat, tum ut locus esset novis consiliis, siqua boni publici ratio sententiam mutare cohortaretur, tum ne Venetorum reliquorumque Italicorum animos offenderet, qui saepe a Carolo cunctis precibus per legationes petiverant, nequem Regem aut Regis successorem Ducatui Mediolanensi praeficeret, ne ad Regiam potentiam Mediolanensis Principatus opibus accedentibus, harum locique opportunitate et occasione invitatus quisquam in vicinas Italiae civitates animum intenderet, et publicam pacem solicitaret. Sed cum jam Carolus invaletudine et morbis multifariam impeditus summam rerum administrationem filio tradere cogitaret, cui Neapoli cesserat, huic quin Mediolani possessione cederet, haud amplius sibi cunctandum existimavit.

XXXVI. Cujus rei causa Philippus Ludovicum Cordubam Comarensis Marchionis filium industrium adole-

scen-

scentem, cujus fidem consiliumque probabat, cum litteris et mandatis mittit. Hic ad Carolum primum, uti erat imperatum, deinde ab eo litteris et mandatis acceptis dimissus Venetias venit, et exposita ad Senatum de rebus communibus legatione, per Patavium et Mantuam, ubi litteras a Philippo Duci patruoque Cardinali obviam ei ad urbis portas progressis reddidit, Mediolanum pervenit; cui accedenti Senatus frequensque nobilitas obviam processit; exceptusque cum magna popularium gratulatione, urbis primum, deinde arcis consueta caerimonia pro Philippo possessionem apprehendit, dato per Senatores et Magistratus jurejurando, civitatem in fide Philippi et officio permansuram esse, ejusque imperata obedienter facturam; acceptoque vicissim, Philippum leges, privilegia et consuetudines Mediolanenses sancte conservaturum; quod eodem modo cum ceteris Mediolanensis ditionis civitatibus per ipsarum legatos, qui hujus rei causa Mediolanum venerant, factum est, cum jam Neapolitani Regni possessionem Philippus eodem modo per Marchionem Piscariae in Italiam cum mandatis missum apprehendisset, et diploma clientelae a Julio III. Pontifice Maximo more novorum Regum Neapolitanorum impetrasset.

XXXVII. Interea Romae Julius III. Pontifex Maximus Cardinaliumque Senatus, ad nuntium matrimonii Philippi cum Regina contracti laetis erectisque animis, consilia communicare coeperunt, siqua ratio iniri posset, Britanniam per religiosorum Principum occasionem ad sanitatem et Catholicam Fidem revocandi, Reginaldo Polo Cardinale potissimum Pontificem adhortante,

te, suamque operam, gratiam et auctoritatem deferente. Erat autem Reginaldus natione Britannus, Regibus consanguinitate propinquus, vir in primis doctus et facundus, moribus probatissimis, singulari constantia et religione, quique Henrici ab Ecclesia Catholica deficientis impia consilia et conatus non obscure damnaret; quarum virtutum opinione a Paulo III. Pontifice Maximo Romam accersitus est, et in Cardinalium Collegium cooptatus. Huic igitur patriae salutis studiosissimo, quam Henrici Regis furor ac Eduardi filii caecitas in barathrum impietatis praecipitaverant, cupienti ac poscenti negotium a Pontifice Maximo cum magna rerum omnium ad Religionem et salutem animarum pertinentium potestate datum est, ut per speciem legationis de pace inter Carolum Caesarem et Henricum Galliae Regem concilianda in Belgium ad Carolum contenderet, ibique Philippo et Regina, quorum voluntate atque etiam hortatu omnia gerebantur, certioribus per litteras et nuntios occultos factis, rei bene gerendae occasionem exspectaret.

XXXVIII. Philippus autem et Regina, quibus nihil erat potius, quam ut Britanniam in pristinum Religionis statum Fidemque Catholicam restituerent, primarios cives, quos negotio conficiendo opportunos esse judicabant, separatim appellare, monere, hortari non desistunt, ut pro se quisque communem patriae causam suscipiat, quo error perniciosissimus ex Britannorum mentibus depellatur, quem errorem Henrici Regis furor et pertinacia per impios administros induxisset, dum suam Regnique salutem et famam privatis simultatibus, et in-

injustae irae ex justissimo Pontificis Maximi de Catherinae matrimonii judicio conceptae posthaberet. Hac igitur ratione Principes, sed multo magis sua cunctis perspecta voluntate et auctoritate procerum juxta et popularium animos praeparatos esse animadvertentes, Concilium Regni totius Londinum indicunt. Huc proceres, pontifices, et civitatum legati frequentissimi ad diem cum convenissent, de causa Religionis consulere, ut jussi erant, inceperunt; ac primum omnium legem ferri placuit de Reginaldo Polo suae dignitati natalibusque et patriae restituendo; Reginaldus enim ab Henrico Rege per injuriam ignominia notatus, nobilitate spoliatus, et magno praemio, siquis eum interficeret, proposito proscriptus fuerat, cum ille impiam Regis inconstantiam ac detestandam libidinem paulo liberius per libellum editum taxasset.

XXXIX. Qua lata lege, legati quoque missi sunt, qui eum ex Belgio in Britanniam deducerent, ut eo praesente, qui Pontificis Maximi legatione cum amplissima potestate fungeretur (jam enim hoc fuerat evulgatum) causa Religionis commodius tractaretur. De cujus adventu cum esset nuntiatum, pontifices proceresque et Regii Consiliarii, conscensis scaphis, frequentes obviam ei processerunt, qui navicula cruce, quod est Pontificis Maximi legatorum insigne, antecedente vehebatur; quin etiam Rex ipse, accepto nuntio, quod Cardinalis ad pontem, quo Tamesis praeterfluens urbem fluvius committitur, ubi erat in terram descensurus, adesset, omisso incepto prandio, obviam prodivit, ac ipsum humanissime aperto capite et cum magna benevolentiae decla-

claratione recepit, in palatiumque deduxit, ubi pari humanitate et laetitia a Regina exceptus est, et post breve colloquium cum procerum comitatu in praeparatum hospitium dimissus. Tum consiliis communicatis, (nam et Cardinalis ad Principes revertit, et Rex vicissim in Cardinalis hospitium officii et colloquendi gratia, trajecto scapha flumine, processit) Concilium ex more in aulam convocatur, quod frequentissimum in unum capacissimum conclave ex omnibus ordinibus convenit.

XL. Cumque Rex Reginaque adessent, Cardinalis pauca praefatus, et ab ipsis Principibus impetrata venia, ad populum conversus, amplissimis verbis „ gratias egit Britannis, quod de sua causa, seque post „ longum exsilium in patriam reducendo, et in pristinam dignitatem restituendo tam humane et liberaliter „ statuissent; tum eisdem de insperata felicitate et libertate per optimos et religiosos Principes post tot „ miserias et servitutem asserta gratulatur, in quae mala Henrici injusti et impotentissimi Regis furore et „ impio consilio dejecti fuissent, qui Rex suis paternis „ et avitis fidelissimis et amantissimis popularibus nihil „ de se male meritis eas calamitates volens et prudens „ importasset, quibus ne Turcae quidem hostes infensissimi Christianis devictis afferre soleant. Turcas enim, „ multis etiam saepe jacturis et incommodis acceptis, „ victoria tamen potitos eo contentos esse, ut hostes in „ suam ditionem redigant, suoque imperio parere, et „ sibi vectigales esse cogant, Deum autem arbitratu suo „ et pristina Christianaque consuetudine venerandi sum-

„ mam libertatem relinquere : at Britannis ab Henrico
„ Rege ne illam quidem libertatem relictam esse Chri-
„ stum Deum patrio more et ritu Catholico colendi,
„ dum vellet sua ruina populares omnes totumque Re-
„ gnum involvere, multis viris optimis singulari con-
„ stantia et pietate, quod impiis ejus et tyrannicis co-
„ natibus non suffragarentur, de medio sublatis. His
„ porro fundamentis jactis, ad reliquum opus homines
„ perditae audaciae et avaritiae, alieni et rerum nova-
„ rum cupidos, tamquam architectos et fabros, cum
„ ipsum, tum Eduardum filium adhibuisse; quibus ad-
„ ministris quo malorum rem deduxissent, et quot de-
„ inde et quantae calamitates et strages per civiles et
„ intestinas discordias fuissent consecutae, quem posse
„ sine summo dolore commemorare? Post tot igitur et
„ tam foedas tempestates et naufragia, in tanto immi-
„ nentium malorum periculo, tales Principes, tam ju-
„ stos et religiosos, quasi duo salutaria sidera munere
„ Dei Britannis affulsisse, ipsis etiam atque etiam lae-
„ tandum esse, et Deo pro tanto beneficio supplicatio-
„ nem decernendam. Nec enim casu, aut humano con-
„ silio contigisse credere fas esse, sed divinà provisio-
„ ne factum, ut in tanta rerum iniquitate Britanniae
„ Regnum ad tales Principes perveniret, qui hoc solum
„ agant, hoc moliantur, totique in eam curam insi-
„ stant, ut bono publico consulant, exulceratis rebus
„ medeantur, commodis, dignitati, suorumque saluti
„ prospiciant. Proinde se patriae nationisque semper
„ amatorem, ejusque libertatis, salutis ac dignitatis
„ studiosissimum, et multis calamitatibus et periculis im-
„pro-

„ proborum et impiorum scelere exagitatum, Britannum „ Britannos hortari, et per Deum Christum obtestari, ut „ expergiscantur aliquando, neve sui obliti negligenter a„ gant, et nihil justum a sanctissimis Principibus frustra „ postulaturi dent operam salutaribus consiliis, ac primum „ omnium de rebus ad veram Religionem et Christi „ Dei cultum pertinentibus ineundis, ne praesentem fe„ licitatis occasionem amittant, neve in tanta rerum „ omnium opportunitate sibi defuisse videantur.“

XLI. Haec effatum Cardinalem Reges per Cancellarium collaudaverunt, sibique pergratum esse dixerunt, quod ipsum potissimum talem tantumque virum, Religione, sapientia, constantia, omni denique virtutum genere praestantem, et Britanniae amantissimum alumnum de re maxime necessaria maximeque ad Britanniae salutem pertinente Pontifex Maximus legatum misisset; quin etiam digresso Cardinale multa in ejus laudem adjecerunt, et quanta esset in eo ad Fidei Religionisque negotium commodissime et ex Britanniae dignitate conficiendum opportunitas, exposuerunt, quem Deus quasi Prophetam quemdam ad salutem suae gentis afflictae et extremo malo laborantis misisset. Tum Concilium hortati, ut de eodem Religionis negotio consilia conferrent, et postridie re deliberata in eumdem locum convenirent, discesserunt.

XLII. Postero die Concilium cum de recipienda Fide Catholica magno consensu statuisset, viginti quatuor legatos ex omnibus ordinibus delectos ad Reges misit, qui eos de Concilii decreto, magnoque veram et Catholicam Christi Religionem recipiendi, et in Pontificis

Maximi Ecclesiaeque Romanae Fidem redeundi consensu docerent, simulque ab eis supplices peterent, ut Concilii decretum firmum et ratum haberent, in eoque suam auctoritatem interponerent, agerentque cum Reginaldo Apostolico Legato, ut pro ea potestate, quam a Pontifice Maximo accepisset, veniam daret Britannis, et superioris temporis errata et culpas condonaret, eamque nationem in Romanae Ecclesiae Fidem patrociniumque reciperet.

XLIII. Hac legatione exposita, ac benigne a Regibus laetissimis et gratias etiam agentibus audita, postridie, hoc est pridie Kalendas Decembris, qui fuit an-
An. M.D.LIV. nus Christi millesimus quingentesimus quinquagesimus quartus, cunctis in eumdem locum, ut constitutum erat, coactis, libellus a Concilio Regibus, qui et ipsi Cardinalisque praesto fuerunt, datus est, et ab ipsis clara Cancellarii voce, ita ut ab omnibus exaudiretur, recitari jussus, cujus haec erat summa. „Pontifices, proceres, „et civitatum legatos, qui in eum locum totius Britanniae nomine cum liberis mandatis convenissent, „supplices esse Regibus, precarique, ut qui omnis impietatis et in Sedem Apostolicam contumaciae expertes essent, apud Reginaldum Polum Julii Tertii Pontificis Maximi legatum, ejusque vice et tradita potestate fungentem, pro Britannis omnibus intercederent, „ipsisque misericordiam et criminum veniam impetrarent. Nam ipsos, qui se multis in rebus deliquisse, „et Sedem Apostolicam multifariam dictis, factis, atque „decretis impie violasse confiterentur, erratorum magnopere poenitere, et sic esse animatos, ut legibus atque „de-

„decretis a se factis, quaecumque a dignitate et prae-
„stantia Apostolicae Sedis abhorrerent, permissu ipsorum
„Regum abrogatis, imperata Summi Romanique Pon-
„tificis essent obedientissime et cupidissime facturi. Cu-
„pere igitur a Pontifice Maximo Christi Vicario ejus-
„que legato, Regibus intercessoribus, impetrare, idque
„precibus omnibus iterum atque iterum orare, uti Bri-
„tannis parcat, ipsosque in suam fidem recipiat Eccle-
„siae Romanae deinceps auctoritati et legibus Pontifi-
„ciis decretisque Apostolicis libenter obtemperaturos."

XLIV. Ad haec Reges benigne cum respondissent, ab omnibus succlamatum est, uti facerent, supplicare; rem enim cunctis gratissimam et loco maximi beneficii futuram. Tum Rex cum Regina Cardinalem adit, et aperto capite, ut Britannorum ad sanitatem poenitentibus animis redeuntium piis precibus annuat, dataque venia justa postulata faciat, comprecantur, paucisque verbis exorant. Ille vero Pontificio diplomate, ut omnes quam plene quamque libere Pontifex Maximus sibi legato de rebus Britannicis mandasset, intelligerent, recitato, per consuetam et religiosam caerimoniam veniam erratorum toti nationi tribuit, utque in officio et pietate in Deum Christum Fideque in Ecclesiam Catholicam perstarent, et tales tantosque Principes ad ipsorum salutem divinitus missos religiose colerent, prudentissima oratione cohortatus est. Erat autem hic annus, quo Britanni ad sanitatem et unitatem Ecclesiae redierunt, vigesimus ab eo, cum ab Ecclesia Romana et Fide Catholica desciverant.

JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE
LIBER TRIGESIMUS.

I. ANNO Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto ad decimum Kalendarum Junii Paulus Quartus Summo Sacerdotio praeficitur: nam Julio Tertio, qui mense Martio vita functus fuerat, Marcellus Secundus successit: huic vigesimo secundo sui Pontificatus die demortuo Paulus Quartus suffectus est, patria Neapolitanus ex nobili Carrafarum familia, qui cum esset Quietinus, oppidi scilicet non ita grandis, Episcopus, tanto honore indignum tantoque oneri se imparem esse praedicans, Episcopatu sese sponte abdicavit; et nulli se Monachòrum coetui aut instituto cum addixisset, vitam tamen Monachali similem agebat; qua Religionis et sanctitatis specie et opinione ductus Paulus Tertius ipsum non invitum in Cardinalium Collegium cooptavit, in quo se ita gessit, ut propter vitae sanctimoniam veram, aut simulatam dignus sit habitus, ad quem Summum Sacerdotium deferretur.

II. Hujus depositi Episcopatus et rerum humanarum contemtionis exemplum non pauci per spontaneam eamdemque liberam paupertatem et demissionem secuti sunt,

sunt, qui pro Quietinis *Theatini* vulgo dicebantur; ipsi tamen numero et opinione in dies augescentes, praesertim in Hispania, *Jesuitas* se nominari malebant, et institutum suum ad Egnatium Lojolam auctorem, optimum et egregiae sanctimoniae ejusdemque memoriae virum magis referebant, quamquam sunt in Italia non pauca hujusmodi hominum coenobia, qui et ipsi *Jesuitae*, et *Jesuati* nominantur, nihilo magis votorum vinculis adstricti, quo minus valeant consilium et vitae rationem mutare, quorum item convictus honestissimus est ac religiosus, nisi quod fere ab studiis litterarum abhorrent, quae hi nostri diligenter aemulantur.

III. Horum instituto a Paulo, ut de ipsis audivi, Julioque Tertiis Pontificibus Maximis comprobato, multum auctoritatis addidit Franciscus Borgia Dux Gandiae, qui principatum filio tradens in horum se coetum conjecit, et sacris initiatus exemplo sanctissimae vitae religionisque concionibus per omnem Hispaniam homines ad virtutem et religionem adhortatur, et item Antonius Corduba Feriae Comitis Priegensisque Marchesiae filius, qui cum sodali Borgia Cordubam urbem patriam, cujus Ecclesiae Canonicus erat et Concentor, quod est nomen primariae dignitatis, cum venisset, utriusque auctoritate et exhortatione perfectum est, ut Jesuitarum collegium atque coenobium constitueretur, partim publica civitatis impensa, partim privata Joannis Cordubae liberalitate, Comitis Cabrensis filii, qui Decanus erat ejusdem Ecclesiae Rutensisque Abbas. Is enim aedes a se magnis sumtibus erectas Jesuitis dono dedit, ubi sodales commodissime habitant, aluntürque vectigalibus

ec-

ecclesiasticis ab eodem Antonio, cum se sacerdotiis abdicaret, attributis, eorumque doctiores publice Latinas Graecasque litteras et ingenuas disciplinas docent, ac honestissimae vitae exemplo, et piis atque optimis praeceptis ad virtutem et Religionem adolescentes adhortantur, qui discendi gratia frequentes eodem conveniunt.

IV. Hoc anno inter Carolum Caesarem et Henricum Gallorum Regem induciae quinque annorum pactae sunt, cum bellum jam diu cum magna utriusque contentione et pertinacia gereretur, frustra superioribus Pontificibus, qui se in pacificationem interposuerant, per litteras et legatos agentibus, et ad pacem concordiamque cohortantibus: nam uterque alterius postulata et conditiones obstinate respuebat. Ita cum pax perpetua Pontificum diligentia et auctoritate impetrari nequivisset, suis demum utrumque rationibus adhortantibus induciae factae sunt, ut erant ambo diuturnis belli laboribus fatigati, et infinitis impensis ad magnam nummorum inopiam redacti. Henricus enim bellicis sumtibus Galliam, quae vetere consuetudine servilem in modum suis Regibus paret, nec servire recusat, exhausta, ne sacris quidem fanorum aureis et argenteis vasis pepercerat. Carolus autem, tum in rem militarem (nam bellum ab adolescentia ad eam aetatem paene continenter gesserat) maximas impensas fecerat, tum in itinera frequentia, et suas atque filii extra Hispaniam navigationes et peregrinationes; itaque non solum auri et argenti ex Orbe Novo deportati vim incredibilem consumserat, sed omnia sua Regna, maxime Hispaniam, exinaniverat; quibus rebus cum nec stata vectigalia et con-

consueta tributa et exactiones suppeterent, magnam Regalis patrimonii partem pretio distraxit, multaque praeterea oppida et vicos, quorum fructus Religiosis equitibus aut Monachis alendis erant attributi, sed auctoritate Pontificia vendidit, et item aes alienum tam ingens, et tam gravi foenore, quod *census* et *camtionis* nomine praetexitur, contraxit, ut ei exsolvendo vix quinque aut sex consequentium annorum vectigalia sufficerent.

V. Itaque in tantis angustiis aerarii ad quasdam pecuniae conficiendae parum se dignas rationes interdum descendere cogebatur. Quamquam nihil per vim, nihil tyrannice conabatur. Quod enim Ecclesias diu Clericosque vectigales habuit per causam Mahumetanis Christi nominis hostibus obsistendi, id non sine voluntate et interposita Pontificis Maximi auctoritate faciebat. Quin etiam cum cuperet eadem Pontificis auctoritate oppida et vicos omnes Ecclesiasticae ditionis per Castellam vendere, religione tamen prohibitus est, quamquam maxima vis inde pecuniarum confici poterat, et eam facultatem a Julio Tertio Pontifice Maximo impetrare non erat difficile, ut ejus legatus, qui animum in pretii partem intenderat, ostendebat, et cupide Caroli administros eodem adhortabatur.

VI. Veritus enim, id quod erat, Carolus, ne Pontificis permissio cupiditate magis propter pretii paciscendam portionem, quam jure niteretur, ex Belgio per litteras Philippum filium, qui tunc Hispaniam procurabat, his de rebus suoque consilio certiorem facit, et quid fieri velit, ostendit. Philippus, quibusdam praestan-

te doctrina et religione Theologis Valdolitum convocatis, hos occultis colloquiis disputare et constituere jubet, num Regi fas sit, interposita Pontificis Maximi auctoritate, vicos et municipia Ecclesiasticae ditionis ad publicos et necessarios Reipublicae Regnique usus divendere. Qua de re cum fuisset accurate ac diligenter disputatum, pronuntiatum est de Concilii sententia, cum constet, auctore Paulo, omnem Apostolis ac successoribus potestatem ad Ecclesiae aedificationem datam esse, nullam ad destructionem, non esse id Pontificiae potestatis, praesertim in ea rerum iniquitate haereticis obtrectandi occasiones arripientibus, quod et Ecclesiae perniciosum et nefas esse videretur, ut opes, quibus Ecclesia fulcitur, quaeque sunt ei dignitati et ornamento, a Principe in profanos usus convertantur: itaque sine maxima et necessaria causa, qualis tunc nulla foret, nullum ea in re locum esse Pontificiae permissioni; non enim publicam salutem, aut ipsam Ecclesiam, cui aliter consuli nequeat, in discrimen vocari.

VII. Quo accepto responso Carolus facile destitit incepto, *subsidio* Clericorum contentus, quod usque adeo in consuetudinem venerat, ut vim perpetuae possessionis jam habere videretur. Quo factum est, ut etiam injussu viventis Pontificis id exigere ministri ejus tentarent, ut ineunte Pauli IV. Pontificatu, qui se libertatis Ecclesiasticae et dignitatis acerrimum defensorem fore profitebatur; ab hoc enim de *subsidio* Clericis imperando impetrari posse diffisi Caroli ministri, et superiorum annorum consuetudine freti, Julii III. decreto uti cogitarunt; Julius enim Clericis nostris duas Eccle-

sia-

siasticorum vectigalium quartas partes duobus trienniis Regi pendendas imperaverat. Sed hoc irrogatum Regi privilegium atque decretum jam per duos successores Marcellum et Paulum antiquatum esse videbatur, ut solent Pontifices superiorum Pontificum omnia id genus decreta et acta postridie suscepti Pontificatus generali decreto seu lege et formula quadam rescindere.

VIII. Igitur nuntii et litterae quoquoversus per Castellam ad Ecclesias dimittuntur, ut quarta pars Ecclesiasticorum vectigalium Regi ex decreto Pontificio conferatur; qua denuntiatione Joannis Suarez Carvajalis Episcopi Lucensis judicis a Pontifice huic negotio delegati jussu verbisque facta, Clerici ex more ad Pontificem Maximum provocarunt, princepsque Toletana Ecclesia negotium suscepit; a qua ceterae per litteras admonitae binos quaeque legatos Valdolitum Regium oppidum cum mandatis miserunt, qui cum ad diem dictum praesto fuissent, communicatis consiliis, placuit eis, ut a Judice delegato peteretur, uti litteras Pontificias proferret, quibus *subsidium* Clericis imperaretur, et ipse negotio delegaretur. Protulit ille postulatus Julii III. diploma.

IX. Ceterum Clericorum legati diploma non viventis Pauli, sed Julii demortui Pontificis esse animadvertentes, post longam multorum dierum deliberationem ex communi sententia Joannam Regni procuratricem adierunt, et exposita causa diplomatis nullam esse vim confirmarunt, Julio auctore demortuo, cujus id genus decreta et irrogata privilegia a Marcello et Paulo successoribus ex more rescissa esse constaret, injussu au-

autem Summi Sacerdotis non esse arbitrii potestatisque suae Ecclesias, unde fuissent legati, quae legibus Apostolicis atque Divinis immunes essent atque liberae, tributis et exactionibus gravare, aut gravare volentibus consentire, contra quas siquid fuisset superioribus annis constitutum, id non suo et ceterorum Clericorum judicio factum esse, sed Pontificis Maximi decreto, cujus esset in Ecclesia jus summaque potestas, Ecclesiasticas leges pro rerum temporumque ratione pie atque prudenter moderandi; quin etiam se Regi supplices esse dixerunt, ejusque fidem obtestari, ut Clericorum et pauperum bonis Ecclesiasticis alendorum misertus, finem aliquando tributis faceret, quibus jam annos quadraginta continenter conferendis Ecclesiae, monasteria, et egenorum xenodochia essent exhausta. Sic igitur apud Joannam locuti sunt Clericorum legati, nec ab ea sententia deduci potuerunt.

X. Interea Romae Caroli legatus ab eodem Paulo Pontifice, ut decretum Julii ac irrogatum Carolo privilegium confirmaret, impetravit; sed haec Pauli epistola et decreti Julii declaratio et confirmatio cum diu moraretur, quatuor mensibus re nequidquam agitata, legati Clericorum dimissi domum redierunt; sed paulo post Judices exsecutores cum mandatis ex auctoritate Episcopi Lucensis Judicis, uti diximus, huic negotio delegati mittuntur, qui vectigalia cuncta Ecclesiastica occupanda impediendaque curent, donec imperata pecunia persolvatur, et ne Clericis ea reddantur, redemtoribus interdicant.

XI. Ecclesiae in ea rerum iniquitate a Religione et Ec-

Ecclesiasticis armis, quae more Clericorum *censurae* nominantur, praesidium sibi petendum constituunt contra eorum conatus, quibus consiliariis Joanna et ministris uteretur. Itaque Salmanticae et Zamorae a rebus divinis sacrisque cessatum fuit, quae gravissima *censurarum* est, et extremum interdictum, idemque remedium adhibere ceterae jam Ecclesiae cogitabant; sed paucis diebus interjectis idem Pontifex Clericorum diligentia et querimoniis certior factus, suum decretum et confirmationem rescidit. Cujus mutati consilii causam idem Paulus fortasse nec honestam nec probabilem intulit, quod confirmatio illa suppressa priore rescissione a se fuisset extorta; itaque gravissimas poenas et exsecrationes per litteras in eos decernit, quorum consilio aut opera rebus Ecclesiasticis vis aut manus allata foret, nisi ab incepto desisterent; quibus litteris perlatis, et quibus visum est oportere, lectis, coeptum est in Regio Consilio diligentius de toto negotio consultari. Postremo placuit, ut inchoata causae cognitio commodius in tempus reservaretur, et exsecutores, ut factum est, revocarentur, et sic pax Ecclesiis ad tempus reddita, et sublatum interdictum.

XII. Sed non multo post inopia publica, et belli tum Neapolitani, tum Gallici, cujus utriusque auctor et causa idem Pontifex fuerat, rationibus adhortantibus, causae cognitio in Consilio Regio Valdoliti repetita est, et judicatum communi sententia, decretum Julii III. et privilegium tanto et tam pio et optime de Ecclesia merito Regi ad necessarios pii belli usus et impiorum injurias propulsandas irrogatum, non fuisse genera-

rali abrogatione rescissum, ut ipse Paulus suis litteris declarasset. Qui si postea, dum bellum Neapolitanum in eumdem Regem injustissime compararet, privilegium nominatim abrogare tentasset, eum non pro Pontificis officio et justitia fecisse, sed suis privatis rationibus et cupiditatibus servientem.

XIII. Ceterum Joanna Princeps in tanta rei nummariae difficultate anxium et solicitum animum gerens, aures dedere non desistebat, siquis viam aliquam conficiendae pecuniae excogitatam afferret, a quo genere hominum inducta rationem quamdam inivit silentio propter ejus novitatem non praetereundam, cujus initae rationis occasio ex amissa Bugia nata est. Hoc enim oppidum in Africae ora maritima nostrorum praesidio cum teneretur, nuper in Turcarum potestatem per deditionem venerat, ab Alfonso Peralta praefecto et Ludovico Godino turpiter ac ignominiose factam. Nam Ludovicus paulo ante rationem gesti muneris a praefecto repetiturus, cum manu militari in praesidii supplementum et grandi pecunia in stipendium data venerat, cum Regis Argeliae ac Turcarum praedonum et Numidarum auxiliarium magnus exercitus Bugiam inductus est, a quibus oppidum terra marique obsideri ac oppugnari coeptum est, tormentisque concusso muro, et parte diruta, nec tamen solo aequata, cum res ad extremum casum perducta esse videretur; hi duo, penes quos erat imperandi summa, animo deficere coeperunt, et rebus desperatis, integro praesidio, non exspectato hostium impetu, citraque certamen, suam et paucorum vitam et libertatem ab hostibus paciscuntur, cete-

ros

ros in servitutem, pecuniam oppidumque in hostium potestatem permiserunt.

XIV. Cujus sceleris ac impietatis non multo post in Hispaniam delati cum duobus aliis consilii participibus capite damnati sunt, et in Alfonsum Peraltam statim animadversum. Nam ceteri cum provocassent, omnem culpam in praefectum rejicientes, ex vinculis, dum haec proderem, causam dicebant. Itaque Peralta, quod dedecore potius tantaque jactura et multorum sociorum servitute, quam manu fortiter vel cum certo periculo propugnando salutem quaerere animum induxisset, debitas justasque poenas capite luit.

XV. Cum igitur a Joanna, nescio quibus auctoribus, consilium de recipienda Bugia iniri alieno tempore coeptum esset, ad civitates singulas opportuni homines cum litteris et mandatis diversi mittuntur; quorum mandatorum summa erat, ut milites populis ad Bugiam recipiendam, nullo praescripto numero, sed quantum Senatui pro magnitudine populi et opibus visum fuisset, imperarentur: praeterea, ut darent operam, quo extrema Regis inopia sua liberalitate extra ordinem sublevaretur. Benigne audita est a civitatibus ea denuntiatio de militibus imperandis; nam amissae Bugiae nuntius cunctorum per Hispaniam animis magnum dolorem et timorem incusserat, reputantium oppidum imminens Hispaniae Turcis mare nostrum piraticis infestantibus perfugium et receptaculum cum magno nostrorum periculo factum esse.

XVI. Ut igitur cunctis amissio Bugiae molestissima fuerat, sic gratissimus erat recipiendi conatus. Itaque non

non gravate statim milites pro cujusque civitatis facultatibus imperantur. Corduba nostra trecentos pedites et equites sexaginta cum sex mensium stipendio decrevit, et praefectos ex Senatoribus designavit. Sed cum postulatum ex mandatis esset, ut pro milite stipendium militare tribueretur, nam Regi milites et praefectos abunde suppetere; Senatus commentum id esse ad nummos eliciendos suspicatus est: itaque civitatem milites in bellum Africum, qui stipendio suo alerentur, daturam dixit; pecuniam, quae posset in alios usus converti, negavit; ita nec stipendium tributum est, nec exercitus confectus, sed pecunia non grandis per civitates singulorum voluntaria tributione ad publicos Regni usus, prudentibus viris et Regiae famae studiosis non approbantibus, huic officio destinatis hominibus collata.

XVII. Illud igitur in primis Regibus cavendum esse videtur, ne sumtibus extra modum prodeant, neve aerarium largitionibus extenuent; sed omnium maxime bella non necessaria vitanda, quae brevi tempore, nedum multis annis, solent ditissima etiam Regna et opulentissimas Respublicas exinanire; ne consumtis opibus, quae magnam Principibus opinionem et auctoritatem praebent, talibus casibus fiant opportuni, et auctoritate etiam in suos et amicos imminuta hostibus desinant esse formidolosi. In tanta igitur rei nummariae difficultate peropportune accidit eodem anno mense Augusto, ut argentarium metallum ad Guadalcanale Baeticae oppidum ab ejus municipe Martino Delgado inveniretur, qui multis annis ad Orbem Novum frustra consumtis inanis auri et argenti, sed metallorum pe-

peritus in patriam cum revertisset, quod tam longe diu petenti restricte fortuna negaverat, id domi paucis diebus eidem investiganti largiter tribuit, monstrato metallo tam dite vena, ut ex eruta massa terrae sextam circiter partem argenti secerni quasi legitimum habeatur; quin etiam ex uno puteo plus quam tertia pars secernebatur, unde tribus mensibus argentum effossum est, quod centum quinquaginta aureorum nummorum drachmalis ponderis millibus valebat.

XVIII. Totius autem negotii propter rei magnitudinem et famam Rex ipse per suos administros curam suscepit, ascitis ex Germania metallorum peritissimis hominibus ad sexaginta, quorum majore parte domum intra annum redeunte, Hispani consuetudine illorum edocti in opus et artificium successere, quod a magno numero noctu diuque continuatur. Nam cum coementariis administris tecta, quo praefectus, fabri et operarii sese recipiant, aedificantibus, trecentis amplius hominibus utrumque opus urgeri constat, et his undecim mensibus argentum, quod sit eorumdem nummorum aureorum amplius quinquies centenorum millium, effossum et excretum esse, Augustinus Zaratus, vir gravis et industrius ex Regiorum Quaestorum numero, qui toti metallico officio Regis voluntate praeest, nuper mihi per epistolam percunctanti rescripsit, et simul cetera huc pertinentia, quae memoravimus, exposuit; illudque adjecit, sexaginta nummorum aureorum millia eodem temporis spatio in utrumque metalli ac aedificiorum opus impensa fuisse; inventores autem metalli duos fuisse scripsit, nam post Martinum, Gonzalum Delgadum al-

alteram venam in propinquo investigasse, quibus lege pars tertia cum decernatur, tamen, nescio quo pacto, rem in controversiam fuisse adductam, nec ad eam diem dijudicatam ascripsit.

XIX. Magnis Carolus Caesar et diuturnis laboribus exagitatus gravius aegrotare coepit, ex eo bello potissimum contractis morbis, quod cum Germanis durissimo anni tempore saevaque hieme gessit, ut Principibus defectionis debellatis, omnes ad officium et Fidem Catholicam, auctore Luthero relictam, redire compelleret. Itaque cum articulari aetate ingravescente alii etiam difficiles morbi afflictum invaserunt, quibus impeditus diu sese intra domesticos parietes continebat; non in publicum prodire; non se a quoquam, praeter sorores Reginas et intimos familiares, adiri pati; nulli publico negotio vacare. Itaque fuit tempus, cum novem continuos menses, ut vel epistolis vel diplomatis subscriberet, adduci non potuerit; quod cum maximo reipublicae incommodo magnaque rerum perturbatione ac dispendio fiebat, non solum quia de summis rebus et rempublicam attingentibus injussu Regis nihil erat statuendum, sed etiam quoniam pleraque maxima negotia undique ad ipsum, ut ad Reges solent, rejiciebantur.

XX. Tantis malis Carolus ut occurreret, omne suum imperandi jus et potestatem in Philippum filium transferre constituit, ita ut ille sibi tamquam demortuo in omnia Regna succederet. De quo jam pridem cogitaverat, atque hujus rei gratia sibi domum exaedificari jusserat coenobio contiguam Monachorum ex Hieronymi

mi familia, non longe a Placentia Lusitaniae, quod *Justi* cognominatur, ubi cum parva familia privatam vitam peragere decreverat, opportunitatem loci, qui non procul oppidis abest, quae Reges Hispaniae frequentare solent, coelique temperiem secutus. Primum igitur Mediolanensi Ducatu Philippo filio cessit, deinde Regno Neapolitano, tum Belgico Principatu, postremo Hispania, novoque Orbe, et quidquid praeterea sub imperio nostrorum Hispanorum est. Haec autem ultima cessio facta est Bruxellis, cum Philippus ipse adesset, ad decimum septimum Kalendarum Februarii, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus quinquagesimus sextus, idemque dies epistolis adscriptus erat, quas eisdem de rebus Carolus uno exemplo itemque Philippus ad omnes Castellae civitates sigillatim dederunt. Epistolarum, quas ipse Cordubae legi, exempla infrascripta sunt. ANN. M.D.LVI.

CAROLUS IMPERATOR ET REX
SENATUI POPULOQUE CORDUBENSI
S. D.

XXI. „Ex litteris a me post meum ex Hispania digressum publice missis nota est vobis, ut opinor, consiliorum meorum rerumque gestarum ratio et progressus. Pro meo scilicet studio in Christianam Religionem, dum publice Christianorum concordiae consulere, et utilitatem Ecclesiae quorumdam scelere multifariam dilaceratam restituere cuperem; difficile bellum in tumultuantes Germanos suscepi, atque ope divina confeci, ut principibus defectionis ac pertinacio-

„ ribus devictis, omnes in officio continerem, et in „ eam voluntatem traducerem, ut aequiore animo pu- „ blicam Religionis causam universali Sacerdotum Con- „ cilio dijudicandam committerent, ac decretis ejus ob- „ temperarent. Quibus rebus constitutis, et Concilio vo- „ luntate quidem ac jussu Pontificis Maximi, sed mea „ potissimum opera et cura coacto, huc toto pectore „ incumbebam, ut conventus ille sacer, nemine impe- „ diente, ex Ecclesiastica dignitate et gravitate perage- „ retur. Sed Henricus Rex Gallorum, quibusdam Ger- „ manorum ad defectionem solicitatis, eorumque scelere „ et perfidia abusus injustissimum bellum in me mo- „ vit, nulla justa causa, sed temeritate nefaria, mobi- „ litateque inductus, ut mea pia coepta et publicam „ Christianorum pacem non terra solum, sed etiam „ mari conturbaret, Turcarum classe in magnam Chri- „ stianorum jacturam ac perniciem, praesertim eorum, „ qui meae ditionis et clientelae sunt, ascita. Quarum „ rerum et injurias propulsandi gratia magnos exerci- „ tus conficere ac ducere, magnasque molestias in bel- „ lo laboresque perferre coactus sum; ita ut diu sae- „ va hieme tectum subire me ratio susceptarum rerum „ prohiberet, qui labores et maximae curae sic me per „ contractos morbos afflixerunt, ita meas et corporis „ et animi vires extenuarunt, ut jam diu publicis ne- „ gotiis et Principalibus Regiisque muneribus non suf- „ ficiam. His ne diutius desim, neve Reipublicae, cui „ consultum maxime vellem, rationibus obsit, impedi- „ mentoque sit invaletudo mea; statui jus et regnandi „ potestatem omnem in Philippum filium carissimum

„ Bri-

„ Britannum Neapolitanumque Regem transferre, quo „ consilio me non ante usum fuisse doleo; sed cum „ aliae rationes non improbabiles obstiterunt, tum ejus- „ dem Philippi absentia, cum quo praesente mihi erant „ consilia communicanda. Itaque non solum Britanno- „ rum Reginae matrimonii, sed hujus etiam rei causa „ ipsum ex Hispania in has regiones evocavi. Consiliis „ igitur inter nos communicatis, cunctisque rebus con- „ stitutis, quod jam pridem animo gerebam, perfeci; „ et cum prius aliarum gentium Regno et Principatu „ cessissem, tum ad decimum septimum Kalendas Fe- „ bruarias, quo die has ad vos litteras dedimus, de „ Castellae Legionisque Regnis, et quidquid in Ca- „ stellae ditione ac imperio est, eidem Philippo decessi, „ scripturis et legitimis instrumentis, quae huic rei te- „ stimonio sint, confectis. Nam pro singulari ejus pru- „ dentia, justitia et moderatione, ceterisque virtutibus „ in ipsa Hispaniae procuratione perspectis, magna me „ spes tenet fore, ut mortales sibi subjectos in pace, „ concordia et officio feliciter contineat, et ab ex- „ ternis injuriis strenue ac fortiter tueatur. De qua no- „ stra voluntate, instituto et cessione placuit, ut ce- „ teras civitates, sic vos certiores facere, ut eumdem „ Philippum Regem vestrum, non secus ac si ego pa- „ ter vita excessissem, agnoscatis recipiatisque; quod „ ut faciatis, vos hortor et jubeo, vestramque volun- „ tatem et consensum tollendis ejus nomine vexillis, „ et signis militaribus per arces ac edita loca propo- „ nendis, ceteraque consueta caerimonia declaretis, et o- „ omnibus officiis Regi debitis eumdem fideliter colentes

„ im-

„ imperata ejus , ut mea consuevistis , obedienter fa-
„ ciatis. Valete. Bruxellis.

PHILIPPUS REX
SENATUI POPULOQUE CORDUBENSI
S.

XXII. „ Quid Carolus pater , Imperator Augustus et „ Rex , post longam deliberationem de Regnis suis con- „ stituerit , ex litteris ejus ad vos missis cognoscetis , „ ut diuturnis morbis , quominus tot tantaque Regna „ tantis intervallis distincta per se administrare possit „ impeditus , et causis necessariis inductus omne suum „ jus et imperandi potestatem in me filium transtule- „ rit. Quam conditionem accepi quidem , ne a pia ejus „ voluntate discreparem ; dolui tamen , ejusque fortunam „ tum ipsius , tum reipublicae causa lacrymis prosecutus „ sum ; dignissimus enim erat Princeps optimus , et ma- „ ximarum rerum usu omnique virtute praestans , cui „ firmior et constantior valetudo contigisset , ut in tan- „ ta temporum atque hominum iniquitate non solum „ sua Regna , uti se dignum erat , administraret , sed „ publicae Christianorum saluti ferret opem , ac Reli- „ gionis et Ecclesiae , cujus erat studiosissimus , digni- „ tati et integritati consuleret. Sed quamquam integris „ ejus viribus meas longe impares esse cognosco , cona- „ bor tamen ope divina fretus , ut ejusdem de me ju- „ dicio et commisso muneri satisfaciam , ut his ille cu- „ ris et solicitudinibus explicatus liberius possit corpo- „ ris et animae saluti servire , seque ad rationem facto- „ rum et consiliorum Deo , cum vita excesserit , qua

„ ma-

„ maxima cura nunc solicitatur, reddendam comparare.
„ Valete. "

XXIII. His epistolis acceptis, res per omnem Castellam, ut imperabatur, administrata est; Aragonenses enim lentius sibi agendum esse constituerunt. Carolus autem cum duabus sororibus Reginis Leonora et Maria in Hispaniam navigavit, appulitque Laredo circa Kalendas Octobris, unde per Burgensem urbem Valdolitum progressus, ibi cum filia Joanna et nepote Carolo perpaucos dies moratus est. Tunc sororibus Valdoliti relictis, in coenobium *Justi*, de quo supra memoravimus, contendit; quo cum appropinquaret, ad *Jarandillam* vicum in propinquo substitit, dum ad cohortis praetoriae et reliqui comitatus emerita stipendia persolvendum pecunia submittitur; qua perlata, ceterisque dimissis, cum paucissimis domesticorum ad vitam privatam necessariis administris in coenobium processit, ubi vitam egit monachali ac philosophicae similem, Monachis maxime vel concionantibus, vel sacras scripturas interpretantibus vacans: nam se adiri officii salutandique, aut negotiorum causa aegre et rarissime permittebat. Atque ad hunc quidem modum Carolus Caesar cum annos quadraginta regnasset, et annum ageret aetatis quinquagesimum sextum, civilis Regiaeque vitae finem fecit; et nos pauca de ipsius natura et moribus effati historiae finem faciemus.

XXIV. Erat Carolus statura mediocri, sed brachiis et cruribus crassis compactisque, et roboris singularis, ceteris membris proportione magnoque commensu respondentibus, colore albus, crine barbaque ad flavum in-

inclinante ; facie liberali , nisi quod mentum prominens et parum cohaerentia labra nonnihil eam deturpabant. Quod vero pertinet ad mores, animosus erat , et qui pericula in bello, plus quam Principem Imperatoremque deceret , interdum sponte subiret : equitandi et jaculandi et militaria munera meditandi studiosus. Bella non nisi justis ex causis suscipere , sed per se, quoties licuit , quam per duces geri malle ; quin etiam munera quaedam praefectis militaribus mandanda saepe ipse per se obibat. Idem bella quaedam alacriore animo junior suscepit, quam fuerit difficultatibus exsistentibus persecutus. Nam ingravescente aetate, bellum , quo Germanos tumultuantes pacavit , multis magnisque difficultatibus et calamitatibus alienissimo anni tempore superatis , constantissime feliciterque gessit. Cujus successus memoria et spe confirmatus , paucis post annis bello Gallico , saevissima hieme , cum magnus exercitus sub pellibus Metim , quod oppidum operibus munitissimum firmissimo praesidio defendebatur , circumsederet , obstinante obsidione urgere perseveravit , amicis et praefectis nequidquam reclamantibus , ita ut hominum millia circiter triginta morbis et frigoribus amiserit , ne, quod tandem facere coactus est , re infecta discederet.

XXV. Circa trigesimum aetatis annum morbo articulari tentari coepit. Die semel dumtaxat accumbebat in publico , cibumque paulo immoderatius sumebat , idque circa meridiem et in loco publico , Hispanorum Regum patrio more , multis non solum domesticorum , sed alienorum etiam astantibus. Nemo enim , modo non indignus , eo loco excludebatur , donec dentes circa

aeta-

aetatis annum quinquagesimum decidere coeperunt; nam ab eo tempore libentius cibum loco secretiore, vitatis spectatoribus, sumebat. Vestitu utebatur parum aut nihil a communi et vulgari procerum abhorrente. Non astutus, non fallax, sed simplicis veritatis amator; gravissimus ubique, et in susceptis consiliis institutisque constans: quam persuasionem semel induisset, ab ea ut deduceretur, vix fieri ulla ratione poterat.

XXVI. De largitate ipsius non omnes uno modo loquebantur; quidam enim fortiter facta et egregia quorumdam militum facinora et familiarium officia haud ita magnis praemiis ab eo remunerata fuisse videntes, id animi vitio avaritiaeque vertebant; alii contra profusum eumdem esse confirmabant, qui tot Regnorum vectigalibus et tributis ordinariis, et magna atque adeo incredibili auri et argenti vi, quae ex Orbe novo deportabatur, sumtui non suppetentibus, ingens aes alienum conflaverit, maxima Regiorum vectigalium parte oppignerata, item complura oppida castellaque ex iis, quae militarium Religionum equitibus virtutis servitiorumque gratia tribuebantur, vendiderit. Ille vero ab invitis quoque et quibusdam coactis pecuniam sine pignore mutuatus est, sed bona fide; omnibus enim persoluta est; mularumque ephippiatarum usum, quem lege vetuerat, quinquagenis ducatis permisit, quibus equi coëmerentur ad equites praetorianos et praesidiarios imponendos, qui suos ad Argeliam amiserant. Quosdam etiam perpetuos Magistratus non necessarios, vendendi causa per oppida creavit. Ecclesias et Clericos annua tributa pendere cogebat, non tamen sine

Pontificis Maximi permissu. Nec mirum tam infinitam pecuniarum vim ad sumtus ei non suffecisse, qui bella, ex quo Regnum suscepit, annos circiter triginta quinque paene continenter gessit, dum alia necessario defendit, alia justis quidem ex causis, sed non ita necessariis, infert.

XXVII. Erat religiosus in primis et singulari in Deum pietate. Sacerdotia et Episcopatus raro nisi doctis probisque viris mandare, et his magna ex parte sibi quidem prorsus ignotis, sed de quorum virtutibus dumtaxat audierat; qua in re non semel fuit ab iis, quorum fidem sequebatur, deceptus. Nam sibi notos et familiares facile contemnebat, quippe in quibus minora etiam vitia vel cognita, vel audita magnas virtutes interdum apud ipsum obscurabant, nisi forte, ut quorumdam suspicio fuit, ambitiose cavebat, ne in Episcopatibus mandandis gratiam et officia praestita magis, quam mores, doctrina et religionem spectasse videretur. *Pensiones* tamen Clericis familiaribus suis et familiarum filiis, non tam morum et doctrinae, quam servitiorum officiorumque habita ratione ex fructibus Ecclesiasticis distribuere consuevit; de Episcopatibus enim et Sacerdotiis, quae *Abbatiae* nominantur, eorumque fructibus arbitratu ipsius pro jure scilicet Regum Hispanorum Pontifex Maximus statuebat.

XXVIII. Ceterum ex omnibus virtutibus justitiam maxime colebat, non solum instituto, sed pronitate quadam naturali; quamquam in causis capitalibus ad severitatem magis, quam ad clementiam inclinare videbatur. Itaque mortales sibi subjectos potentes cum tenuio-

nuioribus juris aequabilitate magnopere continere, nemini injuriam per odium aut gratiam inferri pati, ut invitus et bellicis necessitatibus coactus fecisse videatur, ut tributis et exactionibus ac inusitatis interdum pecunias imperandi rationibus subjectos, uti memoravimus, gravaret; ac eodem modo judico de injuriis, quas milites ejus in Italia pacatis populis inferebant, quos cum necessitate belli defendendi a suis ducibus inductos alere non posset, quominus iidem pacatorum bonis alerentur, continere nequibat, quamquam ea necessitas hujusmodi erat, ut Caroli culpam sublevaret, non quemadmodum ipsi forsitan erat persuasum, omnino tolleret, praesertim in his bellis, quae non ita necessariis ex causis suscepit.

XXIX. Nam se suaque ab invadentium injuriis defendere jus est et fas, et siquid in eo peccatum fuerit, necessitas ipsa dat veniam, aut certe delicta facit leviora. Bellum autem Princeps ad persequendas injurias vel repetendum res ablatas sic inferre debet, ut tamen dum externorum injurias ulcisci studet, ne sit ipse injuriosus in suos. Etsi enim interdum, ut parti consulatur, aut periclitanti subveniatur, totum reipublicae corpus ad tempus aliqua molestia non inutiliter nec imprudenter afficitur medicorum exemplo, injuria tamen semper est Principi fugienda, praesertim in suos, cavendumque in primis, ne futuro dubioque malo praesente certoque incommodo velit occurrere, neve damnum acceptum majore sarciat detrimento. Itaque boni justique Regis, et probum patrem familias, ut debet, imitantis officium est, ad bonum publicum spectantem

cuncta prudentia et aequitate moderari. Nam cum Regna, quae quidem jure nominentur, non ad Regum utilitatem, sed ad subjectorum populorum salutem et commoditatem constituta sint, ut Philosophi docent, Rex in reipublicae administratione publicam mortalium suae fidei commissorum commoditatem spectare debet, et optimus esse commodorum et incommodorum ratiocinator, ne suae libidini aut privatis commodis, quod est tyrannicum, servire videatur; quamquam Princeps, qui Regni bonum publicum sibi proposuit, suum quoque bonum haud dubie consectatur. Regnum enim quasi corpus quoddam est, cujus Princeps sit caput; toti autem corpori consulere, ut non simul capiti prospiciat, nemo potest.

XXX. Gloriae ac famae Carolus studebat, sed ita ut minime leviter esset ambitiosus; non enim gloriam et laudem expetere vitiosum est et ambitiosorum hominum, sed ex simulatione et falsa ostentatione virtutum famam inanem aucupari: nam solidam gloriam, quae proprium est virtutis praemium, ex rebus praeclare et magna cum virtute gestis non aspernari magnorum virorum est, et cum virtute conjunctum, modo ne fama virtute antiquior habeatur. Multa habeo exempla, quibus docere possim, quam esset Carolus inanis gloriae et falsae laudis contemtor egregius; sed, quae ipse vidi, commemorabo.

XXXI. Cum aliquando mihi de rebus ab ipso gestis conquirenti, et in magna sermonum varietate laboranti visum esset Carolum ipsum de facto quodam suo percontari; supplicibus verbis ab eo poposci, ut de

de rebus quibusdam gravissimis ab ipsomet gestis mihi propter magnam referentium diversitatem ambigenti veritatem exponere tanti putaret : *Sed ne tibi*, inquam, *molestus sim de singulis inquirendo, commodius, quae ex graviorum sermone conscripsi, recitabo; tu, quae vere tradita sunt, haec silentio probabis: quae secus, ea paucis verbis refelles et emendabis*. Haec cum ego dixissem, sic paucis suo more Carolus respondit: „ *Haud mihi gratum est* „ *legere vel audire, quae de me scribuntur; legent alii, cum* „ *ipse a vita discessero; tu siquid ex me scire cupis, percun-* „ *ctare, nec enim respondere gravabor*. " Qua oratione declarare mihi visus est, id quod ipse consilium ejus collaudando pronuntiavi, nolle se pro cetera ipsius animi magnitudine et gravissimi Principis officio, rerum a se suisque gestarum scriptoribus fingendi et assentandi causam et invitamentum dare, ut quidam ambitiosi solent, vel rursus a simplice veritate prodenda deterrere; quod cum sit animi haud quaquam leviter ambitiosi clarum documentum, hoc tamen, quod subjiciam, multo majus esse judico.

XXXII. Conscripseram ex cujusdam nobilis quidem nec indocti adolescentis, sed plus justo Caroli laudum studiosi sermone quaedam, quae maximo documento esse poterant ad Caroli justitiam et altitudinem animi declarandam, hoc magis habita fide, quod auctor erat ex intimis Caroli familiaribus; sed cum praeclari facinoris, de quo ipse accurate diligenterque memoraverat, nullum praeterea testem invenissem, faciendum mihi putavi, ut Carolum ipsum cognoscendi gratia convenirem, quam mihi facultatem ipsius humanitas, si res po-

posceret, non denegabat, et ad rogata plane sincere ac paene religiose respondebat; ad summam, ut ipse mihi in quodam colloquio oportere dixit, more eorum, qui Sacerdotibus sua delicta Christianae religionis Sacramentique causa confitentur. Cum factum igitur, de quo dubitabam, proposuissem, et accurata oratione, ut a me fuerat scriptum, retulissem, negavit se facti ejus meminisse. Quo responso conturbatus ego, metuensque, ne a me leviter in ipsius gratiam confictum esse putaret, auctorem nominavi. Tunc ipse miratus pauca commemoravit, quae adolescentem videri poterant in errorem induxisse; nam et hoc animadverti, ipsum peccata et culpas suorum solitum esse libenter, quoad fieri posset, excusare; sed in eo perstabat, ut tamen ejus facti se meminisse negaret: *Ego vero percunctabor*, inquam, *Franciscum Covum et Perenotum Granvellam, quos ubique soles in consilium adhibere*. Tunc ille, cavens scilicet, nequa ratione res fictitia tanta praesertim pro vera in historiam inferretur, neve suum nomen falsis laudibus celebraretur: *Omitte*, inquit, *quaerere; haec enim res non gesta est, sed commentitia*.

XXXIII. Eamdem animi libertatem et falsae laudis contemtum in cohibenda Pauli Jovii avaritia non obscure Carolus declaravit. Paulus enim Jovius, Latine doctus in primis et eloquens, qui Historiam universalem sui temporis conscribebat, Bononiam, ubi Carolus aderat, profectus est, grande aliquod munus ab eo Historiae causa impetrandi fiducia. Venit autem Alexandrum Medicem ejusdem Caroli generum secutus, ut erat Clementi Pontifici Maximo et toti Medicum fami-

mi-

miliae propter jucundam consuetudinem et facetum sermonem acceptus ; sed cum diu pro sua fricata fronte munus aliquod a Carolo contendisset, et ne Alexandro quidem intercessore quidquam profecisset, repulsam iniquo animo non obscure ferebat, nec Caroli parcitatem cavillari desistebat. In epistola quidem Romam ad sodales missa, hoc in illius maxima laude ponebat, quod esset Princeps frugalissimus : et ad amicos in circulis: ¿*Ergone*, inquit, *Carolus Caesar animum inducere umquam potuit, ut vel claudam mulam mihi dono daret*? His Carolus ad se perlatis: *Longe*, inquit, *sua opinione fallebatur Jovius, si in eo, quod historiam scribit, satis invitamenti apud me fore putabat ad ea tribuenda, quae ipse sibi a me leviter pollicebatur: cum ob id ipsum, quod historiam scribit, satis habeat causae, cur a me nihil muneris exspectare debeat.* Qua voce, quae celeriter percrebuit, confirmare cunctis visus est, non se commissurum, ut rerum a se gestarum scriptorem muneribus corrupisse videretur ; nam quod postremo pensiunculam quamdam Jovio eidem attribuit, id ita fecit, ut facile appareret ipsum laborantis generi precibus cedere, nihil merita Jovii aut exspectatam gratiam spectare.

XXXIV. Quod Caroli praeceptum et consilium ad leviculorum scriptorum avaritiam cohibendam pertinens, sic accipiendum et probandum esse videtur, dummodo historiam scribendi munus, quod, si recte et fideliter obeatur, honestissimum est, et multas habet rempublicam attingentes commoditates, estque ad exemplorum, quibus potissimum homines ad aemulandam virtutem excitantur, et virorum bene de republica meritorum famam

mam celebrandam necessarium, gravis scriptoris egregiae doctrinae magnisque virtutibus, si forte adsint, et praestitis aliis officiis non obsistat, nec Principis liberalitatem, si alia merita cohortentur, retardet; id enim praepostera quaedam ambitio esset et inutilis reipublicae provisio, deterritis doctissimis et prudentissimis hominibus, qui optime omnium et cum maxima auctoritate id officium praestare possunt.

XXXV. Annum agens vigesimum sextum Carolus uxorem Hispali duxit Isabellam Emanuelis Portugalliae Regis et Mariae uxoris filiam, et ab eo tempore comitiali morbo, quo prius tentabatur, liberatus est. Ex hoc matrimonio Philippum stirpis maximum et Mariam atque Joannam procreavit, quarum filiarum pudicitiae tam solicite prospiciebat, ut post matris obitum numquam eas pateretur, nec apud se nec apud Philippum fratrem in aulica frequentia diutius commorari. Itaque in idonea municipia cum virginum et matronarum comitatu et duobus magno natu custodibus, uno viro Principe laico, altero Ecclesiastico Praesule, quasi a conspectu virorum ablegabat, propter patriam Hispanorum Principum consuetudinem; quippe mos est Reginis Regumque filiabus in publico cibum capientibus, illustrium familiarium virgines Reginarum domesticas nobilèsque adolescentes permistos astare, et submissa voce sermones inter se conferre; ita ut ab amatoriis et ad nuptias pertinentibus, quae ex hac consuetudine frequenter inter pares non invitis Regibus exsistunt, parum abstineatur. Nec vero tantum duas simul filias ab istarum rerum conspectu procul esse volebat Carolus; sed etiam

post

post Mariae matrimonium, in quod fuit Maximiliano Bohemiae Regi collocata, Joannam minorem natu, cum ad maritum et Hispaniae cum ipso procurationem deducta esset, separavit, non ignarus videlicet hoc quoque ad morum sanctitatem confirmandam magnopere pertinere, ut puellae nihil nec videant, nec audiant, quod a pudoris et honestatis specie abhorrere videatur.

XXXVI. Nec vero tantum in filiarum negotio cautus fuit; sed in cunctis fere rebus habitus est suspiciosus, praesertim in senectute; quippe id est homini naturale, ut quo plura quisque mala exempla viderit, hoc facilius in malorum suspicionem inducatur. Itaque post Francisci Covi et Perenoti Granvellae obitum nulli fere Consiliario satis fidebat, ac ideo raro consilia et cum paucissimis communicabat. Delatores quantopere improbaret, magnis documentis declaravit. Homo quidam nobilis Fernandum Avalum, qui Toleti seditionum popularium auctor cum Joanne Padilla fuerat, ex Portugallia, quo victis popularibus confugerat, in Castellam redivisse exploratum habebat, et in arce quadam delitescere; hoc ille ad Carolum referre maturat; occasionemque sibi oblatam esse ratus gratiam ab ipso quampiam ineundi, negotium sibi deposcit hominem auctoritate praetoria, ut poenas laesae Majestatis daret, comprehendendi. Carolus delatorem nullo dato responso dimisit. Paucis post diebus eidem quasi immemorem admonenti, responsumque reposcenti: *Honestius*, inquit, *fecisses, si cum hoc emanasse scires, Avalum ipsum de suo periculo docuisses*; ita negotium non contemnendum propter delationis turpitudinem neglexit.

XXXVII. Quo tempore Carolus ad bellum Solymani copias in Pannoniam superiorem undique contrahebat, Hieronymus Leiva centurio Antonii propinquus ad Carolum falso detulit, Alfonsum Avalum Vasti Marchionem pro militum Hispanorum minus sex millibus, quos ab Insubribus deduxerat, octo millium numerum jactare ad exigenda stipendia militaria. De quo Marchio incusatus Carolum adit, et cunctis precibus orat, ut Hispanorum copiae censerentur, et utrius fraus et crimen fuisset compertum, se vel delatorem capite puniret. Datum est negotium Machicao militum tribuno, a quo habito censu reperti sunt Hispani supra octo millia; itaque jubente Carolo palam exercitu ad Cremem urbem Hieronymus Leiva capite punitus est.

XXXVIII. Non absimile huic exemplum editum est post aliquot annos in Fernando Gonzaga, cum esset in procuratione Principatus Mediolanensis, in quam fuerat eidem Marchioni demortuo a Carolo suffectus. Ad Carolum enim, qui ad Belgium morabatur, epistola delata est, cui nomen ejusdem Fernandi Gonzagae ipsius manu subscriptum erat, velut intercepta fuisset, cum ad conscios et amicos occulte deferretur; quae significabat Fernandum Gonzagam ea moliri atque miscere, quae ad defectionem Principatus Mediolanensis, in quem ipse animum intendisset, pertinerent. Quam epistolam cum legisset Carolus, Fernandum ad se vocat quaerendi gratia. Is cum venisset, et de epistola ante oculos posita et recitata rogaretur, nihil animo perturbatus manum et subscriptionem agnoscit, negat tamen epistolam vel a se vel ab aliquo suorum librariorum scriptam fuisse, sed

sed ab aliquo calumniatore, qui hostilem in se animum gereret, confictam, a Joanne Luna fortasse arcis Mediolanensis praefecto, vel a Francisco Taverna magno Cancellario, vel a Francisco Ibarra, qui praefectus erat stipendiis militaribus solvendis: nam se, ut saepe fit, republica poscente, his consciis, tribus nondum scriptis chartis nomen suum subscripsisse, quarum chartarum duae dumtaxat fuissent ad usum destinatum accommodatae, hanc videlicet esse tertiam ab inimicis conscriptam, et flagitioso mendacio in suam infamiam et perniciem fabricatam. Hoc Carolus ex ante acta Gonzagae vita et aliis conjecturis facile sibi persuasit; itaque Joannem Lunam et ceteros, qui in suspicionem criminis venerant, praefecturis et magistratibus privavit, ut doceret viros, qui reipublicae praesint, oportere non solum talibus criminibus, sed etiam eorum suspicione carere; Fernando vero Gonzagae successorem dedit, iis potissimum rationibus ductus, quibus leges prudentissime latae nituntur, quae provinciarum ac civitatum praefecturas diuturniores esse vetant.

XXXIX. Post annum aetatis quinquagesimum, prementibus morbis, tantopere negotiorum odium cepit, ut diutius interdum nec se adiri aut conveniri, praeterquam ab intimis pateretur, nec libellis subscribere animum induceret, non sine suspicione mentis imminutae; itaque constat novem mensibus nulli nec libello nec diplomati subscripsisse, quod cum magno incommodo reipublicae populariumque dispendio fiebat, cum a tot nationibus, et quibusdam longissime jus inde peteretur, et certe summa negotia ad ipsum fere rejicerentur.

tur. Sed horum malorum non tam in moribus erat culpa, quam in adversa valetudine: ex magnis enim et insolentibus laboribus, dum bella in Germania Galliaque durissimo anni tempore gereret, in graves morbos inciderat; quamdiu enim integra valetudine fuit, justitia, religione, magnitudine animi, gravitate atque prudentia, ad summam omni Regia civilique virtute praestitit; sed accidit ei, quod fere maximi ingenii maximique animi viris accidisse, clarissimis exemplis Philosophi docent, ut atrae bilis morbis tentaretur; verum in hac ipsa invaletudine Carolus magnum insitae justitiae atque virtutis documentum dedit, qui sibi valetudinis ad imperandum ineptae conscius sua sponte sese Imperiis omnibus abdicavit, et omnium Regnorum jus et imperandi potestatem in Philippum filium transtulit, cum regnasset annos quadraginta, perinde ac si moriens heredem ipsum successoremque relinqueret.

XL. Itaque ex Belgio cum duabus sororibus Eleonora et Maria in Hispaniam classe per Oceanum reversus in agri Placentini coenobium Hieronymo dicatum, quod ad radices Orospedae montis, qua solem orientem et meridiem spectat, *Iusti* cognominatur, cum paucis ad vitam privatam necessariis administris secessit, cujus rei gratia aedes coenobio contiguas, non admodum nec capaces nec superbas, sed tali vitae et secessui convenientes, jam pridem construendas mandaverat, in agro scilicet et loco amoeno, atque ea caeli temperatura, ut nec aestivis caloribus magnopere, nec frigoribus hibernis infestetur; quamquam secedendi, cum res pateretur, consilium non tam ex morbis, quam ex taedio

dio negotiorum, Isabella etiam uxore vivente et conscia, ortum habuerat, ut mihi ad idem coenobium primarii Monachi, qui ex Carolo ipso audierant, retulerunt, cum ejus salutandi gratia, quod mihi loco magni beneficii contigit, eodem processissem. Nam extra paucos illos domesticos Carolus a nemine, ne a proceribus quidem quacumque ex causa se adiri, aut conveniri, nisi aegre admodum patiebatur, praeterquam siquis a liberis aut sororibus cum litteris et mandatis missus esset: summis enim rebus, ut de bello et pace se consuli, deque fratris, liberorum et sororum salute, et statu rerum certiorem fieri non recusabat. Hinc etiam paucis post mensibus Carolus jus Imperii Romani, quod solum sibi retinuerat, in fratrem Fernandum transtulit, qui Rex erat Bohemiae Hungariaeque, et Rex Romanorum dicebatur.

XLI. Paucis ante mensibus, quam Carolus a vita discederet, compertum est tum ad Valdolitum et Zamoram, tum ad Hispalim multos mortales in haeresim Lutheranam delapsos esse scelere et impietate duorum maxime Monachorum instituti Dominicani, quorum alter erat ex Roxarum, alter ex Guzmanorum illustribus familiis, qui vitam monachalem exosi, liberioremque vivendi rationem et peccandi licentiam expetentes, de inficienda Hispania Lutheranis erroribus conspirarunt, hanc proximam viam esse rati ad id, quod votis omnibus expetebant; itaque alter ad Hispalim, alter ad Valdolitum, Taurum et Zamoram occultis impiisque colloquiis incautorum hominum et muliercularum animos in errores impios praecipitarunt; quod cum ad vindi-

dices haereticorum, *Inquisitores* ecclesiastico more nuncupatos, per indicem fuisset delatum, primum auctores Monachi capti, et in custodiam dati sunt; deinde ceteri sontes, quive in suspicionem venerant, comprehensi, quorum numerus ducentorum amplius fuit.

XLII. Harum rerum Carolus a filia per litteras certior factus, vehementer commotus est, molestissime ferens pestem, quam ipse ut averteret a Germania, multos labores et pericula subierat, in Hispaniam latenter irrepsisse, Christiani orbis ab ea labe integerrimam gentem, ipsique ob eam causam maxime omnium acceptam. Itaque nulla interposita mora per litteras primum, deinde per nuntium Ludovicum Quixadam familiae suae praefectum, Joannam filiam, et summi tribunalis haereticorum vindices adhortatur monetque, ut ad summam diligentiam in eo crimine perquirendo, et primo quoque tempore sine personarum delectu et discrimine vindicando nihil sibi reliquum facerent; sed cum, multis diebus interjectis, animadverteret, rei magnitudine et gravitate festinationem impediri, urgente morbo, quo paulo post absumtus est, ad testamentum factum codicillos adjecit, in quorum initio sic scriptum erat:

XLIII. „Cum primum ex litteris Joannae filiae de „quorumdam haereticorum Lutheranorum crimine ad „Valdolitum et alias urbes Hispaniae compertum esse „cognovi, et eorum quosdam in custodiam datos, a- „lios ad poenam conquiri certior factus sum, sta- „tim eidem filiae rescripsi, diligentissimeque manda- „vi de iis, quae ad crimen coërcendum et vin- „dicandum pertinere videbantur; deinde Ludovicum „Qui-

„ Quixadam ad eamdem et supremos Magistratus hae-
„ reticarum causarum judices cum mandatis de rebus
„ omnibus misi. Nec dubito, quin Rex Philippus fi-
„ lius ipsaque Joanna, cui est a fratre Hispaniae pro-
„ curatio tradita, et Magistratus iidem omnem diligen-
„ tiam adhibuerint, adhibiturique sint, ut huic pesti
„ tantisque malis occurratur, et perniciosus morbus ex
„ mentibus Hispanorum, quos invaserit, quam citissi-
„ me fieri possit, exstirpetur, prout rei conditio et pe-
„ riculi magnitudo postulat, edito exemplo, quo pravo-
„ rum animi a tanto scelere ac deserenda Fide Catho-
„ lica deterreantur; de quo negotio et exsequendi ra-
„ tione eidem Joannae diligentius etiam et accuratius
„ proximis litteris perscripsi. Haec cum ita sint, et
„ mihi de liberorum administrorumque diligentia et
„ fide ita persuaserim; me tamen pietas in Deum fi-
„ desque in Ecclesiam Catholicam solicitum habet, pro
„ cujus dignitate et auctoritate tuenda, et ab haereti-
„ corum fraudibus et sceleribus vindicanda, sciunt o-
„ mnes, quot quantosque labores cum meae salutis pe-
„ riculo gravique dispendio susceperim obierimque,
„ gravissimis morbis inde contractis. Quibus cum jam
„ resistere nequeam, officii esse duxi, ut antequam a
„ vita discedo, quemadmodum per testamentum feci,
„ sic rursus per codicillos cum Rege Philippo filio ca-
„ rissimo et Catholicae Religionis colentissimo eisdem
„ de rebus agam. Philippum igitur filium etiam at-
„ que etiam hortor, moneo, obtestor, et pro paterno
„ jure praecipio, ut hoc negotium, in quo ipsius et
„ Hispaniae maxima res agitur, summa cura et vigilan-

„ tia

„ tia suscipiat, sic ut in haereticos pro ipsorum audacia et scelere per severum judicium legitimis poenis, „ sine ullo personarum discrimine, vindicetur; nemini „ faciat delicti gratiam; nullius precibus concedat; li„ beram potestatem Magistratibus et judicibus relin„ quat, eosdemque firmo praesidio muniat; sic enim „ ipse suum officium Deo et Ecclesiae Catholicae prae„ stabit, vicissimque Deus, qui verae pietatis cultores „ et assertores cumulatissime remunerari consuevit, coe„ pta ipsius secundabit, aderitque in periculis, et ipse „ mihi patri rem gratissimam et omnium optatissimam „ faciet.“ Obiit autem Carolus ad idem Iusti coeno-
AN. M.D.LVIII. bium undecimo Kal. Octobris Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo.



IN-

INDEX

RERUM MEMORABILIUM UTRIUSQUE VOLUMINIS

DE REBUS GESTIS CAROLI V. IMPERATORIS

AB EDITORIBUS DIGESTUS.

Numerus Romanus volumen, *Arabicus* paginam *indicat.*

Ale-

B

Prae-

C

to tradi. I. 357. In Carthaginensem portum cum universa classe ingreditur. I. 357. Vix dum dimidia parte peditatus exposita, in terram descendit. I. 357. Vasti Marchionem, ne Hispani temere vagentur, curare jubet. I. 357. Vestitu et armatura parum abhorrens a communi et militari in Germanos, quorum sermonis nonnullum usum habet, curaturus imperaturusque contendit. I. 357. Militem Germanorum paulo longius excedentem conspicatus in eum hasta infensa invehitur. I. 358. Eodem milite sclopetum in Carolum intendente, inopinati periculi timore perculsus in Germanum invehitur. I. 358. Petenti dextram dat; sed eum gravi responso coërcet. I. 359. Stativa habere constituit, dum equi exponuntur. I. 360. Nomadum et Turcarum non parva manu Hispanos lacessente, veteranas Hispanas cohortes se sequi jubet, fugatisque hostibus copias in castra reducit. I. 360. In altero soli Carthaginensis vico considet. I. 361. Hazeni exercitum et commeatus, quos pollicitus fuerat, frustra exspectat. I. 361. Expositis equis nonnulla praelia facit. I. 366. Certamina fere omnia per se obit intrepido animo. I. 366. Africanorum equitum praeliis abstinere statuit, et nequis injussu suo praeliandi gratia e castris excedat, interdicit. I. 368. Goletam ante omnia oppugnandam statuit. I. 369. Primo die Goletam capere potest. I. 370. Unum vallum Hispanis a mari, alterum Italis a palude excitandum mandat. I. 370. Fretus non modo virtute suorum, sed multo etiam magis ope Divina, cuncta, quae oppugnationi usui sunt, diligenter comparat. I. 371. Poenum quemdam a Charadino clam missum explorandi causa, quamvis suspectum habet, copiis tamen omnibus in aciem eductis ostentandi gratia, eum circumduci jubet, et gravi responso mandatisque coercitum dimittit. I. 372. Paucorum licentiam e castris ad praeliandum excedentium paulo durius objurgat. I. 376. Mondexarem Marchionem praecurrere jubet, et id maxime curare, ut hostes tormentis exuat. I. 377. Parte peditatus se subsequi jussa, cum equitibus cataphractis in suorum subsidium advolat. I. 378. Cataphractos districto gladio antecedens suorum fugam cohibet, hostesque tormentis exuit. I. 378. A Fernando Alarcone supplicibus quidem, sed tamen gravissimis verbis admonetur, ne tam praeceps in pericula ruat. I. 378. Hazenum ad se venientem comiter excipit, et socios sericis sagis vestiendos curat. I. 379. Cum equitatu et Germanorum manu castris egressus hostes turriculam oppugnantes in fugam conjicit. I. 380. Hispanorum copias ad inferiora castra descendere jubet. I. 380. Fernando Alarcone cum praesidio ab hostibus conturbatis, dum pabulatum procedunt, cum equitatu accurrit hostesque repellit. I. 381. Hostes Goletam tuentes commeatibus per paludem intercludere statuit. I. 383. Alterum vallum erigi jubet. I. 383. Milites generatim adit, et pro sua quosque natura ad strenue pugnandum adhortatur. I. 383. Praemium proponit his, qui primus, qui secundus, qui tertius hostiles munitio-

CAR

CAR

458. Andream Doriam compellat, jubetque, ne navigandi occasionem interlabi patiatur. I. 458. Singulis fere diebus in terram descendit propter legem Pontificiam, qua res divina in navibus patrari vetatur. I. 458. Navium praefectos atque magistros in Imperatoriam convenire jubet, et coram de tempestatis navigationisque ratione cum Doria disserere ac deliberare. I. 459. Quamquam in profectionem inclinat, Doriae et Berenguelli auctoritati et sententiae concedendum putat. I.461. Doria non invito ex insulis egreditur. I. 461. Sine Francisci Covi et Granvelae consilio nihil fere paulo modo gravius secreto statuere solet. I. 464. In portum Ligatum hora circiter decima octava, quam fuerat ex Stoechadibus profectus, naves omnes incolumes inducit. I.462. Haud aegre fert Bazanum sua sponte se triremium praefectura abdicare. I. 463. Cum Bazani triremibus classe conjuncta, in Palamosi portum pervenit. I. 463. Valdolitum ad Concilium Castellanorum indicendum per equos dispositos proficiscitur, Francisco Covo et Nicolao Granvela ad Palamosum remanere jussis. I. 464. Margaritam notham filiam Alexandro Medice in matrimonium dat, eumque titulo Florentini ducis afficit. II. 9. Oram Italiae et Siciliae maritimam, cognito Solymani consilio, praesidiis firmari jubet. II. 14. Andreae Doriae imperat, ut cum classe Turcarum conatibus obsistat. II. 15. Montisone Conventus habet. II. 27. Gallorum Regi per Cornelium Sceperum respondet se ad pacem esse proclivem. II. 27. Ad Gallorum Regis colloquium se comparat. II. 28. Ex oppido Valdolito Barcinonem properat. II. 28. Valdolitum venit uxorem visendi gratia, et Joannem nuper natum filium, qui in sequenti anno moritur. II. 29. Per litteras cum Paulo Pontifice Maximo agit, ut suam auctoritatem ad pacem interponat. II. 29. Barcinone, quadriremi conscensa, proficiscitur. II. 30. Ad Massiliam jacit anchoras. II. 32. In Gallicas triremes a Turcarum finibus redeuntes incidens unam in deditionem venire cogit, tres capit. II. 32. Gallos liberat, et cum suis navibus dimittit. II. 34. Savonam ad Pontificem Maximum tollendum quindecim triremes mittit. II. 34. Molestissime fert Carolum Sabaudiae Ducem a Gallorum Rege subornatum impedire, quominus Paulus Pontifex Max. in Nicaeae arcem recipiatur. II. 35. Post adorationem et salutationem consuetam colloquium cum Pontifice Max. in horas circiter quatuor producit. II. 35. Post diem tertium iterum Pontificem colloquii gratia convenit. II. 36. Ad Franciscum Gallorum Regem Antipolim salutandi gratia mittit. II. 36. Gallorum Reginae ejus sorori obviam procedit. II. 38. Genuae ad praetorium Andreae Doriae suburbanum divertit. II. 41. Ex pedibus laborans a Pontifice salutatur. II. 41. Pontificem adit, et in Hispaniam proficiscitur. II. 41. Velium et Cornelium Sceperum ad Gallorum Regem redire, et cum eo colloquii locum constituere jubet. II. 42. Fossae Marianae portum intrat. II. 45. Francisco Gallorum Regi accedenti ad suae navis scalas procedit obviam, et porrecta manu sub-

sublevat. II. 46. Sine arbitris diu cum eo colloquitur. II. 46. Andream Doriam, nequid Gallorum Regi molestum respondeat, nutu dehortatur. II. 47. Invitatus a Memoransiaco Comestabili, ut in Fossam Marianam descendat, in crastinum responsum differt. II. 48. Suis fere omnibus dehortantibus, sibi ad Regem eundum decernit. II. 49. Ab utroque filio Regis deductus in terram paene incomitatus descendit. II. 50. Ad dextram Reginae sororis mensae accumbit. II. 51. Henrici Gallorum Regis filii mantile ad assiccandas lotas manus subministrantis officium recusat. II. 52. Parem voluntatem et benevolentiam erga Regem ac liberos pollicitus ad naves regreditur. II. 53. Barcinonem appellit. II. 54. Doriam bellum in Turcas administrare jubet. II. 54. Cum Paulo Pontifice et Senatu Veneto foedus adversus Turcam init. II. 54. Fernandum fratrem per Pannoniam adversus Turcas affuturum sibi recipit. II. 55. Pace facta cum Francisco Gallorum Rege atque amicitia, Valdolitum revertitur, et Castellae Concilium Toleti habet. II. 65. Eo praesente et jubente, Joannes Vazquez scriba Regius ad Castellae civitatum legatorum Concilium de scripto verba facit. II. 71. Caesar ipse pauca summatim adjicit, ut de pecunia in sumtus necessarios provideatur, petens. II. 75. Albae, Infantati et Scalonae Ducibus Comestabilem interpellantibus tacere jubet. II. 76. *Sisam* tributum in aliquot annos proponit. II. 77. Certior fit a civitatum legatis de vectigali hujusmodi repudiato. II. 78. Plus sibi de Procerum voluntate pollicetur. II. 78. Civitatum legatos quiescere, nec amplius injussu suo consultandi gratia convenire jubet. II. 78. Antistitum edictum de *Sisa* ad Proceres mittit. II. 78. Clericos cetera fore immunes pollicetur. II. 78. Joannem Taveram Cardinalem aliosque quatuor internuntios Procerum Concilium adire jubet. II. 79. Responsum a Proceribus accipit, et ipsorum Concilio per Joannem Taveram Cardinalem respondet, atque in eo persistit, ut *Sisa* decernatur. II. 80. Propter justitiae ac virtutis opinionem carus omnibus Hispaniae ordinibus habetur. II. 82. Procerum *Sisam* rejicientium responsum accipit. II. 85. Proceribus rursus ipse per Joannem Taveram respondet, et, ut festinantius agant, monet. II. 85. Renuntiato Proceres tertio petere, ut ejus voluntate cum civitatum legatis convenire liceat, cum stomacho respondet. II. 87. A Procerum Concilio rogatur, ut bellis modum imponat, seque intra Hispaniae fines contineat. II. 87. Moleste fert Procerum responsum, quo audito, nequit a verbis paulo asperioribus temperare. II. 89. Dolet suos de bello Turcico conatus pecuniae inopia impediri. II. 90. Nec diu, nec intemperanter dolorem alit, sed sapientissime ratione moderatur. II. 90. Ceterum hanc repulsam alta mente reponit. II. 90. Joanni Genesio Sepulvedae de Castellae Concilio Toleti habito memoranti respondet: *In isto Concilio, quam parum possim, ipse sensi*. II. 91. Joanni Genesio Sepulvedae percunctandi ex eo facultatem concedit de rebus per ipsum gestis. II. 91. Proceres dimittit, et

Illinc in Germaniam ire pergit Conventus peragendi gratia a Fernando fratre suo jussu inchoati in Haganoa urbe ad errores Lutheranos cohibendos. II. 122. De Religione Conventum in Vangionum Vormatiam transferri curat, et Granvelam, qui pro ipso ibi praesit, mittit, cumque eo tres Theologos Hispanos, et unum Belgam. II. 123. Spirae subsistit podagra impeditus. II. 124. Conventum ad Ratisbonam rejicit. II. 124. Ad Ratisbonae Conventum de Religionis controversiis tollendis, et bello Turcico propulsando refert. II. 125. Recipit sese daturum operam, ut Concilium universale cogatur, et Conventum dimittit. II. 126. Cognito, Alfonsum Diazium Hispanum Joannis ejus fratris Lutherani caedem patrasse, custodiaeque datum, litteras iterum atque iterum Oenspruchum ad Magistratus mittit, ut causam ad se referant. II. 132. Alfonsi factum tacitus probat. II. 132. Probato clericatu, causae cognitionem ad Episcopum Tridentinum rejicit, atque ita Alfonsum incolumem servat. II. 132. Reditum parat in Hispaniam. II. 133. Ex itinere Argeliam oppugnare constituit. II. 133. Andreae Doriae mittit, ut classem suarum navium paratam habeat. II. 134. Ejus responso a bello Argeliensi retrahentis indignatus, per litteras denuo jubet, ut totus in hujus belli apparatum insistat. II. 134. Per Menicham Oenspruchum procedit, ubi cum septem fratris liberis dies quinque consumit. II. 135. Ad Tridentum Octavium Farnesium generum suum, et Vasti Marchionem, non longe a Mantua Herculem Gonzagam Cardinalem obvios habet, et per Papiam et Alexandriam Genuam pervenit. II. 136. Viaregium appellit, ac in Luca urbe Paulum III. Pontificem supplex salutat. II. 137. De rebus ad Ecclesiasticum Concilium pertinentibus quotidie cum Paulo III. colloquitur. II. 137. A Pontifice impetrat, ut Regem Romanorum ad Budam recipiendam juvet. II. 137. In portum Lunae et oppidum Spediam reversus, Germanis militibus in naves onerarias impositis, ipse postridie solvit. II. 137. Ad Corsicae conspectum magna tempestate jactatus, locum prope Sacrum promontorium, a saevientibus ventis nonnihil tegentem, capit. II. 138. In portum Bonifacii satis incommoda navigatione usus pervenit. II. 138. Sardiniam attingit, et *portum Comitis* intrat. II. 138. Algeriam Barcinonensium progreditur. II. 138. In Magonis portum procedit, deinde Majoricam intrat, popularibus gratulatione et muneribus eum prosequentibus. II. 139. Duci Albano et Bernardino Mendozae per litteras mandat, ut si non possint in Baleares procedere, Argeliam cursum dirigant, et eo animo proficisci parat, ut vel sine Hispana classe Argeliam oppugnet. II. 141. Ex Balearibus discedens in Argeliae conspectum pervenit. II. 142. Acie instructa copias propius Argeliam duobus passuum millibus deducit. II. 143. Castra prope Argeliam movet, et copias certo ordine considere jubet. II. 144. Suorum naufragium moestissimus respicit, et in summa cibariorum inopia per triduum cum exercitu ad proximum promontorium

noram sororem Galliae Reginam illuc salutandi eum gratia venientem jucundissime excipit. II. 256. Tampae Francisci Regis concubinae dona mittit ducatorum aureorum millibus quadraginta amplius aestimata. II. 257. Gonzagam et Feriae Comitem sese mutuo ad singulare certamen provocantes propter Marsiam pulchram adolescentulam arctiore custodia asservari jubet. II. 258. Generali Concilio ecclesiastico indicto, ad Episcopos omnes, ut Tridentum iter facere se comparent, scribit. II. 261. Certos nominatim ascriptos statim proficisci praecipit. II. 261. Petri Soti Confessoris sui sententiam fortasse secutus monachos potius, quam clericos theologos ad Concilium Tridentinum mittit. II. 262. Jureconsultis singulis ad Concilium Tridentinum missis millenos, monachis autem quingenos aureos ducatus in annos constituit. II. 262. A Paulo III. petit, ut Archiepiscopatu Toletano per vicarium administrato reditus ejus bellorum adversus Turcas sumtibus destinentur. II. 264. Quo non impetrato, Joanni Martino Siliceo illud Sacerdotium mandandum curat, qui per litteras ostenderat se non recusaturum, quin Caesar fructibus ejus Sacerdotii arbitratu suo ad piorum bellorum sumtus uteretur. II. 265. Ex Belgio profectus Ratisbonam ad totius Germaniae Concilium pervenit. II. 266. Hessiae Lantgravio denuntiatum mittit, ut Henricum Ducem Brunsvicensem custodia liberet, eidemque Ducatum restituat. II. 268. Cunctis antea rationibus frustra tentatis, rem armis gerere constituit. II. 268. Auxilium a Pontifice Max. obtinet ad bellum adversus Germanos Lutheranos. II. 270. Edictum promulgat, quo magno tumultu Germania omnis concutitur. II. 271. Trecentos Hispanos scloppetarios ad Cofstainum itineris angustias custodire jubet, et populares Tirolensis Comitatus ad sexdecim millia in armis esse. II. 272. Petrum Guzmanum Ratisbona mittit ad Ingolstadium urbem. II. 272. Albano Duci proximam sibi imperandi facultatem tradit. II. 274. Lanzuetem oppidum pervenit. II. 275. Palam confirmat se in Germania mortuum aut vivum, donec bellum conficiat, remansurum. II. 275. Epistolam Lutheranorum Principum per caduceatorem missam aspernatus legere non vult. II. 275. Ratisbonam redit, et Neustadium venit. II. 276. Ratisbonam militum subsidio misso, omnem ejus potiundi spem hostibus adimit. II. 276. Danubium cum copiis trajicit. II. 276. Joannem Baptistam Castaldum militum magistrum, qui castris locum deligat in hostium propinquitate, praemittit. II. 277. Duce Albano et paucis equitibus comitantibus, agmen antecedit, castris destinata loca consideraturus. II. 277. Levi certamine commisso, hostibusque magno numero ingruentibus, jussoque Albano, ut se de rebus omnibus crebris nuntiis certiorem faciat, ad castrorum locum revertit. II. 278. Locum alterum castris ad Ingolstadium accomodatum capit. II. 278. Hostibus castra oppugnantibus, milites cohortatus suum quemque locum tueri jubet. II. 279. Nunc acies inter volantia tela obequitat, nunc

an_

ante acies intrepido animo consistit. II. 280. Hostibus opugnatione desistentibus, castra diligentius munit. II. 281. Fossam alteram propius hotilia castra produci jubet. II. 282. Ad vallum inter Hispanos rei divinae interest, cibumque sumit, atque ejus tentorii cubiculum, ubi lectus stratus erat, tormenti telo perforatur. II. 283. Militum numero longe inferior copias a Comite Burensi ex Belgio deductas exspectare constituit. II. 285. Comitem Burensem, quibus itineribus tuto ad se properare possit, docet. II. 285. Copiis jam auctus hostem insequi constituit; sed antea Neuburgum oppidum oppugnaturus loci naturam diligenter cum magno suo periculo explorat. II. 285. Postridie Danubium tribus pontibus exercitum trajicit. II. 286. Neuburgi Magistratus urbem certis conditionibus dedituros ad Ducem Albanum rejicit. II. 286. Neuburgum recipit. II. 286. Copias recenset. II. 286. Tonabertem versus in hostes movet, et ad Marquesenam vicum castra ponit. II. 287. Ad Bendingam castra metari constituit. II. 287. Mathematicarum disciplinarum studio deditus Astronomia Geographiaque delectatur, non solum quia Germaniam peragraverat, sed etiam quia situm ejus scite in tabula et accuratissime descriptum saepe considerabat, regionum atque locorum magnam cognitionem habet. II. 287. Quo ordine agmen triplici acie instructa in castrorum locum procedere jubet. II. 287. Hostibus appropinquantibus, Albano imperat, ut, cum illucescat, totus exercitus sit in armis. II. 288. Podagra ex pede dextro laborans equum tamen conscendit, copiasque obequitans in tentorio Ducis Albani jentaculo corpus curat. II. 288. Consilio cum eo communicato, acies, antequam nebula discutiatur, instrui jubet. II. 288. Ex Albano hostes pugnae sese comparare cognoscit. II. 289. Hoc nuntio delectatus, ut erat propter podagram equo insidens, thoracem et brachialia induit, exercitumque hostibus obviam ire jubet. II. 289. Cum praetorianis et aulicis equitibus in secunda acie versatur. II. 289. Praelio ab hostibus recusato, copias in castra reducit. II. 290. Castra castris collaturus in hostem movet. II. 290. Camerini Ducem Tonabertem tentare jubet, quam ille recipit. II. 291. Tonabertem exercitum perducit. II. 291. Hochstentam, et Telingam in suam potestatem redigit. II. 292. Ad Laugingam considet. II. 292. Laugingam recipit. II. 292. Gundelfingam per deditionem recipit. II. 292. Profectionem ad Ulmam parans hostes adventare serius cognoscit. II. 293. Castra hostium improviso invadere statuit. II. 293. Duce Albano ad castra hostium oppugnanda proficisci jusso, ipse exspectans in curru tecto, quam Pannonii *Gochem* vocant, armatus se somno dat. II. 294. In priora castra ad Laugingam, et paulo post in sicciorem locum exercitum traducit. II. 295. Adduci non potest, cum jam esset mensis November, ut tecta subeat exercitus. II. 295. Saxoniae Principatus jus ad Mauricium et Fernandum Regem fratrem, si armis occupent, transfert. II. 295. Tormentorum bombis gratulationem fie-

fieri jubet. II. 295. Litteris Adami Tropi de pace a Joanne Marchione Brandeburgensi acceptis, humanitatis se potius, quam juris memorem fore ostendit, modo Lutherani duces depositis armis se in ipsius potestatem permittant. II. 297. et 298. Lutheranis ducibus per Adami alteras litteras colloquium cum legatis petentibus respondet, se, nisi facta ducum deditione, pacem eis non esse daturum. II. 299. Castra hostium oppugnare parat, sed ea nocte castra illos movisse intelligit. II. 299. Cum equitatu Belgico adversus hostes proficiscitur. II. 299. Prima vigilia in castra redit, eamque curam et diligentiam adhibet, ut ante confectam tertiam vigiliam exercitum in locum ab Albano occupatum perducat. II. 300. Hostes bipartitos discessisse cognoscit, et milites quidem civitatum Ulmam et Augustam versus contendere, Lantgravium autem et Saxoniae Ducem cum suis in Franconiam iter dirigere. II. 301. In Franconiam properans, quo iter dirigunt Lutherani duces, Bofingam, Morlingam et ejus arcem recipit. II. 301. Appetente jam bruma, et frustra dissuadentibus ducibus, bellum gerere pergit. II. 302. Comitibus Hetingae Lutheranis eorum fratrem Catholicum praeficit, et Albanum mittit, qui Tinspinum tentet. II. 302. Rotemburgum venit, et voluntaria deditione recipit. II. 302. Burensem Comitem Francafortem urbem tentare jubet. II. 303. Fuga ducum celeriter dissipata, civitatum legationes de pace accipit. II. 303. Ex Rotemburgo Hallam Sueviae urbem procedit. II. 303. Federicum Comitem Palatinum supplicem et veniam cum lacrymis petentem affatur, et praeterita errata praesenti animi dolori condonat. II. 303. et 304. Ulmensibus genibus flexis veniam deprecantibus errata condonat. II. 305. Vitembergensis Ducis fines Albanum invadere jubet. II. 305. Vitembergensi Duci pacis conditiones praescribit. II. 305. Francaforti urbi veniam impertitur. II. 306. Ulmam venit. II. 306. Ulmenses Hispano sermone ipsum salutantes sermone quoque Hispano resalutat. II. 306. Augustanis imperata facere pollicentibus, et timore Sebastiani Xertelli urbem se dedere posse negantibus respondet se cum exercitu propediem affuturum, et civitatem eo metu et difficultate explicaturum. II. 306. Dedititias civitates Comitemque Palatinum et Vitembergensem Ducem eis conditionibus in suam fidem recipit, ut pacem perpetuam foedusque cum Austriae Principibus faciant, Saxoniae Duce et Hesiae Lantgravio pro hostibus habitis. II. 307. Albertum Brandeburgensem Marchionem cum militum supplemento Fernando fratri adversus Saxoniae Ducem mittit. II. 309. In Saxoniam adversus Ducem a Fernando fratre evocatus proficiscitur. II. 309. Ducem Vitembergensem in fidem recipit, et Ulma Norlingam progreditur, ubi articulari morbo impeditus necessario subsistit. II. 309. Argentinensibus veniam dat, eosque in suam fidem recipit. II. 311. Norembergam perveniens sex dies valetudinis causa divertit. II. 311. Egueram contendit, urbem in Saxoniae confinio sitam. II. 311. Dies ali-

aliquot, quibus Christi Passionis et Resurrectionis memoria recolitur, ad Egueram commoratur. II. 312. Per Saxoniam procedens ad locum, qui a Joanne Federico non procul aberat, denis castris progressus consistit. II. 312. Conandum sibi statuit, ut Joannem Federicum, ante quam Vitembergam perveniat, consequatur. II. 313. Non longe hostem abesse cum nuntiaretur, tormenta et naviculas praecedere jubet. II. 313. Circa ripam Albis e regione hostilium castrorum copias inducit. II. 313. Ad fluvium Rege Fernando Mauricioque comitantibus, locorum naturam explorandi gratia progreditur. II. 313. Tormenta jubet inter densos frutices disponi cum mille scloppetariis Hispanis. II. 314. Sibi in periculis minime parcit. II. 314. Totidem scloppetarios suis auxilio inducit. II. 314. Albim equo per brevia spatia natante trajicit. II. 315. Rustico cuidam homini vadi duci nummos aureos centum numerari, et duos equos tribui jubet. II. 315. Christi imaginem in via offendens militis Lutherani telo confossam, ducto suspirio: *Si vis*, inquit, *Christe*, *facile potes tuos hostes ulcisci*. II. 316. Hostes in fugam conjicit, et in nemoris prato, ut suos colligat, subsistit. II. 317. Ducis Saxoniae capti nuntio delectatur. II. 317. Ducem Saxonem ad se deductum equo desilire conantem humanitatis causa prohibet. II. 318. Veniam petenti et Imperatorem vocanti respondet, et ab Hispanis custodiri jubet. II. 318. Capto quoque Brunsvicensi Duce, et parta victoria laetus illa verba usurpat: *Veni*, *vidi*, *et ope Divina vici*. II. 318. Torgaum per deditionem recipit. II. 319. Vitembergam movet. II. 319. Nihil nisi de ratione irrogandae captivo Duci legitimae poenae, de loco et die cogitat. II. 320. Id cum praetore aulico Mignatone communicat. II. 320. Exoratus tamen Marchionis Brandeburgensis et Cliviae Ducis precibus ejus vitae parcit, ea conditione, ut per tempus castra Caesaris in custodia sequatur, jure ferendi suffragii in deligendo Imperatore privetur, et omnia oppida, quae huic juri sunt annexa, ex vinculis tradat, ceteris retentis, aliisque conditionibus. II. 320. Vitembergam cum magnis tormentis plus centum viginti recipit, Gothamque arcem munitissimam et inexpugnabilem solo aequat. II. 320. Joannis Federici Saxoniae Ducis uxorem benigne appellat, honorifice tractat, et honoris causa invisit. II. 321. Bellum magna ex parte celeritate conficit. II. 321. Jus suffragii, et huic annexa oppida in Mauricium Philippi Lantgravii generum transfert. II. 321. Milites Hispanos propter facinus ad Milburgum patratum sericis vestimentis, et tricenis aureis nummis donat. II. 321. Equitibus Hungaris stipendia mensis duplicat, eorumque praefectis torques aureos in singulos tribuit. II. 322. Veniam Hessiae Lantgravio certis conditionibus impertitur. II. 322. Hoc tantum pollicetur, se nec in Lantgravium capitaliter animadversurum, nec eum perpetua custodia cohibiturum. II. 323. Ad pedes ejus advoluto per unum ex Belgis consiliariis respondet, se vitam bonaque condonare, ejus clientes in su-

respondet, et se falsam laudem contemnere ostendit. II. 533. Sepulvedae facultatem percontandi, quoties res poscat, non denegat, et ad rogata sincere ac paene religiose respondet. II. 533. et 534. Peccata et culpas suorum libenter excusat. II. 534. Luculento exemplo evincit se falsis laudibus celebrari nolle. II. 534. Pauli Jovii avaritiam cohibet. II. 534. Pensiunculam tandem Jovio attribuit, sed ita ut appareat se generi precibus cedere, nihil merita Jovii spectare. II. 535. Annum agens XXVI. uxorem Hispali ducit Isabellam, et ab eo tempore comitiali morbo liberatur. II. 536. Ex hoc matrimonio Philippum, Mariam, atque Joannam procreat. II. 536. Filiarum pudicitiae diligentissime prospicit. II. 536. Joannam minorem natu a sorore Maria ob honestatem separat, postquam haec Maximiliano nupta Hispaniae Regnum procurat. II. 537. In cunctis fere rebus suspiciosus, praesertim in senectute, habetur. II. 537. Post Covi et Granvellae obitum nulli fere consiliario satis fidit. II. 537. Delatores quantopere improbet, magnis documentis declarat. II. 537. Fernandi Avali ex Portugalia reducis delatorem gravi responso coërcet. II. 537. Hieronymum Leivam, qui Vasti Marchionem falso incusat, re comperta, capite punit. II. 538. Epistola intercepta Fernandi Gonzagae manu subscripta, quam aliquis calumniator confixisset, Gonzagam ad se in Belgium vocat, et re comperta eos, qui in suspicionem criminis venerant, praefecturis et magistratibus privat, Gonzagae vero successorem dat. II. 539. Novem mensibus nulli nec libello, nec diplomati subscribit non sine suspicione mentis imminutae. II. 539. Integra valetudine gaudens omni regia civilique virtute praestat. II. 540. Atrae bilis morbis tentatur. II. 540. Insitae justitiae documentum dat, dum sibi valetudinis ad imperandum ineptae conscius sua sponte sese Imperiis omnibus abdicat. II. 540. Ex Belgio cum duobus sororibus in Hispaniam reversus in coenobium *Justi* secedit. II. 540. Ejus rei gratia aedes coenobio contiguas non admodum nec capaces nec superbas construendas multo antea mandat. II. 540. Secedendi consilium non tam ex morbis, quam ex taedio negotiorum, Isabella etiam vivente et conscia, init. II. 540. et 541. A Joanne Genesio Sepulveda ad coenobium se adiri et salutari patitur, a ceteris raro admodum, aut numquam. II. 541. De summis tamen rebus, ut de bello et pace, se consuli, deque fratris, liberorum et sororum salute certiorem fieri non recusat. II. 541. Jus Imperii Romani in fratrem Fernandum transfert. II. 541. A Joanna filia per litteras de Hispanorum haereticorum crimine certior factus, per nuntium Ludovicum Quixadam Joannam et *Inquisitores* monet, ut in eo crimine vindicando summam diligentiam adhibeant. II. 542. Ad testamentum factum codicillos in idem argumentum adjicit, quibus severitatem in crimine puniendo Philippo filio commendat. II. 542. Obit ad *Justi* coenobium XI. Kal. Oct. Ann. Christi M. D. LVII. II. 543.

Ca-

Ca-

Le-

Man-

D

ris

E

Fer-

lem Principum fratrum minimum natu Marchionem constituit. II. 7. Terovenam obsessam milites praesidii supplendi gratia submittit. II. 26. Henricum filium cum exercitu adversus Caesarianos properari jubet. II. 26. Per Henricum filium novem mensium inducias cum Comite Burensi facit, ac bellum dissolvit. II. 27. Cornelio Scepero mandata de pace ad Caesarem dat. II. 27. Velium legatum de pace ad Carolum mittit. II. 28. Turcarum rebus favet. II. 30. Colloquium ad Nicaeam probat, inducias renuens per Oceanum, propter Gallicas naves Caesarianis insidiantes ex Orbe novo cum auro et argento redeuntibus. II. 30. Decem triremes in Aegaeum mittit, ut cum classe Turcarum se conjungant. II. 32. et 33. Carolum Sabaudiae Ducem subornat, ne Paulum Pontificem in Nicaeae arcem recipiat. II. 35. Antipolim cum uxore atque liberis pervenit. II. 36. Villamfrancam salutandi gratia ad Carolum mittit. II. 36. Ad colloquium cum Paulo Pontifice procedit. II. 37. Primum Cornelio Scepero Genuam ad Carolum proficiscenti, deinde ex suis Velio mandata de colloquio dat. II. 42. Ad Caroli navim collocuturus procedit. II. 46. Ejus navim subeuntis verba. II. 46. Sine arbitris diu cum Carolo colloquitur. II. 46. Andream Doriam sublevat, et alloquitur. II. 46. Invitato Carolo a Comestabili, ut in Fossam Marianam descendat, ipse pro Carolo Comestabili respondet, et digreditur. II. 47. Utrumque filium ad Carolum deducendum mittit. II. 50. Carolo obviam cum Regina procedens manum porrigit, et adductum arcte complectitur et exosculatur. II. 50. Ad sinistram Reginae uxoris cum Carolo fratre mensae accumbit. II. 51. Ejus ad Carolum Caesarem come responsum. II. 52. Perpetuam amicitiam et pacem pollicetur, et aureum annulum cum elogio Carolo tradit constantis fidei pignus. II. 52. Se Turcarum amicitiam repudiaturum confirmat. II. 53. Ultro Carolum invitat, ut per Galliam recta brevissimaque via in Belgium contendat. II. 97. Lorchas accedenti Carolo obviam cum Regina progreditur, et in Fontenoblaeum praetorium deducitur. II. 103. Singulares honores Caesari habet. II. 104. Usque ad sui Regni Flandriaeque confinium cum uxore et liberis Carolum prosequitur. II. 105. Indignatur, quod a Carolo Mediolanensem Principatum non impetrat. II. 156. Ad Solymanum Fernandum Rinconium mittit auxilia oratum adversus Caesarem. II. 157. Rinconii caedis auctores nominatim ad poenam poscit. II. 161. Alterum legatum Pollinum Gallum ad Solymanum mittit, ab eoque impetrat, ut negotium Charadino det oram Hispaniae cum classe infestandi. II. 161. A Pesulano Monte progressus ad Seselas castellum longe ab exercitu subsistit. II. 165. Rinconii necem causam bello prius illato quam indicto in excusa indictionis charta praetendit. II. 165. Landresini oppidanis subveniendi gratia appropinquare nuntiatur. II. 205. Praesidium, Caesarianis nec opinantibus, in Landresinum oppidum inducit. II. 205. Data tribus continuis diebus a Caesare pugnandi fa-

G

Gla-

pes

H

alpina ad Concilium Tridentinum convenire patitur. II. 405. Caroli gloria imperioque invidet. II. 407. Societatem cum Solymano palam et studiose colit. II. 407. Omnem suam opem Octavio Farnesio adversus Carolum Caesarem pollicetur. II. 408. In eam rem insistit, ut Concilium Tridentinum dissolvatur, non ignarus nihil se Carolo molestius efficere posse. II. 408. Procerum Germanorum amicitiam captat, ut a Carolo deficiant. II. 408. Apud Concilii Tridentini Patres omnem suam culpam in Pontificem et Caesarem confert. II. 408. A Patribus Concilii Tridentini petit, ut incepto desistant. II. 409. Concilium Tridentinum ludibrio habere videtur. II. 409. Oct. Farnesii patrocinio suscepto, octoginta aureorum coronatorum millia stipendio mittit. II. 409. Dolo et illatis causis foedus multifariam violat. II. 414. Pontificia et Romana vectigalia multum deterit. II. 415. Germanorum Principes ad defectionem solicitat, appellatus initio a Mauricio Saxone et Alberto Marchione Brandeburgensi. II. 416. Inito foedere cum Mauricio Saxone et Alberto Brandeburgensi Marchione, exercitum in Germaniam inducere parat. II. 417. Obsides Principibus Germanis adversus Carolum conspirantibus dat, et mutuo ab illis accipit. II.419. Annam Memoransium Comestabilem cum reliquis copiis in Germaniam subsequitur. II. 421. Metim a Comestabili per dolum occupatam ingressus, praesidium imponit, similique dolo alia oppida et Lotharingiam occupat. II. 422. Haganoam inde Vissiburgum copias inducit, vim affert, atque agros populatur. II. 422. Legatos a pluribus Germaniae Principibus, ut milites ab injuriis et maleficio prohibeat, accipit. II. 422. Germaniae libertatis vindicem se esse praedicat. II. 422. Litteras a Mauricio de colloquio ad Lincium habito accipit, simulque nuntium de clade Galliae Regiae a Martino Rossemo illata. II. 423. His nuntiis et legatione Principum deterritus, exercitum in Galliam reducit. II. 423. Mauricio de pacis conditionibus cum Carolo Caesare rescribit. II. 423. Ad Principum legationem respondet. II. 424. Per Lotharingiam ad Lucemburgum delatus, agrum populatur, aedificia incendit. II. 424. Reliquas copias ad Atrebates dimittit. II. 424. Stipendium Alberto Brandeburgensi non mittit. II. 433. Clade ad Metim Caesarianis temporis saevitia et grassante morbo non Gallorum armis illata plurimum se jactat. II. 439. Epistolam litteris Latinis ad Principes et universam Germaniam nec vere nec graviter scribit, eaque typis excusa Germanos ad defectionem hortatur. II. 439. Omnes occasiones molestiam et negotium exhibendi Carolo arripit. II. 442. Senensium patrocinio suscepto, homines in Italiam cum pecunia ad militem conducendum mittit. II. 442. Inducias quinque annorum cum Carolo Caesare paciscitur. II. 512. Ad magnam nummorum inopiam redactus, nec sacris quidem fanorum aureis et argenteis vasis parcit. II. 512.

Henricus (Jacobus). *V.* Albaelistae Comes.

Hen-

Ho-

J

Joan-

L

Du-

M

Ca-

lie-

ci-

Hac

Par-

N

O

Pa-

P

In

Pis-

Por-

Q

R

Ro-

S

Mi-

T

bri

U

V

Var-

ses-

X

Ab-



